BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
5 C
10

13-1. e. 31.



REFORMATIO
REGVLARIVM
SEV
DE DISCIPLINA
RELIGIOSA.

AD NORMAM, ET EXEMPLAR
SS. Patrum, & priscorum Monachorum.

Opus ferme totum ex Patribus, Doctoribus, & Magistris spiritualibus compactum.

Nunc tertiò editum, & in pluribus locis auctum, & locupletatum.

AD DOMINVM NOSTRVM
IESVM CHRISTVM

PER P. M.

IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA
Carmelitam Hispanum, Matritensem, Socium
Reuerendissimi P. Generalis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE.
Sumptibus Io. Antonij Bertani. M. DC. XLI.
Ex Typographya Andreæ Phæi.

SVPERIORVM PERMISSV.

Domino Noſtro

IESV CHRISTO.

Vidni enim nominatim Tibi, ò Summe Princeps, conſecrem hoc, quidquid eſt, opellæ meæ? Regibus etenim quotidie, magniſque Principibus Scriptorum opera nuncupari ſolent, vt in ipſorum veſtibulis, ac quaſi propylæis illuſtria nomina, tituloſq; glorioſè ſplendeſcere mortalium obtutibus præoſtentent. Nec abs re ſanè: ſunt enim terreni Dynaſtæ expreſsę veluti imagines cuncti potentiſsmæ Maieſtatis tuæ, & regendis creatis vices tuas ſub luna gerunt. At ego ambitioſior, *filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* relictis, Temetipſum ſolum ſimul Dei Natum, à quo *omnis poteſtas in cælo, & in terra*, & cui omnes ipſi faſces, ſecures, capita, & colla ſubmittunt, fidens, tremenſque adeo. Fidens, ob Tui ſummam benignitatem, ob meam tremens puſillitatem. Nec repulſam timeo, qui Te audio clamantem: *Sinite paruulos venire ad me.* Vtinam, & ex illis vnus, de quibus, Rex clementiſſime, protuliſti; *Ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Sed quem alium à Te ſibi, ò Amor, opuſculum hoc meum, quod totum (ſi quid, vel tantillum) pro Religioſorum Regulari diſciplina tuenda eſt, Mæcenatem depoſceret? Tu enim Sol verus, à quo ipſi Sydera Orbi micant, collucent, albeſcunt. Tu fons, à quo ipſi limpidiſſimi, & chriſtallini riuuli Eccleſiæ Paradiſum irrigant, fæcundant, excolunt. Tu ipſorum Author, Archetypus, exemplar, & conſummator optimus. *Gloria* demum *virtutis eorum Tu es, & in beneplacito tuo* exaltantur. A quo etiam præmium expetam, vel expectem (quod moris eſt eorum,

qui Principibus sua sacrant monumenta) nisi à Te omnium potentissimo, ac magnificentissimo Principe, qui largitorem calicis aquæ frigidæ non indonatum abiturum promittis? cui fœnerari appetam, nisi ei, qui reddat impendium fœneratori centuplum? aut cui offerendi sunt fructus, nisi ei, cuius omnibus nominibus est arbor tota, quantulacunque est, & ipsum eius solum? Sed quod præmium? nullum aliud, nisi Te Domine, tuamque voluntatem per totum vitæ meæ curriculum iam adueſperascentis, perfectissime exequi. Placeam Tibi, etsi placeam nemini. Quod mihi vtilius, quia gratior es hominibus, nec *sicut vident* illi, & *Tu vides*. Moriar mundo, vt viuam Tibi (qui es *veritas, & vita*) cruci tuæ, fide, spe, & charitate, tribus veluti clauis immobiliter confixus. Absorbeat ergo, Domine clementissime, mentem meam ignita, & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cælo sunt, vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori. Viue, & regna cum Patre, & Sancto Spiritu in sæcula sæculorum.

Ego seruus tuus,

& filius Ancillæ tuæ

Fr. Ioannes Baptista
de Lezana Carmelita.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

QVAM necessarium sit Religiosos omnes reformatè viuere ex Patribus ostenditur. Cap. 1. pagina 1

Idem intentum de necessitate reformationis regulariũ ex alijs capitibus ostenditur. Cap. 2. pag. 19

Cap. 3. Orationis iuge, & quotidianum studium religiones conseruat: in eoque deficere Religiones perdit. pagina 30

Cap. 4. Idem intentum de necessitate orationis pro monachis ex Patribus recentioribus probatur. pag. 38

Cap. 5. Regulæ, & Constitutionum inuiolabilis obseruantia Religiones reformat: & in hoc deficere ipsas euertit. pag. 49

Cap. 6. Minimarum etiam obseruantiarum custodia suffulcit Ordinem, earum

vero contemptus religiones diſſipat. pagina 65
Cap. 7. Religioſorum nimia euagatio extra Monaſteria regularem Obſeruantiam, monachiſmumque fædat. pagina 84
Cap. 8. Proſequitur idem intentum de nimia euagatione Regularium extra cænobia euitanda. pag. 98
Cap. 9. Nimia cum ſęcularibus communicatio religionum obſeruantiæ nocet. pagina 112
Cap. 10. Otioſitas Monachorum religioſam, & Regularem vitam euertit. pagina 128
Cap. 11. Litterarum exercitium Religionum perfectioni proficuum, reformationique vtiliſſimum eſſe. pag. 145
Cap. 12. Plures exempti, & priuilegiati in religionibus obſeruantiam regularem euertunt. pag. 163
Cap. 13. Religioſorum ambitio Religionem deſtruit, humilitas autem ędificat. pagina 176
Cap. 14. Sectæ, diuiſiones, partialitates, contentioneſque Religiones euertunt, regularique obſeruantiæ maximè obſunt. pag. 190

Sancti,

Cap. 15. Sancti, rectique Prælati Religiones in suo nitore conseruant, improbi verò, regularem disciplinam naufragari faciunt. pag. 202
Cap. 16. Nimia bonorum temporalium cupiditas Religiosos deformat. pagina 220
Cap. 17. Superfluitas bonorum temporalium, etiam in ipsis communitatibus, Religiosorum reformationi est contraria. pag. 251
Cap. 18. Iuniorum, & tyronum recta educatio Religiones reformat, educatio autem praua destruit. pag. 272

Fr. Theodorus Stratius Magiſter Generalis Carmelitarum Antiquæ Obſeruantiæ Regularis.

Dilecto Nobis in Chriſto Admodum Reuerendo Patri Magiſtro Ioanni Baptiſtæ de Lezana Prouinciali Saxoniæ, ac Socio noſtro, ſalutem in Domino, &c.

Cum opus à te olim editum, Reformatio regularium *nuncupatum, aliquot additionibus auctum, & locupletatum ab aliquibus idoneis noſtræ Religionis viris approbatum, & commendatum viderimus; Idcirco auctoritate noſtra, & harum ſerie facultatem concedimus, vt illud typis iterum mandare poſsis, ſeruatis alijs, quæ de iure ſeruanda ſunt. In quorum fidem, &c. Dat. &c. in Conuentu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ Almæ Vrbis, die 16. Octobris 1640.*

Fr. Theodorus Stratius Generalis Carmelitarum Antiquæ obſeruantiæ Regularis.

Loco ✠ Sigilli.

ADditiones, per Admodum Reuerendum Patrem Magistrum Ioannem Baptistam de Lezana, Prouincialem Saxoniæ, & Socium Generalem Carmelitarum, Operi suo, *Reformatio Regularium* nuncupato, factas; Ego infrascriptus perlegi. In eis nihil offendi, quod Fidem Catholicam, & morum honestatem offendat. Vnde in reiteranda fructuoso operi publica luce, hæc etiam Additiones, ad maiorem Religiosorum vtilitatem, dignas censeo. Si Reuerendissimo Patri Magistro Theodoro Stratio nostri Ordinis Generali, ex cuius commissione eas recognoui, placuerit. Datum Romæ, die prima Octobris 1640.

Fr. Hyppolitus Sesoldi Prior Transpontinæ.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. B. Episc. Cam. Vicesg.

Reimprimatur,

Fr. Thomas Aquauiua Magister, & Socius Reuerendissimi P. Fr. Vincentii de Florentiola Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magistri.

OPERIS INTENTVM

Ad Lectorem.

HAec eſt, eorum, quæ ſub cœlo ſunt, miſera, caducaque conditio, vt ſemper ab antiquo, priſtinoque feruore, quo eſſe cœperunt, deuient, degenerent, & declinent. Et vt naturalia, artificialiaque omittam, hiſtorica quoque per omnem Rempublicam non recenſeam, ad noſtra propius accedens; quando Saluator noſter Ieſus Chriſtus adhuc in terra ſuperſtes erat, quæ fidelium erat pietas? Quandiu ſeniores, qui cum eo fuerant, Apoſtoli, Apoſtolicique viri ſuperſtites degebant, quæ Chriſtianorum ſanctitas? quis feruor? Quæ in proſperis, & aduerſis animi magnitudo? Quando epiſcopi omnes, Eccleſiæque primeuæ antiſtites clauum Chriſtianæ Reipublicæ tenentes, in viuis erant, quæ Charitas, quæ manſuetudo, quæ fides, quæ fortitudo non fuit inter fideles Eccleſiæ alumnos? Sed iam, proh dolor, ab illo ſtatu, ſanctaque vitæ ratione cecidiſſe ſæculum, norunt omnes. Vera, & iuſta Lyrici quærimonia l. 3. Od. 7.

Damnoſa quid non imminuit dies,
Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores; mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Optimè etiam Maro Georg. 1.

Vidi lecta diu, & multos ſeruata per annos
Degenerare tamen.

Ergo iam, vt ad noſtratia deueniamus, in religioſorum hominum ſacris ſodalitiis, hoc idem contigiſſe cernimus. Etſi enim quamplurimę, ſæpeque innumerabiles vtriuſque ſexus perſonæ religioſæ reperiantur, in quibus antiquus ille monachorum rigor ferueat, ſanctitas, obedientia, caſtitas, paupertas, humilitas, aliæque virtutes ſplendeant, ita vt à priſtino ſtatu, ne dum deuiaſſe, ſed, & illum ſuperaſſe videantur: aliæ tamen ſuperſunt, in quibus ſine dubio, monachiſmi perfectio maxime defecit, regularis diſciplinæ feruor repuit, & (quod ſummè dolendum eſt) religioſi ſtatus finis, & ſcopus non relucet.

Hæc

Hæc ergo, piiſſime lector, cauſa fuit, vt hoc pro reformatione religionum (melius dicerem aliquorum religioſorum) opus inſcri berem. Cum enim omnes, & ſinguli regularium, ad arctam, & anguſtam perfectionis viam tenendam aſtringantur; oportet omnes, & ſingulos (nec ſolum aliquos, aut plures) illam capere, illam aggredi, illam proſequi. Prouinciam fateor humeris imparem aſſumo; ſed vt verum loquar, quidquid dixero, non me a, ſed ſanctorum Patrum, antiquorumque monachorum ſente nti, eſt; vt Iuuenalis illud Satyr. 8. canere poſſim.

Quod modo propoſui non eſt ſententia: verum
Credite me: vobis folium recitare ſibillæ.

Iouen. Sat 8.

Indignitas me ſæpius ab hoc opere retardare potuit: etſi enim monachi habitum per non paucos annos geſtauerim, religioſam tamen vitam prophanus homo, deformatuſque monachus, ne degustaui quidem. Aliunde tamen aliqualis zelus religioſæ perfectionis, (quam in quibuſdam ex regularibus deſidero) comedit me, & quaſi cogens traxit, vt huic opuſculo manus adhiberem. S. Ephrem Syri verba ad ſimilem intentum, mihi aſcribo. *Labor, & dolor me ad loquendum, atque dicendum compellunt, verum indignitas mea ſilentium mihi imperat. Cordis mei dolores loqui vehementer vrgent, ſed peccata mea potius vt taceam ſuadent. Cum igitur vtrimque coarctet, loqui magis expedit, quam ſilere.*

S Ephrem in ſer. aſcetico de vita relig.

2 Ergo iam Sanctiſſimarum religionum rectam viuendi methodum carpam? Vel leuem notam Nazaræis noſtratibus inuram? Næuum religioſis hominibus, vel minimum impingam? Toto Cælo abſit. Minimè gentium. Quid ergo? Certe non aliud, niſi quod Mantuanus noſter quondam.

Religio, & pietas Patrum inſtaurata reſurgit.
Et veteri inſeritur bona virgula trunco.

Bapt. Mãtic.

Hoc eſt. Viam oſtendimus, qua pietas, & religio Sanctiſſimorum regularium progreditur. Simul quoque tramitem demonſtramus, quo deuii regulares incedent. *Vnde* (Verbis D. Bernardi ad ſimilem intentum vtar) *Non aduerſus Ordinem, ſed pro Ordine diſputare putandus ero, non Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo, quinimo gratum proculdubio acceptur*i

D. Bernar. Apolo. ad Guiliel.

accepturi sunt si persequimur, quod, & ipsi oderunt. Si quibus verò displicuerit ipsi se manifestant, quia ordinem non diligunt, cuius vtique corruptionem, & vitia damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est vt scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Ad hæc, cum Seneca teste. *Inuadat temperatissimos morbus, validissimos physis, innocentissimos pœna, securissimos tumultus*, mirum non erit, quod etiam perfectissimis religiosis casum formidemus. Quod præuidens Stagyrita Philosophus dixit. *Politiam non solum instituendam esse à principio, verum etiam subinde corrigendam.* Omnibus ergo antidotum religiosæ perfectionis propinamus. Piis, & Sanctis regularibus, præseruationis ergo; imperfectis autem, curationis etiam causa. Libeat ergo singulis pro singulorum salute labor assumptus. Zelus arrideat, vtinam secundum scientiam. Cum illo dicam.

Seneca

Aristo. 4. politic.

Locum date Sacra ferenti.

Non cum alio, qui monachorum vitia carpens, monachus, & ipse, acriter nimis hæc dixit. *Zelus domus Dei comedit me, quia opprobria exprobantium nobis ceciderunt super me. Nec ignoro non omnibus vobis placituram esse querimoniam dolentis, aut zelum arguentis, quia veritas odium parit. Sed, vt ait Origenes, non possum linire parietem lapsantem. Vtilius plerumque est quod scandalum sustineatur, quàm veritas relinquatur. Canis vulnus quanta potest asperitate lingit, vt curari possit. Medicus in sectione vulneris non attendit quid ægrotus temerè velit, sed quid curando vulneri necessarium sit. Petro Apostolorum Principi gentes iudaizare cogenti Paulus in faciem restitit, quia reprehensibilis erat.* Hæc ille. Ego autem cuicumque, etsi omnium minimo, quo minorem me censeo, libens, lubensque humiliter veniam peto; si quominus aliquid in hoc opusculo alicuius religiosi aures offenderit; cum tamen proficere, & non officere; bona spiritualia offerre, non auferre, mens, animus, intentioque nostra sit.

Iustus Cistercienſ. Abbas in biblio. t. 2. auctuarii.

QVAM NECESSARIVM SIT Religiosos omnes reformatè viuere ex Patribus ostenditur.

CAP. I.

MEDIA illa, rationesque viuendi, quibus, monasticus, regularisque status, iuxta antiquorum Patrum normam, exemplarque, reformandus, instituendusue sit recentiores; primùm illud inuestigandum occurrit; quidnam scilicet, ipsi Patres, monachorum antesignani, de aliquorum difformatione, defæcata vita, prauisque moribus sentiendum fore moneant. Vt, vel sic Religiosi omnes ad cor reuersi, verum tramitem disciplinæ regularis, monasticæque perfectionis, amplectamur; illis postpositis, quæ nos à tam sancto itinere declinare faciunt. Ergo ex Patribus quidam, miseram quorumdam Religiosorum cætuum cladem plorant: alii ipsorum vitia palàm retensent: alii causas difformatæ Religionis dinumerant: alti verò opprobriis, & pœnis tales dignos esse, grauissimè denunciant. Singulos ergo, iuxta ipsorum dignitatem, antiquitatemuè (quod moris nobis est) referemus.

2 Adstat primus S. Ephrem Syrus, Ecclesiæ priscorum Patrum iure meritoq; ascriptus, qui sui qui monachorum deprauatam vitam sic plorat. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum, vt deplorem indesinenter die, noctuque magnam relaxationem instituti nostri monastici, hac nostra ætate prob dolor, nimis inualescentē.* Et infra perditorū Religiosorū mores depingens, lamentatur sic. *Nostra institutio relictis vijs rectis, per precipitia fertur, & speras q; per vias incedit. Non est mitis, nō humilis, non quietus, nō disciplinatus. Nō est (inquā) qui cātumelijs, iniurijsq. affectus patiēter ferat: nō est qui maledictis, atq; cōuitijs vices*

S. Ephrē in ser. asc. de vita religi.

Idem.

referre non velit. At cæci contradictores ſunt; cæci iracundi, ac furibundi: cuncti indigniabundi: cuncti ſegnes, ac deſides; cuncti veſtium ornamenta ſectantur: cuncti vani ſunt, & inanis gloriæ cupidi; cunctique ſui amantes, &c.

Alio quoq; loco improborum regularium vitia ſic recenſet. *Aſpicio præſentis diſciplinæ negligentiam, & ferre nequeo; at cum Propheta doleō, qui ait: Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. Quæ enim nobis arma non intentauit inimicus, quibuſque fraudibus, ac dolis nos vincere, & occupare non eſt conatus?* Et poſt pauca hęc ſubiungit. *Speete quidem, & apparentia mundo renunciauimus, reuera autem, quæ mundi ſunt cupimus. Habitu monachi ſumus; ſed moribus crudeles quidem, & inhumani: habitu humiles, & moribus peſtiferi, ac ſcelerati, habitu Religioſi, & moribus exitioſi: habitu gratioſi, & moribus odioſi. habitu exercitatores ſeduli; moribus ignaui athletæ: habitu ſobrij moribus prædones: habitu pudici, animo autem adulteri: habitu modeſti, moribus, & pęcū re vagabundi: habitu mites, moribus arrogantes; habitu conſolatores, moribus contumelioſi: habitu conſiliarij, moribus obtrectatores: habitu ſimplices, moribus difficiles, & perniciosi: habitu ab inuidia alieni, moribus inuidi, & homicidæ: habitu defenſores, & ſuſceptores; moribus autem proditores.* Hæc & plura piiſſimus Ephrem ſui ſæculi nonnullorum monachorum vitia deplorans.

Idem aduersus eos, qui vitiosè viuunt, & honores, &c

3 Diuus quoque Hieronymus Eccleſiæ lumen, quorundam monachorum ſui temporis inordinatam vitam ſic recenſet in epiſtola quadam. *Vidi quoſdam, qui poſtquam renunciauerē ſæculo, veſtimentis dumtaxat, & voci profeſſione, non rebus; nihil de priſtina conuerſatione mutarunt. Res familiaris magis aucta, quam diminuta: Eadem miniſteria ſeruulorum; idem apparatus; &c.* Hæc, & alia ſanctiſſimus Doctor monachorum, Religioſorumque vitia retundens refert.

D. Hier. ep. 4

4 Ad hæc in Ioannis Caſſiani antiquiſſimi monachi collationibus de male abrenunciantibus ſæculo monachis ſic habetur. *Denique, quod pudet dicere, ita pleroſque abrenunciaſſe conſpicimus, vt nihil amplius immutare de anterioribus vitijs, ac moribus comprobentur, niſi ordinem tantummodo, atque habitum ſæcularem. Nam, & acquirere pecunias geſtiunt, quas nec ante poſſederunt; vel certe, quas*

Caſs. collat. 4. cap. 20.

habuerant

habuerant retinere non desinunt, aut quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant. Satis in hoc dolere se ostendit Cassianus, effrænatam vitam quorundam Religiosorum sui sæculi.

Clarus circa id æuum fuit B. Nilus Chrisostomi discipulus, cuius sensum, & verba ex *Ascetico in principio* Ricardus Hallus nobilis Theologus *in Lib. de propriet. monachorum in epist. dedicator.* veluti per paraphasim sic tradidit ad nostrum intentum: *Sed tamen neque nostris hoc solum monachis proprium est, quin tempore B. Nili similis per omnia morum corruptela extiterit, & olim cum adhuc Religio monastica vigeret, Sanctissimis quibusdam viris, longe antequam e ueniret, tale quid futurum esse præsignificatum sit. Beatus igitur Nilus cum primorum monachorum virtutes describi sisset, qui diuitijs paupertatem, vt sine animi distractione viuerent, præponebant, vt impetum frangerent cupiditatum, delicatis epulis tenuem, frugalemque victum præferentes, quolibet cibo corporis necessitati satisfaciebant, mollibus indumentis, vsuique non necessarijs reiectis, vt qui voluptatem humanam negligerent, simplici ac minimè operosæ veste, qua frigus à corpore arcerent induebantur. Mundam ignorabant, cum ab humanis essent perturbationibus remoti, apud eos non erat, qui magis alio, vel egeret, vel abundaret, qui iudicaret, aut iudicaretur: habebat enim quisque iudicem incorruptum, propriam conscientiam. Non erant apud illos alij diuites, alij pauperes, non liquefiebat alius fame, cum alius cruditate laboraret. Egentium enim inopiam, eorum qui abundabant benignitas explebat. Par inter illos ius, & æquabilitas, reiecta propter ditiorum cum tenuioribus communionem inæqualitas, imo verò tunc etiam erat inæqualitas, ex eo quod vt nunc propter insaniam alij alijs studeant anteferri, ita tunc humilitate alij alios vincere, & abiectiores esse contendebant, aberat odium, aberat inuidia, exulabat inanis gloria, exulabat arrogantia, omnes seditionis causæ erant sublatæ. Ad eiusmodi enim cupiditates erant velut mortui, atque omni sensu carentes; adeo vt ne in somnis quidem eas viderent. Cum enim ab initio memoriam eorum abiecissent, ex quotidiana exercitatione, propositique constantia talem animi habitum sibi comparauerat. Lucernæ erant profectò in tenebris fulgentes, & stellæ mini-*

Ricardus Hallus.

B. Nilus

mè errantes, quæ vitæ suæ splendore noctem illustrabant, ac veluti portus quidam tuti, qui profugium facile omnibus à cupiditatum tempestatibus ostendebant. Hæc inquam, cùm de laudibus priscorum Monachorum dixisset, de sui sæculi hominibus addit ad extremum: Verum accurata illa & cælestis viuendi ratio non aliter quam imago, quæ describentium negligentia paulatim in dies effecta deterior, ad summam dissimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exemplari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quique huic vitæ renuntiauerant, atque homines esse desierant, & deuictis cupiditatibus, ad cælestium illarum mentium naturam aspirare contendebant: rursum ad terrena negotia reuersi, turpibus occupationibus rectè viuentium diligentiam inquinarunt. Et qui virtute celebres esse poterant, propria segnitie infames euaserunt. Et qui aratri stiuæ manum admouerant, habitum grauem seruantes, propterea, quod retro conuersi sunt, & studiosè complexi, quæ obliuisci debuerant, apti regno Dei non extiterunt. Neque enim amplius apud nos frugalitas, ac vitæ simplicitas colitur, neque silentium, & quies, quæ vtilis est vt ab antiquis inquinamentis abstrahamur, sed negotiorum multitudo, quæ sollicitudinem à rectè viuendi proposito alienam adfert, in pretio est, & honore, rerumque terrenarũ cupiditati salutaria cesserunt instituta. *Hoc cum multis verbis, & quibus fieret modis explicuisset:* Quamuis, *ait,* id verbis non confiteamur, res tamen ipsa nos coarguit, quod hominum sæcularium vitiis delectemur, quandoquidem eadem sequimur instituta, ac magis etiam, fortassis in corporis occupationibus immersi simus, vt fere iam pietatem quæstum existimemus, & nullam aliam ob causam priscum illud, liberum, & beatum vitæ genus excolamus, nisi vt ex ficta Religione laboriosa ministeria fugiamus, & genio indulgendi licentiam nacti, sine interpellatione arbitratu nostro nos oblectemus, magna cum impudentia simplicioribus, & superbioribus nonnunquam insultantes, quasi virtutis studium non humilitatis, & modestiæ; sed tyrannidis materiam subministret. Inde factum est, vt abiis a quibus nos coli oportebat, tanquam importuna turba despiciamur, & vicinis atque obuiis hominibus in foro mixti, ludibrio simus, vt qui nulla re cæteris, vt æquum erat, præstemus, nec eximia viuendi ratione, sed tantum habitu differamus, &

ramus, & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quę debetur virtuti; cum labores quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis personam dumtaxat tanquam in scena geramus. Et hodie non desunt, qui grauem hunc habitum sumant, cum animæ maculas nondum abluerint, nec veterum peccatorum notas mentibus suis impressas exemerint; sed eas adhuc impudicis cogitationibus foueant, cumque nondum mores ad id quod professi sunt accomodauerint, & diuinæ philosophiæ scopum ignorent, pharisaicum tamen supercilium tollunt, sibique placent tanquam solo habitu virtus acquiratur, circumferunt instrumenta, quorum artem non didicerunt, & quam ne summis quidem labris gustarunt scientiam habituque profitentur. Ex quo fit, vt qui portus, & templa Dei, & oues esse debuerant, scopuli, & sepulchra dealbata, & ad eorum quos deceperunt perniciem lupi deprehendantur. *Hactenus Beatus Nilus luculentissimas ille quidem, vt omnia, Qui non tam suorum temporum corruptissimum statum, quam nostrorum graphicè descripsisse videtur.* Hactenus etiam & Ricardus Nilo suo omnimodè subscribens. Quæ eò retuli, vt luce clarius innotescat in area Christi (Religionem dico) fuisse semper granum, & paleam, frumentum, & aristam, triticum, & zizaniam, bonos inquam, & magna laude dignos, prauos quoque, & reprehensibiles quosdam.

5 Idem prosequitur intentum Beatus Isidorus: aliquorum etenim monachorum lamentatur sic crimina. *Multos monachos cenodoxiæ morbus commaculat, multos abstinentia inflat, extollit scientia. Faciunt enim bona, sed propter famam: non propter vitam æternam, scilicet, vt, aut affectent gloriam laudis, aut perueniant ad fastigium desiderati honoris. In his sæpius discordia oboritur, inuidiaque liuor de fraternis profectibus gignitur, amor temporalium rerum grassatur, sequenter terrenas concupiscentias tanto inaniter, quanto sæpius, vt ante humanos oculos impudenter. Tales itaque nequaquam monachi vocitandi sunt; quia Deo sola professione, non actione coniunguntur.* Miseram improborum Regularium vitam limato penicillo depingit. Isid. lib. 2. de offic. c. 6.

6 Nec minus acriter dulcissimus Pater S. Bernardus monachorum vitia sæpius carpit, arguit, & reprehendit. In ser-

mone

D. Bern. ſer. 15. in cœna Domini.

mone enim quodam ſic habet. *Sunt quidam in monaſterio morbo phrenetico laborantes, ad iram prompti, ad odium feſtini. Qui pruriginem cordis per ſcalpedinem linguæ trahunt ad ſcabiem cutis, mente corruptí, vagi, & inſtabiles, circumoculiones (forſan circumcelliones) ſuſurrones, gulóſi, murmuroſi, inuidi, tumidi, & elati, Deo de bonis collatis ingrati. Adæ prævaricantis pellicia veſtiti, illius veſtimento ſalutis nudati, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Iſti pelliculam veterem retinent, & fronte polita aſſutam rabiem portant ſub pectore vulpem.* Et inferius. *Adhuc te alloquor ô monache, ô homo velox es ad menſam, tardus ad eccleſiam, potens ad potandum, ſed ager ad cantandum, peruigil ad fabulas, ſomnolentus ad vigilias, proœax ad loquendum, ſed mutus ad pſallendum, promptus ad iram, & detractionem, tardus ad orationem: inuidiæ amator, Chriſti perſecutor, feſtucam reſpiciens, trabem non conſiderans, cæteros reprehendis, teipſum non corripis; malitiæ inuentor, diſciplinæ deſtructor, amicus vitiorum, inimicus virtutum.* In Apologia quoque ad Guilielmum Abbatem monachorum ſtragem ſic plorat. *Quis in principio eum Ordo cæpit monaſticus ad tantam crederet monachos inertiam deuenire? O quantum diſtamus ab his, qui in diebus Antonij extiterunt monachi?* Et infra. *Sic Macharius vixit? ſic Baſilius docuit? ſic Antonius inſtituit? ſic Patres in Ægypto conuerſati ſunt.* In Epiſtola etiam quadam ſic habet. *Quo iſta, ô monachi, vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis unquam probatorum monachorum, tale quid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo?* Et infra. *Labor, & latebra, & voluntaria paupertas hæc ſunt monachorum inſignia, hæc vitam ſolent honeſtare monaſticam. Veſtri autem oculi omne ſublime vident, veſtri pedes omne forum circumeunt, veſtra lingua in omnibus audiuntur conſilijs, veſtræ manus omne alienum diripiunt patrimonium.*

Idem in Apol. ad Guliclm.

Epiſt. 42.

Multa hic, & alibi S. Bernardus plena lamentis de ſui temporis religioſis protulit.

Hugo Victor.

7 Ad hæc celebris author Hugo Victorinus, quondam ſic dixit. *Sunt quidam religioſi mente vagi, oculis attoniti, moribus diſſoluti, plana parietum inſpicientes; aliud cantant, aliud cogitant. Corpore ſunt in Choro, mente in foro. Nunc intus, nunc foris diſcurrunt. Pſalmodiæ verba proferunt,*

runt, sed sensum non aduertunt. Explicans quoque illud Threnorum quarto. *Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum*, prauorum Sacerdotum, regulariumque moribus sic accommodat: *Qui sunt isti lapides sanctuarij dispersi in capite omnium platearum, nisi Sacerdotes Christi, & ministri sacri?* Et postea. *Idem dispersi plorantur, quasi lapides sanctuarij in capite omnium platearum, quia dum per vitam, & orationem intus esse in contemplatione Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant*. Et post hæc improborum monachorum mores sic luget. *Ecce iam penè nullus est secularis vitæ actio, quam Sacerdotes Christi non administrent, nulla mundi negotia, in quibus ministri altaris se non occupent, nulla rerum improbitas, qua monachicus Ordo se non implicet, penè nulla illecebrosæ vitæ blanditiæ, quas se eas litas Sanctimonialium non maculet. Sanctuarij ergo lapides dispersi sunt in plateis cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur*. Satis hisce declarat Hugo multorum monachorum, regulariumq; vitia lamentationem lachrymosam expostulare.

Thren. 4.

Hugo. 2. de c'austro. c. vltimo.

8 Accedit celebris ille Abbas Ioachim, qui à pluribus spiritu prophetico clarusse creditur. Ipso ergo spiritu, aut experientia ductus multa protulit in commentariis super Apocalypsim, quibus sui temporis, & futuri statum monachorum plorat. Legatur circa illud cap. 3. *Scio opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es*. Quæ verba improbis monachis accommodat; sicut, & illa eiusdem capitis: *Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ hora*. Maximè verò circa illa capit. 6. *Et stellæ cæli ceciderunt super terram*, sic habet de monachis deprauatis. *Huiusmodi monachorum caliginem deplorabat Hieremias Prophetа, quando in persona Ierusalem lamentabatur dicēs. Candidiores erant Nazarei eius, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, zaphiro pulchriores: denigrata est cutis eorum. Quasi enim niue candidior, nitidior lacte nazareus est, cum is, qui ad vitam contemplatiuam obseruandam accedit in eadem claritate mentis, & serenitate consistit. Sed veluti extinctus carbo, nigra efficitur cutis eius, cum pro eo quod a mundanis curis abstinere cogitur, contristatus intedit, & cōcepta in secreto malitiam in aperto demonstrat.*

Abb. Ioachim in apoc. 3.

Et

Et infra. *Vnde, & per eundem prophetam dicitur. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Obſcuratur aurum, cum ſplendor vitæ contemplatiuæ in Ordine monaſtico inaneſcit. Mutatur, & color optimus, cum hi qui poſiti ſunt adſpeculanda cœleſtia, inhiare incipiunt lucra terrena. Diſperguntur lapides ſanctuarij in capite omnium platearum, cum hi, qui proſe, & pro alijs tenere debuerant arctam ſemitam, qua itur ad vitam diſperguntur per latas vias, quibus itur adperditionem.* Alia multa in dicto libro reperio, quibus etſi nouum quendam Ordinem monaſticum futuris temporibus venturum commendet, monachiſmi tamen præſentis lapſum deplorat.

9 Optimè quoque ad idem intentum ſeraphicus Bonauentura de prauis Religioſis, deprauatiſque religionibus ſic loquitur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis imbrem lachrymarum, vt die, ac nocte plorare valeam Perfectorum ſtatum quaſi ad nihilum iam redactum. Nam terra culta diuinis conſilijs, & Chriſti exemplis, ſpinas, & tribulos germinat pro frumento.* Breui compendio rem totam peregit ſeraphicus Bonauentura.

D. Bonauentura in ſtimulo am. c. 11.

10 Sanctus etiam Antonius Paduanus Minoritarum decus, non minus grauiter plurium regularium vitia carpit in ſermoue de Sexageſima. Explicans ergo illud Hieremiæ 18. *Nunquam deficiet nix de petra agri*, ſic loquitur ad intentũ. *Ager eſt Eccleſia; petra agri religio ſupra petram fidei fundata; nix eſt munditia mentis, & corporis, quæ nunquam debet deficere de religione. Sed heu quantæ ſciſſuræ, quanta ſchiſmata: quantæ diuiſiones, & diſſenſiones ſunt in petra, ideſt, religione, ſuper quam ſi ceciderit diuini verbi ſemen, non fructificat, quia non habet humorẽ gratiæ Spiritus ſancti. Verè vbi ſciſſuræ, ibi lis in Capitulo, diſſolutio in Choro, murmuratio in Clauſtro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Et infra de diformatis religioſis ſic loquitur. *Sanctli videri volunt, ſed eſſe nolunt. Proh dolor, religio, quæ deberet ſeruare ſpecies virtutum, aromata morum, deſtruitur, & efficitur forenſis apothecaria. Vnde vel deplorans ait: Demolita ſunt horrea, ideſt clauſtra canonicorum, diſſipatæ ſunt apothecæ, ideſt abbatiæ monachorum.* Et inferius. *Ecce habes, quod ex confuſione tritici,*

Hiere. 18.

S. Anton. Paduan. in ſer. Sexag.

Idem.

ideſt

ideſt defectu charitatis deſtruitur apotheca totius religionis. Hæc cum aliis S. Antonius in dicta concione monachorum vita carpens, & plorans. Idem.

11 Eadem quoque regularium vitia lamentatur Dacrianus Abbas in ſuo ſpeculo monachorum ſic loquens. *Væ, & iterum væ peruerſis; tepidis, negligentibuſque monachis, qui ſtatus ſui reuerentia contempta, votiſque violatis, in corporis, vanitatis, & paſſionum ſterquilinio iacere non erubeſcunt, neque formidant.* Alia inſuper ad hoc intentum ex hoc pio authore capite ſexto huius opuſculi adducemus. Dacrian. in ſpec. 4. 5. biblio. thec.

12 Iungam his Patribus S. Laurentium Iuſtinianum, qui in opere de compunctione, & planctu, ſacerdotum, & religioſorum caſum ſic plangit. *Heu quam rarus in præſenti generatione reperitur, qui cupiat eſſe perfectus. Sequuntur vt in plurimum voluntates proprias. Quæ à ſanctis dicta, vel geſta ſunt, impoſſibilia arbitrantur, perficere non curãt, ſe emendare diſſimulant, conſuetudine ducuntur, linguam minime cohibent, continere ventrem expaueſcunt, omne eis licere putant, quod ipſis libet, vix compunguntur, ab oratione veluti à flagello fugiunt.* Et inferius ſic inquit. *Multiplicatus eſt talium numerus, ſed non eſt magnificata lætitia, imo in luctum conuerſum eſt gaudium. Quomodo temporibus iſtis religiones declinauerunt, quæ per tranſacta florebant curricula, optimè ſentiri poteſt.* In libro quoque de obedientia, eorumdem religioſorum lamentabilem a priſcorum vita receſſum ſic recenſet. *Sunt multa cœnobia (& vtinam non numeroſiora pars,) quæ non Sanctorum habitacula, ſed latronum ſunt dicendæ ſpelunca, ſpectacula dæmonum, & officinæ vitiorum. Vbi enim quiſque priuata quærit commoda, pecunias cumulare non deſinit, nec curat vtrum quis fratrum ſuorum patiatur famem, frigore crucietur, infirmitate langueſcat. Ibi proculdubio religionis deſtructus eſt cultus. Vbi inquam viget impietas, & negligitur fraterna dilectio, vbi impellente cupiditate fiunt ſacra venalia, rapinæ clam exercentur, diſſeminantur rixæ, iurgia frequentantur, concipiuntur æmulationes, detractiones, obloquutiones, & mendacia proferuntur; ibi prorſus deeſt timor Dei, zelus animarum, charitatis bonum, proficiendi deſiderium, contemptus ſui, orationis guſtus, religionis de-* D. Laur. Iuſtin. de Fletu, & planctu. Inferius. Idem in lib. de obed c 19.

lectatio, dulcedo virtutum, conſcientiæ pax, æternorum ſpes, & futuri iudicij metus. Hæc interalia S. Laurentius Iuſtinianus ſui temporis depraua tam monaſticen plorans, qui ſolus pro causa quam tuemur patronus ſufficeret.

S. Brigit. l. 4. reuel. c. 33.

13 Beata quoque Brigitta, fœmina ſanctiſſima, cœleſti lumine diuinarum reuelationum illuſtris, difformationem religionum ſæpius plorat. Ex libro 4. reuelationum pauca hæc intentui noſtro congruentia excepi. *Iam triſtitia eſt, religioſorum regulas cernere mutatas indeteſtabiles abuſiones, & minimè teneri, ſicut Auguſtinus, Dominicus, & Franciſcus ex inſpiratione Spiritus ſancti dictauerunt.*

14 Adeſt præterea notabilis quædam è cælo facta reuelatio grauiſſimo authori Dionyſio Carthuſiano, ſanctitate celeberrimo, ſapientiæque decore fulgentiſſimo. *In Dominica ergo tertia poſt Paſcha*, prout in eius vita habetur) raptus in cœlum, more ſibi ſolito, cum pro Eccleſiæ felici exaltatione, hoſtiumque oppreſſione, affectuoſiſſimè deprecatus eſſet Deum, repente ex perſona Eccleſiæ, auribus eius interioribus hæc vox inſonuit, dicens. *Audi fili mi, voces, & gemitus matris tuæ; perpende ſingultus, & lamentationes doloroſiſſimæ, fideliſſimæ, & affectuoſiſſimæ matris. Pungunt, & penetrant me intolerabiles, amariſſimique dolores, ipſis quoque inferni doloribus, quodammodo grauiores. Qualiter putas me excruciari, affligi, imo doloribus abſorberi, dum recolo qualis fuerim olim, quam glorioſa, potens, & inclyta, omnibus diuinorum chariſmatum affluentijs decorata, toto orbe terrarum longè, ac latè diffuſa, ſanctis prælatis undique fulgens, ſtrenuiſſimis, ac virtuoſiſſimis principibus gaudens, & per eos de aduerſarijs meis præclarè triumphans, innumerabilibus turmis deuotiſſimorum religioſorum vtriuſque ſexus corruſcans, collegijs quoque innumeris, & conſtitutis perſonis in ſacris ordinibus, in timore Dei, & obſeruantia regulari conuerſantibus perornata. Inſuper in quatuor mendicantium ordinibus gloriabar, in quibus abundaui perſonis litteratis, ac feruidis, regulariter, exemplariterque viuentibus, per quos ſaluberrimè fructificaui ad conuerſionem, profectum, ac beatitudinem plurimorum. Sed heu, heu, heu, iam omnia ſunt euerſa, deformata, & lapſa. Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. Et ego ipſa olim tam gratioſa, & pulchra,*

Vita Dionyſ. Carthuſ. ad finem 4. lib. ſentent.

tam

tam potens, ac splendida, deformis effecta sum, exanguis, & hispida, egena, infirma, & conculcata, atque ad angulum occidentis redacta, & coarctata. Hæc sunt verba Ecclesiæ Sancto viro Dionysio per diuinam reuelationē patefacta. Ex ipsis vero liquidò innotescit quantum malum, quam que plorandum sit religiosas personas deformatè viuere.

15 Hanc forsan ob causam idem pius author Dionysius non semel, sed sæpius monachorum vitam reprehendit. Ser. 5. de Pascha sic loquitur post alia. *Heu quid dicam, quia post confessionem, post celebrationem, mox ad pristinas leuitates, loquacitates, risus, negligentias, incustodiam cordis, sensuumque redimus? Vbi est timor Dei, vbi veræ contritionis indicia, vbi dignissimi sacramenti fructus, gratia, & effectus? Sic imus de die in diem, & forte macilentiores, & aridiores, &c.* Item serm. 5. de octaua Paschæ. *Proh dolor, multi sunt religiosi, solo corpore de mundanorum hominum habitatione, consortioque regressi; quorum conuersatio non est in cœlis, sed mentis distractione discurrunt per vasta ternarum, & vanis affectionibus detinentur in terris. Corporaliter sedent in cœnobio, & mentis occupatione versantur in mundo. Imo per cogitationes inutiles, per varias passiones, per terrenas cupiditates, curiositates, euagationes, mundum in se tenent ineluctum. Hi sunt, qui sæcularibus delectantur rumoribus, mundanorum hominum confabulationibus, qui non amant nescire, imo per scripta, per munuscula, per salutationes, per varios modos extraneorum sibi mercantur notitias, reputationes, fauores, ac munera, &c.* Adhæc in serm 5. de Dominica 1. post Trinitatem tam acriter reprehendit aliquorum monachorum vitia, vt ea referre piis religiosis contumeliosū appareat; ac pro ip de libens omitto.

Idē ser. 5. de pasc.

16 Audiatur insuper B. Thomas de Villanoua nostri sæculi, Hispaniæque decus, Augustinianæque familiæ ornamentum singulare. Hic ergo Sanctissimus Pater æui deformatam religionem sic plorat. *Vbi nunc in religionibus illa puritas? illa innocentia? illa sanctitas? vbi illa deuotionis feruor? illæ pœnitentiæ rigor? vbi solitudo illa? abstinentia illa? modestia illa? vbi vestis neglectus? mundi contemptus? Iustitiæ zelus? Væ nobis, quia solum nomen vacuum religionis, tonsuram, & habitum gestamus, delicioſi, delicati, superbi*

B. Thom. de Villanoua in serm. de D. Ioanne Baptista.

perbi, voluptuoſi, inquieti, vagi, tepidi, ſine ſpiritu, ſine deuotione, negotiatores, detractores, deambulatores: facti ſumus ſicut populus, non tamen ſicut populus iudicandi. Hæc ſanctiſſimus pater nouiſſimorum monachorum vitia referens; ſimulque, quam deplorandus ſit ipſorum ſtatus ſatis innuens.

Tho. Cāpen. 3 p. ſerm. ad nouit. ſer. 1.

17 Deuotus quoque, pius, & grauis auctor Thomas Campenſis improbos religioſos infamibus proſequitur encomijs, eorumque miſerrimum ſtatum ſic luget. *Væ vagis, & diſſolutis monachis, ſolo nomine, & habitu religioſis, qui crucem ſuam cum murmure portant, & inuitè obediunt, cellam malè cuſtodiunt, ſilentium leuiter frangunt, labores fugiunt, otia diligunt, orationes breuiant, fabulas prolongant, ad exteriora proni, ad interiora pigri, ad cogitandum bona torpidi, ad penſandum mala procliues, ad edendum, & bibendum alacres, ad ieiunandum triſtes, ad increpandum faciles, ad ſuſtinendum debiles, ad honores cupidi, ad humilia verecundi, à rigore diſciplinæ auerſi, & ad laxiora ſemper inclinati.* Dixerat autem ſuperius de illis. *O quam longè ſunt iſti à ſummo bono, a dulcedine Dei, a melodijs Angelorum, a ſemitis iuſtorum, a ſanctitate religioſorum, & a ſpirituali gaudio deuotorum.* Recenſet rectè deuotus hic Pater improbotum monachorum quotidiana vitia, ſimulque eorum caſum piè lamentatur.

Trithem. hom. 2, ad monachos

18 Grauis quoque author Benedictinus Abbas Ioannes Trithemius in ſermonibus, & homilijs ad monachos, ſæpius illorum vitia carpit, mores reprehendit, & miſerum eorum ſtatum luget. Ex homilia autem quadam pauca hæc excepi, quibus ſuam circa præſentem cauſam mentem exponit. *Video quoſdam, è vobis ſacras abhorrere lectiones, vanitatibus deditos, & nihil minus curare, quam ſpiritualis militiæ perfectionem, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione. Exiſtimatis nè viliſſimi nebulones, qui nihil ſpirituale ſapitis, quod Chriſtus iterum venturus ſit, vt ea vobis loquatur, quæ prædicatoribus ſuis dicenda commiſit?* Quaſi ex vngue leonem ex paucis his verbis, quam acriter de depranatis regularibus ſentiat, abundè ſatis expreſſit Trithemius.

Petr. Blō. in opuſc. Dion. Car. de inſt. no.

19 Ad hæc religioſus pater Petrus Blomeuena grauiſſimi Carthuſianorum inſtituti alumnus, depravatorum monachorum

nachorum ſic recenſet vitia, vt ex opuſculis D. Dionyſij Cartuſiani habetur. *Videmus plerumque quotquot in religionum inſtitutis, aut non proficiunt, aut minime perſeuerant, malo fine concludi, ſuperbia agitari, viam humilitatis, veritatisque aſpernari, monita pietatis deſpicere, indigne ferre pro exceſſibus emendationem, ſemper ad omnem auræ flatum mobiles, ſemper turgidos, ſemper magiſtris inobedientes, ſemper rebelles lumini ſempiterno. Vnde fit, vt continuè ſe ipſis efficiantur deteriores, terreni, frigidi, aridi, vani, inſipidi, tenebroſi, capitoſi, animales, pueriles, magni, & glorioſi in oculis propriis; & fœri in oculis Dei. In quos Diabolus poteſtatem accipiens, variis eos tentationibus agitare non ceſſat.* Religioſos deprauatæ vitæ, ſatis veraciter depingit hic author, eorumque miſerabilem ruinam omnibus lamentandam proponit.

20 Adhæret his Patribus, grauiſſimiſque authoribus Ioannes Lanſpergius Carthuſianus monachus, qui in ſermone quodam de ſolemnitate omnium Sanctorum, & in ſermone tertio, & feſto S. Hugonis, in plurium religioſorum coetu multis inuehitur: maximè in ſermone quodam habito ad Patrum congregationem, miſeram aliquorum regularium ſortem referens, talia dicit, qualia, vix credi queant, aut apud aliquem Catholicum authorem reperiri poſſint. Eius verba fideliter referam, eo ſolum animo, vt noſcatur, quantum pius iſte religioſus, labefactatum monachorum ſtatum (quando talis fuerit) deplorandum cenſeat. *Periit* (inquit) *religio, periit regularis honor, parumque abeſt hodie apud nonnullos, vt monachum non recenſeant inter Chriſtianos. Non minor eſt hodie monaſtici nominis ignominia, & perſecutio, quam fuit olim gloria. Contemnuntur, illuduntur, ſpoliantur, & quaſi ſacrificium in hoc fiat Deo, modis omnibus perſecutio illis infertur.* Gauderem ſanè iſta ſolum de monachis temporis huius authoris verè eſſe, ſed de noſtri quoque temporis regularibus, non tam propter eorum diſformatam vitam, quam propter plurium ſæcularium impiam nequitiam, verificari, proh dolor, experientia clamat. Subiungit Lanſpergius. *Verum tanta hæc calamitas, Patres colendiſſimi, vnde in nos, vnde tanta venit deſpectio? Non aliunde profecto, vt reor, quam a Deo. Quam multi enim a primo noſtro feruore excidimus. Quam multi*

Io. Lanſperg.

multi a prima charitate lapſi ſumus. Certum eſt quam vbique defloruerit, labefactataque ſit religio: apud nonnullos extincta penitus. Poſt alia quoque notatu digna hæc addit.

Idem. Non abſque gemitu loquendum eſt, ac veſtra, ac bonorum omnium pace. Tanta erat apud religioſos, & hodie apud pleroſque tanta eſt tepiditas, tanta diſſolutio, tanta diſcordia, tantæ, vt ita dicam, partialitas, tanta denique in eis vigebat paſſionum malarum, ac vitiorum immortificatio, & proprius amor, vt bonorum etiam quorumuis nomen offuſcarit. Deinde ſi eorum vitam omnem ſpectaueris, præter externa, quædam in veſtibus religionis ſigna, nihil offendi, nihil poterat audiri, quo mundanis hominibus præſtarent. Quid igitur mirum, ſi Dominus pariter nos omnes det in ſibilum, in ſuporem, in opprobrium, & (quod non ſemel minatus eſt) in direptionem cunctis gentibus? Quid inquam mirum, ſi prophanis hominibus, & honore, & nomine, nos inferiores habeat? Quandoquidem mundanis hominibus Deo deuotis, quotus eſt monachorum, qui deuotione, pietate, ac moribus præſtet?

Idem. 21 Nec his contentus, quaſi non ſufficerent, alia ſubiungit. Iterum ne cogor meum vobis luctum offerre? Quotus quæſo eſt in qualibet domo, de quo verè hodie prædicari poſſit, quod ſit vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, ac recedens a malo. Quotus eſt hodie in pleriſque locis, qui non pro cibo potuue cum Iſraelitis contra Moiſem, ideſt prælatum obmurmuret, qui non ſuo detrahat, vel inuideat prælato, qui denique malum aduerſus proximum ſuum non cogitet. Qui ſuo obedientiam, ac amorem ſinceriter Priori impendat, aut qui non machinetur aliquid mali in corde ſuo? Taceo, quod poſt concupiſcentias noſtras multi imus: & vbi nobis leuiſſimum foret deſideria noſtra frangere, ibi fatigamur, immortificationem noſtram vbique in collo circumferentes, hoc vno turpi verbo plerique excuſantes. Non eſt (inquiunt) hoc mortale peccatum. O ſi Dei, vel cuiuis ineſſet timor, ſi diuinæ præſentiæ æſtimatio, nulla occurreret ei diſputatio, mortale ne, an veniale eſſet peccatum, quandoquidem vnum perinde, ac alterum vitaremus: quippe cum nullum ſit peccatum, quod

Idem. non execretur Dei timor. Adhuc inferius. Plangite nunc patres ſuper filios veſtros, in quibus ſanctus Dei timor, aut receſſit, aut friget. Plangite, quod pro bona parte, etiam

inter

inter nostrates, contentio, susurria, inuidiæ, æmulationes, animositates, interdum reperiuntur atque iurgia. Nonnullos habetis carnales, animales plures, spirituales (vt vereor) non habetis multos. Plures habetis, qui de otio, de somno, de cibo, potu ve, de vestitu, de domus negotijs, de fratrum defectibus, atque de suis inter se adinuentionibus (vt cætera prætream) sciunt, loquuntur, aut cogitant. De his (formido) bona pars est Ordinis. Sunt alij, qui solutis vtcumque horis, & Ordinis debitis, deinceps externis suis vacant, nihil prorsus de internis, parum de meditatione, aut contemplatione, parum de oratione mentali, aut exercitijs spiritus scientes. Hæc & alia grauis author Carthusianus, quibus miserandum statum depranatorum regularium sui æui lamentatur.

22 Nec omitti iure possunt, quæ Ioannes Nider Ordinis Prædicatorum in suo de reformatione religiosorum opusculo exarata reliquit. Ea verò declarant satis quantum mali sit deformata religio, quotquæ crimina à deformatis religiosis committantur. Sic ergo loquitur. *Sed heu, religionis forma decentissima penè iam in multis perdita est religionibus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Filij Syon inclyti, & amicti auro primo; quomodo reputati sunt in vasa testea? Et quamuis plus flere liberet, & flere, quam aliquid dicere: tamen cum Isaia cap. 1. zelo Domus Dei cogor clamare. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Derelicta est filia Syon, sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, sicut ciuitas, quæ vastatur. Vides enim, si deformatum intras monasterium, in quibusdam sicut in Cayn fraternam inuidiam; in alijs Lamech incontinentiam; in alijs filiorum Cayn auaritiam; in alijs cum Cham paternam irridere insufficientiam. Quosdam cum Nemroth primatum appetere; alios corrixari cum pastoribus Lotb, alios Ismaeli similes Isaac domesticũ contemnere; alios cum Esau gulosos, Iacob irridere propter paternam obedientiam. Et quod deterius est, quosdam qui Ioseph imitari student innocentiam, accusari per inuidos apud patrem crimine pessimo. At si exterioris hominis in monacho, vis deformitatem aspicere, reperies intus cœnobij supposita,*

Io. Nider opusc. de reformatione.

posita, in capitis vertice tonsuram indebitam, in visu petulantiam, in lingua effrenem, in ore gulosum, in manu instabilem, secularem vestitu, mimum risu, ac incessu, velut militem, & vt verbis, vtar Hugonis venerabilis: In deformato monasterio omnia reperies, per quæ religionis forma corrumpitur. Quia ibi prælatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus cauſidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro; & circa altare irreuerentia. Si vero aliquis formam religionis antiquæ inter peruersos renouare gestiat per bonorum operum exercitia, vix credi potest; quanta talis sustinere habet opprobria a maleuolis. Quia vt beatus Bernardus ait in apologetico, a talibus parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Et è contra, remissio discretio creditur, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum, & equorum fastus honestus, ac lectorum superfluus cultus reputatur munditia. Dicere potest quisque deuotus religiosus, quem zelus domus domini comedit, præfatas deformitates intuens. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte, interfectos filiæ populi mei. Hæc, & alia pius, & grauis religiosus de prauatis regularibus sentiendum plorandumque censuit. Vtinam veridicus numquam crederetur.

Bellarm. l. 2 de Gemitu Columbæ.

23 Claudat agmen Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, qui in suo illo verè pio, aureoque libello de gemitu columbæ, inter potiora mala Ecclesiam Dei labefactantia, ploratuque digna religiosorum relaxationem recensuit capite sexto. Vbi sic loquitur. *Ordines religiosi, quemadmodum in suis bonis membris, materiam præbent fidelibus omnibus gloriandi, & Deum laudandi, sic etiam contra, in membris malis, fontem nobis aperiunt inconsolabilium lachrymarum. Verè enim scripsit S. Augustinus: non se vidisse meliores ijs, qui in monasterijs profecerunt, neque deteriores ijs, qui in monasterijs defecerunt. Regulares enim similes esse videntur ficubus Hieremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant bonæ valde, & quæ malæ, male valde.* Post alia hæc subiungit. *Multiplicari cæperunt regulares sine numero, & multi non à Deo vocati, ad statum perfectio-*

nis, sed alijs rationibus adducti, monasteria, repleuerunt, & impletum est illud Isaiæ nono. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Inde natæ sunt scandala grauia, & multiplicia omnibus nota, quæ materiam uberem præbent columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum Religiosorum. Post alia refert tremendam valde visionem, seu reuelationem S. Pachomio factam, ex qua miseram sortem, miserandamque cladem plurium religiosorum, simulque causas relaxationis illorum nõ inneptè colligit. Vide apud Dionysium Exiguum Abbatem Romanum cap. 45 historiæ S. Pachomii. Ex ea vero, dictis quoque, simulque dicendis, liquidò innotesceret, quam necessùm sit religiosos omnes, piè, reformatèque viuere, vtpote, cum illorum relaxationem sancti Patres, aliique grauissimi Doctores inenarrabilibus lachrymis, lamentisque prosequantur.

24 Ne tamen aliquis prauo malignitatis spiritu ductus ea, quæ Patres, & Doctores relati sancto Religionis zelo dictitarunt, in prauum sensum retorquens, eò ab eis scripta, autumet, vt splendidissimum Religionis sacræ statum, vel leui nebula obnubilent, præterdicenda cap. sequenti, vbi ex ipsorum mente ostendemus monachismum selectiorem Ecclesiæ partem (excipe Episcopalem dignitatem) esse, summis laudibus dignam, Orbi pretiosissimam, virtutum, & perfectionis exemplar; alia in præsenti pro antidoto veluti cõtra virulentam hanc existimationem subiungere operæ pretium est. Et in primis id, quod pius, & celebris author Dominicus Grauina Dominicanę florentissimæ vineæ frugifer palmes in suo *Vox turturis* opere nuncupato in præfatione cum Nouatoribus differens scripsit hic apponenda. *Quare non est, quod illis nebulonibus suffragetur, si obijciant quod à quibusdam Ecclesiasticis tractatoribus, tum veteribus, tum recentibus claustralis disciplina relaxata deploretur. Nulla enim est, quamuis lassata, & defatigata Congregatio, quæ (vt B. Matri Theresiæ in eius vita reuelatum est) magno non sit Ecclesiæ adiumento. Bos lassus fortius figit pedem (scripsit Hieron. epi. ad Aug.) Et in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt Hæretici (dicit Augustinus lib. de Vnit. Eccl.) id est in Israel; fuerunt Sancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, vt de alijs taceam: Vnde* Dominicus Grauina.

& ſe ſolum Dei ſeruum exiſtimantem cum diceret: Relictus ſum ego ſolus: blanda obiurgatione à Domino reprehenſum legimus, dicente Domino: Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curauerunt genu ante Baal. Subiungit, & alia congrua intento, quibus diuerſiſſimam eſſe Catholicorum ſcribentium, ac garrulorum detractorum mentem eſſe notat. *Porro ſcribentium Catholicorum intentio à malignantium fine longo interuallo ſecernitur: illi enim ſcribũt, aut loquũtur, vt medeantur; hi obloquuntur, vt criminentur: illi cõmiſerando, hi ſubſanando: illi aliquot; hi omnes perditos pronunciant: illi inſtitutum laudantes in aliquorum perſonas inuehuntur, iſti viros cum inſtituto inuoluunt. Aliud eſt ergo, quod agitur typo calumniæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Dices interdum in nonnullis tractatoribus eſt exceſſus: nã & Petrus Venerabilis l. 4. epiſt. 8. quendam Antiſtitem reprehendens, quod è publico ſuggeſtu Cluniacenſes Monachos ſugillaſſet, ait: Non ita Epiſcopus Auguſtinus vera, vel falſa fratrum mala populo prædicauit, vel in ſuis ſcriptis prædicanda mandauit, cum dixit, Vbi oritur peccatum ibi moriatur, ne ad plures eius notitia, quam correctio extendatur. Tranſeat. Sed in hoc exceſſu, etiam ſupereminet charitas: & quidẽ virga eorum correctio; ſed quæ conſolatur; amor: ſed non emolliens; zelus ſed non immoderatè ſeuiens pietas, ſed non pluſquam expediat parcens.* Subiungit, & alia non minus congrua. *Non ergo mirandum eſt de doctiſſimorum, & virorum pientiſſimorum exceſſu, cum in Eccleſia columnis ſimilis obſeruetur, quem nihilominus abſorbet charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Adde & Patres non de omnibus, ſed de aliquibus, paucioribus forſan, vel minoris notæ, ſeu forſan maioris, quia ab aliis notati ſunt, locutos fuiſſe.* Quod præterdicenda in ſequentibus ſatis oſtendit tolatus pater Grauina dum in ſua illa turcuris voce de florenti vſque ad hæc noſtra tempora Monachorum Mẽdicantiũ, & aliarum ſacrarũ Religionum ſtatu diſertè diſputat dicẽs. *Non eſt vinea iſta Religioſorum, ſicut vineã illa viri ſtulti à Salomone deſcripta, quam totam repleuerant ſpinæ, & vrticæ, cum tot flores delegerimus, cum tot fructus collegerimus. Præclarè Sanctus Auguſtinus in pſalm. 47. illã vocem impiorum dicentium, quod in Eccleſia, Vix inuenitur vnus, vel duo; ſed pauciſſimi boni, ſic confutat. Non audiamus*

tales

tales voces, ne putemus paucos esse istos; multi sunt, sed inter plures latent. Et vt alibi idem Augustinus dixit: sunt ibi, & grana, accede, tenta, excute, ad hibeoris iudicium. Sancti quoque Vincentij Ferreriij in libello de vita spirituali Vaticinium pro Religiosis quibusdam futuris (audens dico) quā plurimis nostri seculi Regularibus, frementibus hæreticis, adaptari potest. Eorum porro statum sic describit idem sanctus. *Statum pauperrimorum, simplicissimorum, & mansuetorum, humilium, & abiectorum, charitate ardentissima sibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium, nisi solum Iesum Christum, & hunc Crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suique oblitorum, supernam Dei, & Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium, & ad instar Pauli dicentium, ¿* Cupio dissolui, & esse cum Christo, *& innumerabiles, ac inæstimabiles thesauros diuitiarum cælestium, & super dulces, & melliftuos riuos duitiarum suauitatum, ac iucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos, & super infusos, & per conuersationes imaginari debes eos ipsos, vt cantes Canticum Angelicum cum iubilo citharizantium in citharis cordis sui. Hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam impatiens desiderium aduentus illorum temporum.* Alia damus capite sequenti, ad ea Lectorem remittentes. Nunc de hoc satis.

Idem intentum de necessitate reformationis regularium ex alijs capitibus ostenditur.

CAP. II.

1 NOn mirum Patres istos, grauissimosque Doctores præcedenti capite relatos, tanto felle, tantaque verborum acerbitate, deformationem religiosi status lugere, deprauatamque quorundam sui temporis monachorum vitia carpere, abominari, & detestari. Plures enim suppetunt causæ, cur ita fecerint; cur etiam, & nos, eorum vestigijs inhærentes, religiones cunctas, quoad omnia, & singula ipsarum membra, ad

primum, & antiquum rigorem ſuæ diſciplinæ, reuocari cupiamus, & ad hoc opuſculum ſcribendum allici poſſimus. Aliquot ergo cauſas reformationis regularis diſciplinæ neceſſitatem oſtendentes præſens caput proponet.

2 Prima omnium ea eſt; quòd religioſus ſtatus monachiſmus, ſeu monachorum, aut regularium ordo, adeò eximius, inſignis, præcelſus, & ſublimis ſit, vt iure optimo cunctis fidelibus ab omni labe purgatus, & ab omni vitioſa fœde immunis deſiderari debeat. Hoc liqueat ex Patribus, qui miris encomiis religioſam vitam, monaſticamque extollunt.

Nazianz. orat. in laud. D. Baſilii. Nazianzenus Epiſcopus: *Partem ſelectiorem, & ſapientiorem Eccleſiæ* vocat. Cum grano ſalis accipe propter Epiſcoporum, prælatorumque ſtatum. Hieronymus: *Florem, & prætioſiſſimum lapidem inter Eccleſiaſtica ornamenta*, monachorum gregem compellat. Ambroſius; *Angelorum militiam*. Climacus; *Cælum terrenum*. Sanctus Ephrem, Syrus inter innumera, ipſaque præclariſſima epitheta, monachorum congregationem appellat; *Paradiſum refertum, fontem pulchrum, ciuitatem muris munitam, diadema prætioſum, nauem plenam regalibus diuitijs*. Sanctus Laurentius Iuſtinianus religioſorum cætum ſic vocat. *Hortum conclusum, paradiſum delitiarum, thalamum nuptialem, cubile immaculatum, virtutum ſcholam, tabernaculum fœderis, reclinatorium ſponſi, bellatorum ſtationem, ſanctitatis domum, caſtitatis cuſtodem, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare*. Alibi quoque ſic. *Ipſa cœnobia ſunt præſidia munitiſſima, ſanctorum Angelorum vallata cuſtodijs, ignitarumque orationum roborata ſuffragijs*. Hæc, & alia ex multis Patribus ſciens prætermitto. Hinc etiam in Reuelationibus Sanctæ Brigittæ varijs epitetis Religio honorificatur. Etenim *lib. 1. cap. 18.* vocatur *Domus Dei*, & *lib. 4. cap. 88.* vocatur *Ancora capitalis*, & *cap. 102.* vocatur *bonus portus*, & ante Regulam *cap. 3.* vocatur *noua vinea*. Item Religioſi ipſi *lib. 6. cap. 35.* dicuntur *operarij Chriſti*.

Climac. S. Ephrē parænes. 30 Laur. Iuſt. de obed. c. 18.

Idem c. 17.

S. Brigitta

3 Omittere tamen non poſſum, quæ duo alij Eccleſiæ celeberrimi Doctores circa hoc intentum dixere. Ex quibus magnus Baſilius, dum religioſi ſtatus bona connumerat, hæc habet. *Ibi contentio, ac lites abſunt. Communia verò vniuerſa ſunt, animæ ſententia, corpora, & ea, quibus*

D. Baſil. in conſtit. exercit. c. 18.

corpo-

corpora nutriuntur, ac curantur. Communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis ſalus, communia cer, tamina, communes labores, orationes, corona. Multi vnus & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Quid huic vitæ comparandum? Homines ex diuerſis generibus, ac regionibus nati ad tantam identitatis ſinceritatem coaptati ſunt, vt vna anima in multis corporibus conſpiciatur, & multa corpora vnius animæ, ac ſententiæ inſtrumenta oſtendantur. Qui infirmus eſt corpore, multos habet affectu ægrotantes. Qui anima ægrotat, multos habet ſanantes. Inter ſe mutuo æqualiter ſerui, æqualiter Domini. Tales ab initio Deus eſſe voluit, & ad hæc creauit. Hi vetus reuocant bonum primi parentis, Adæ peccatum occultantes. Imitantur Chriſtum cum Apoſtolis, imitantur Angelos, apud quos lis non eſt. Quid enim cum hoc bono comparari poteſt? Vbi pater quidem vnus imitans ſupernum parentem; filij verò multi beneuolentia circa præſidem vincere ſe mutuo ſtudentes. Reuera ad talem phalangem etiam ipſe Diabolus deſperat, non ſufficiens ad tot certatores, adeò compoſitè, ac per vnum plauſum congregatos, & ita teſſitudine tectos, vt ictibus non pateant. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Hæc Baſilius religionis bona recenſens.

Secundus eſt Gregorius Nazianzenus qui *oratione 1. in Iulianum* ſic Religioſos compellat. *Humiles, & terrenos, & ſupra terrena: hos inter homines verſantes, & rebus humanis ſuperiores; hos vinculis perpetuæ clauſuræ præſſos, & liberos, qui retenti ſunt, & teneri non poſſunt, quorum nihil in mundo, & quorum omnia, quæ mundo ſuperiora ſunt: quorum vita duplex eſt, altera contemplatiua, altera ſtudioſe culta, & expetita: hos inquam propter mortificationẽ immortales, propter ſolutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino, libidineque vacuo amore correptos: quorum fons lucis, & quorum iam radij ſplendorisque traiectiones: quorum Angelici pſalmorum cantus, & pernox ſtatio, & mentis ad Deum exceſſio: ante mortem in cælum ſe rapientes: quorum purgatio: Et tamen purgantur, quippe nullum aſcenſus, & deificationis modum ſibi conſtituentes: quorum rupes, & quorum cæli: quorum abijci, ac proteri; & quorum thronis inſidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum ſolitudo, & quorum* Gregor. Nazianz.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

rum ſæculi alterius frequentia, & celebritas: quorum voluptates compreſſæ, atque conſtrictæ, & quorum perpetua, atque in explicabilis animorum oblectatio; quorum lachrymæ peccati diluuium, & mundi expiamentum. Quorum extenſio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorũ aciem retundit, atque hebetat; inſtructas acies in fugam vertit. Hæc magnus hic Doctor monachiſmi profeſſoribus adaptanda cenſuit.

D. Bern. 4 Iunge Bernardum, ex quo aliqua habes ex ſerm. 4. dedicationis Eccleſiæ. Aliqua etiam in homilia ſuper *Simile eſt regnum cœlorum quærenti bonas margaritas*. Plura quoque varijs in locis, & opuſculis. Quotus enim Pater hic eſt, in monachorum vitijs, defectibuſque arguendis, totus conſpicitur, in monaſticæ profeſſionis defenſione. Specialiter in Epiſt. ad fratres de monte Dei, (ſi hoc opuſculum Bernardi eſt) tam mirè, eleganterque regularis diſciplinæ laudes proſequitur, vt nihil aliud ad intentum deſiderari poſſit. Legatur ab illis verbis, *Altiſſima eſt profeſſio veſtra, &c.* Multis obuia ſunt, nec neceſſitas tranſcribendi. Ergo intentum claudens dicam. Si tot, tanta, tamque eximia, præclara, & inſignia ſunt, quæ de religioſo ſtatu Patres non ſeuiter, aut obiter, ſed ſerio, & ex propoſito proſecuti ſunt; quis eſt, qui tam mira dignitatis encomia intuens illum non moribus purum, virtutibus ornatum, omnique ſplendore ſanctitatis clarum deſideret? tanta ne celſitudo næuum admittit? Labem compatitur? Rugamue ſuſtinere poteſt? Quis credet? Satius ergo dicemus, religioſorum cœtum, ſanctum, purum, immaculatum, & ab omni labe terrenæ alienum eſſe debere. Ac perinde abs re non erit, ſi pro viribus, illum, etiam quoad ſingulas regulares perſonas, ad ſui primordia reformationis reſtitui deſideremus.

Idem.

5 Ad id ſecundò animum impellere poſſet, quod inimici Eccleſiæ (hæreticos dico) ex eo Eccleſiam ipſam conuitijs, & opprobrijs proſequantur, quod monachos, religioſos, regulareſque perſonas (aliquas quidem) non recè iuxta inſtituta ſua degere conſpiciant. Ex quo peruerſi argumentatores, religiones ipſas; imo, & Eccleſiam totam, non cum mediocri damno Catholicorum, labefactare, & perturbare contendunt. Hoc vitium in hæreticis reperit Nazianzenus, dum orat. 14. ſic loquitur, *Ob quorum-*

Gre Naz. orat. 14.

dam

dam culpam vniuersus Ordo in inuidiam, & crimen vocatur: quodque omnium grauissimum est; hæc criminatio non in nobis consistit: verum ad magnum, & venerandum nostrum mysterium transit. Fateor quidem pessimos, & peruersos argumentatores in hoc deprehendi istos, cum ex priuata quorumdam regularium vita, qui, nec melior, nec sanior, nec maior pars illorum est, religionem totam, in qua innumeri sanctissimi, perfectissimique reperiuntur, labefactari, & reprobari putant. Bene contra illos, pro sanctis, reformatisque religiosis D. Augustinus defensor existit. D. Aug. in ps. 99

Sic enim loquitur ad intentum. *Tu qui vituperas, vide, & ibi bonos. In illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti, quotidie in hymnis, & orationibus, & in laudibus Dei. Inde viuunt, cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt, non auare aliquid petunt; quidquid eis infertur à pijs fratribus cum sufficientia, & charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent.* Rursusque ad idem de sanctimonialibus sic loquitur. *Inuenis sanctimoniales indisciplinatas; nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Nunquid propter virgines malas, damnaturi sumus, & sanctas?* Pariter ad intentum nostrum impiis hæreticis respondere possumus. Nunquid propter paucos aliquos ex regularibus indisciplinatè degentibus totus monachismus reprehendendus erit? Bona ne ista argumentatio? Vnde locus? Verè Satanæ logica talem argumentationem confecit. Verumtamen, etsi improbi, calumniosique argumentatores in hoc appareant hæretici; quis tamen dubitat, facilius illis ora obtrudi, si religiosi omnes, monasticæque personæ, rectè, & adamussim iuxta regulas, & instituta sua, ambulare conspiciantur. Teste enim Plutarcho. *Optima inimici vindicta est, se honestum præstare, ac virum bonum,* & Hieronymo: *vt aduersarij vitæ, & doctrinæ nostræ sanctitate perterriti, non audeant accusare nos.* Merito ergo in id vnum incumbere religiosi omnes debemus, vt concordet vita nostra cum nomine, professioque sentiatur in opere, vt vel sic: *Is qui ex aduerso est vereatur nihil habens mali dicere de nobis*, iuxta Paulinam sententiam. Plutarch. Hieron. sup. ep. ad Titum. Ad Tit. 2.

6 Porrò quæ sint ea conuitia, & opprobria, quæ hæretici,

tici, recentiores præſertim, in improbos regulares, religioneſque ipſas, dicunt, ex eorum libris, tertio quoque verbo innoteſcet. Vviclephus (Vvaldenſi noſtro teſte) *Religioſorum ordines ad vnum à Diabolo in Eccleſiam introductos, & Auguſtinum, Benedictum, & Bernardum, ad inferos eſſe damnatos, niſi pœnitentiam egerint; quòd monachi, & patres monachorum fuerint*, cenſuit. Lutherus paſſim monaſticen lacerat, & vt alia prætermittam, in ſuo obſcæno Epithalamio *Eos, qui cœlibem vitam in monaſterijs ducunt, idolo Molocho corpora ſua cremare*, dixit. Ioannes quoque Caluinus infamis hæreſiarcha, monaſteria *lupanaria*, vota monaſtica *retia Sathanæ*, & monachos omnes *Sophiſtas cucullatos* compellat. Philippus Melanton (ſimilis farinæ nebulo) vota, atque opera monachorum, *Obſeruationes fatuas, hypocriticas ſimulationes, traditiones phariſaicas, atque Mahumeticas* vocat. Centuriatores quoque Magdeburgenſes, religioſos omnes, *hominum monſtra, inimicos humanæ ſocietatis, & contra totam ſecundam tabulam delinquentes* appellant. Mitto quæ Eraſmus author etiam damnatus contra ſanctiſſimam monachorum aciem tela iecit: ea verò optimè pius princeps Albertus pius lib. 5. de monachis retundit. Sed vnde obſecrò tot conuitia, & tam iniuſta, portentoſi iſti homines in ſacros ordines, ſanctiſſimoſque religioſos iaciunt? Nonne ex deprauatis moribus, quos in aliquibus religioſorum conſpiciunt? Nonne quia plures iſtorum (hæreticos dico) ex monaſterijs adhæreſim confugere? Hi ſunt inter alios, Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pelicanus, Munſterus, Menius, Muſculus, Micomius, Oecolampadius, Martyr, Ochinus. Si autem religioſorum vitia ceſſarent, & iuxta regulam ſuam, antiquorumque monachorum normam, vitam gererent; proculdubio, nec ex monaſteriis ad hæreſim confugerent, neque hæretici labem aliquam ipſis impingerent. Meritò ergo ex his, improbis hæreticorum maledictis, quibus ſanctiſſimos religioſos lacerare contendunt, pro illorum reformatione, qui non ita adamuſſim regularem obſeruantiam ſeruant, laborandum duximus.

Vviclephus

Luther. in Epith. Caluinus, l. 4 c. 13 Melãton, in Apol.

Centur. in 10. c. 4.

7 Maxime inſuper ad hoc faciendum pius quiſque animus allici poteſt, animaduertens, religioſum ſtatum eo fine, Deo afflante, à ſuis primoribus Patribus inſtitutum fuiſſe;

vt

vt tanquam viuum exemplar virtutum, & perfectionis, sæcularibus omnibus proponatur: ad cuius imitationem vulgares alii Christiani, suam vitæ rationem rectè moderentur. Ex hoc enim ingenuè elicitur, religiosos omnes monasticum statum profitentes, omnium virtutum speculum, totiusque sanctitatis studiosissimos fore, ratione sui status, debere. Ac perinde, intolerabile damnum Reipublicæ Christianę inferri, si religiosi (quod absit) prauo vitę exemplo cæteros sæculares inficiant. Quod necessario contingit, si religiosi ipsi laxè, deformatèque viuant. *Opus est* (inquit Plutarchus) *vt patres non solum nihil peccando, verum etiam honestè singula peragendo, manifestum sese filijs exemplar exhibeant: vt in eorum vitam, quasi quodam speculum intuentes, ab operum fœmul, & verborum turpitudine, se penitus auertant.* Plutar. de educatio. liberorū

Quę quidem potiori iure de religiosis omnibus, respectu sæcularium, dicere possumus. Tales enim (teste Chrisostomo) sunt *veluti ignes, qui cum è loco editiori emicent, lucem, vel eminus aduentantibus exhibent.* Vnde de improbis, & laxè viuentibus religiosis, in causa esse totius ruinæ Ecclesiæ, satis clarè docuit Sanctus Thomas de Villanoua Augustinianus nuper in Beatorum numerum relatos, sic inquiens. *Væ discolis religiosis, quorum exemplo viuificandi erant simplices, & perduntur. Vnde hodie in Ecclesia tanta tepiditas, & iniquitas? Vnde tanta in omnibus auaritia, & cupiditas? Nisi quia in maioribus, & proceribus illius, vnde fulgere debuit sanctitas, viget iniquitas.* Chrisost. serm. de laud. mon. t. 5. B. Thom. Villa noua. in ser. de S. Mich.

Quomodo enim (vt Christi verbis ad S. Brigittam vtar) *aperietur via ad suauitatem adquirendam, si ille* (videlicet religiosus) *debilis est, qui debebat præcedere; & ille mutus est, qui debebat clamare?* Dixerat autem ante. *Omnis, qui quærit in eo videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retro, turbatur visu, & abhorret accedere ad eum, propter lepram superbiæ, & cupiditatis suæ. Si vero quærit eum audire, mutus factus est à laude mea, & garrulus ad laudem propriam.* S. Brig. l. 2 reuel. c. 2.

Hinc quoque talibus religiosis, qui iuxta sui ordinis instituta degere non curant maximum aliud damnum obuenire solet, quod à sæcularibus, à quibus suspici, & venerari deberent, opprobrio, risu, & despectu habeantur. *Quomodo enim* (loquitur Ambrosius) *potest obseruari a populo, qui nihil habet discretum a populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat? Si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat?* S. Ambr. ep. 6. ad Irinæ.

dat? Satius ergo erit, si religiosi omnes sui status perfectionem attendentes, sæcularibus omnibus virtutum exemplar se præbeant, quo, & suo muneri, simulque honori satisfaciant. Vnde rectè concludit Ambrosius. *Supergrediamur igitur plebeis opinionē, & quæramus nobis viam inaccessam fermonibus insolentium.* Optimè etiam Seraphicus Doctor Sanctus Bonauentura, cum esset Generalis sui ordinis ad quemdam Prouincialem in epistola quadam hæc scribit. *Cum disciplina negligitur, insolentiæ crescunt, ac per hoc negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit vt sanctæ religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, & nomen Domini blasphemetur.* Ecce Bonauenturā clarè asserentē, scandalū oriri, sanctitatem sordescere, & nomen Domini blasphemari, si religiosi, regulari disciplina contempta, in insolentem relaxationem ruant. Vnde sanctissima nostri sæculi Virgo Teresa, prout in eius vita cap. 7. habetur tot mala, quot Ecclesia Dei patitur, in defectum religiosorum, qui (vt inquit) exemplaria virtutum debebant esse, refundit, his verbis. *No se de que nos espantamos aya tantos males en la yglesia, pues los que auian de ser los dechados para que todos sacasen virtudes, tienen tan borrada la labor, que el espiritu de los sanctos passados dexaron en las Religiones.* Verba quidem summa discussione digna, vtpote a sanctissima, pissimaque Virgine, & de statu religioso, satis benemerita prolata.

S. Bonau. in ep.

S. Teresa in eius vita c. 7.

8 Ab ingressu quoque in religionem, reformatæque vitæ vsu sæculares homines retrahi, eo solum, quod communia vitia, communisque modus viuendi in religiosis cernantur, Patres plures, & experientia testis, plus æquo, comprobant. Vt, vel hinc etiam, elliciatur necessitas reformationis religionum. De filijs Heli impijs, & sceleratis, sacra pagina sic loquitur. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini.* Pariter ergo de difformatis lapseque viuentibus religiosis affirmare possumus: esse scilicet, peccatum eorum grande nimis; eo videlicet, quod propter eorum exemplum, sæculares a rectæ vitæ tramite, vel ingressu in religionem detineantur, vel retardentur. Quod quidem Illustrissimi Petri Damiani verbis comprobare licet. *Quanti sanguinis* (inquit) *reus est, qui sub sacri habitus schemate, talem se per susceptæ professionis incuriam exhibet, vt quærentes accedere, peruersè viuendo,*

1. Reg. 2.

Petr. Dam. l. 6. ep. 32.

viuendo, disturbet? Euangelica illi nimirum sententia congruit, qua dicitur: Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis, expedit ei, vt suspendatur molla asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tolerabilius enim fuerat, vt solus in eius, quem reliquit mundi vertigine rotaretur, quam multos nunc a salutifera stationis reuocaret accessu. Hæc vero dixit Damianus, quia vt ipse ad illos monachos scribit. *Vir quidam à Mediolanensi vrbe progrediens, dum me quæreret, per vos transitum habuit: sed & habitare vobiscum, vt ipse professus est, sub eo nomine concupiuit. Qui cum lassus itinere, moram velut quiescendo protraheret, nescio quos vestrum, aniles nugas, & otiosa deliramenta, perpendit profundere, & cum laicis scurriles iocos, & ludibria vidit, vt vanæ miscere. Vnde factum est, vt non modo, nos nostrumque, propter vos, contubernium omne contemneret; sed & ipsum conuersionis animum, quantum potuit funditus amisit.*

Ex his vero clarè, liquidoque constat, prauos mores, depraua-tamque aliquorum regularium vitam sæcularibus multis, ne ad meliorem, vitæ frugem reuocentur, scandalum esse. Ac proinde meritò nobis pro reformatione religiosorum omnium laborandum fore.

9 Ad hæc quanti æstimandum damnum hoc sit, quod pij sæculares à monachatu arceantur, ob improbam monachorum vitam, ex latissimo discrimine, quod inter sæculum, sæculique vitam ex vna parte, & statum religiosum, religiosamque vitæ rationem ex alia, versatur, conspicere clarè licet. Quod verbis D. Anselmi, vel authoris libri de similitudinibus apud ipsum visionem cuidam sancto viro Adamo factam referentis, comprobare libet. *Vidit, vt asserere solebat Adam in infirmitate positus, & in extasi fluuium vnum rapidum, in quem fluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumcunque terrestrium rerum lauaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida, omnium immunditiarum spurcitia turpissima. Rapiebat in se quidquid attingere poterat, & deuoluebat tam viros, quam mulieres, diuites, & inopes. Fœda quidem erat aqua, & tamen ex ea viuebant, & delectabantur, vt ille asserebat, qui eam ducebat. Præduxe itaque Patris nostri interrogatus ait: Torrentem mundum significare, quo rapiuntur, qui illecebrosis spurcitijs inuoluuntur. Præduxe subiunxit. Vis ne videre quid sit monachatus? At ille. Volo. Duxit itaque eum quasi in conspectu cuiusdam magni, & ampli claustri admodum speciosi, & ait. Circumspice. Aspexit ille. Et ecce parietes claustri* D. Anfel. de similit.

illius obducti erant argento puriſſimo. Herba in medio virens erat, & ipſa argentea, mollis quidem, & redolens, & vltra humanam opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbæ ſuper his quæ in ea pauſabant, leuiter flectebatur, & ſurgentibus illis ipſa quoque erigebatur. Vt quid immoror. Quidquid eſt iucunditatis ibi erat. Ecce diſcrimen ampliſſimum inter vitam ſæculi, religioſamque œconomiam, vt vel hinc diſcant religioſi ſic viuere, vt a ſancto propoſito religionis ſæculares non abducant, ſed potius ad illud prouocent. Ac perinde correctione egere regulares, ſi qui ſunt, qui oppoſitum faciunt.

10 Præterea religioſorum omnium vitam ſanctiſſimam eſſe debere, ex eo etiam innoteſcere valet, quod iuxta plurium grauiſſimorumque ſenſum, ſi ſanctiſſima non eſt, peſſima eſſe aliquoties ſoleat. Quaſi enim per extrema ambulantes, ſi perfectam vitæ rationem non imbibant, deprauatam vitam ſæpius eligant. Id clariſſime habet Eccleſiæ lumen Auguſtinus inquiens. *Simpliciter fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam; ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quam qui in monaſterijs ceciderunt.* Idem habet Euſebius Emiſſenus. *Qui inter multos vitam agere conſtituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel etiam diligentes, vel negligentes ſunt.* Sic quoque Dionyſius Carthuſianus ſerm. 5. Dom. 5. poſt Natiuitatem inquit. *Qui diu in cœnobio eſt, aut optimus, aut peſſimus a ſanctis Patribus perhibetur, ita vt vix medium inueniatur.* Sermone quoque 4. de S. Stephano. *Qui in congregatione verſatur, aut cum magno ſui, aut aliorum periculo male ſe habet. aut cum grandi ſui, & aliorum profectu bene ſe regit.* In ſermone etiam 4. de S. Laurentio. *In religioſis ſeipſos non reformantibus, nec digne proficientibus, inueniuntur, & regnant peiores, periculoſioreſque paſſiones, quam in mundanis hominibus. Ita quod, qui ſeipſos iuxta ſuæ profeſſionis exigentiam non frangunt, nec vincunt, nec coram Deo ſolliciti ſunt, qualiter ſuæ ſatisfaciant vocationi, ac profeſſioni, fiunt deteriores, quam fuerunt, aut eſſent in ſæculo.* Vnde bene Cardinalis Bellarminus capite præcedenti relatus dixit: *Regulares ſimiles eſſe videntur ficubus Hieremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant bonæ valde; & quæ malæ, malæ valde.* Huius autem ratio non incongruè redditur ex eo, quod cum regulares omnes ex vi ſtatus tendere in perfectionem teneantur; aut id faciunt, aut ſecus

D. Aug. ep. 137

Euſeb. Emi. ho. 2. ad mona.

Dionyſ. Carth.

Idem.

Idem.

Bellar. de gem col. li. 2. c. 6

secus; si faciunt, sanctissimi, perfectissimique euadunt. Sin autem non faciunt, cum iuxta sui ordinis perfectionem non ambulent, necesse est ab ea deuiare, & in oppositum vitiorum tramitem miserè declinare. Ac perinde, vel nimium boni, vel nimis mali sunt.

11 Huic etiam rationi altera serè similis adiungitur, ex qua perinde fit maximopere necessarium esse, religiosos omnes vitam reformatam agere. Constat enim ex plurium, grauissimorumque testimonijs, difficillime regulares semel deformatos ad veram rectæ religionis formam reuocari. Pro quo celebris est epistola D. Bernardi ad Ricardum Fontanensem Abbatem, & socios eius per hæc verba. *Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & fratres nostri, vterque Gaufridus, annunciauerunt nobis, quemadmodum nouiter recaluistis igne Dei, conualuistis de infirmitate, resloruistis in nouitate sancta. Digitus Dei est iste, subtiliter operans, suauiter renouans, salubriter mutans, non quidem de malis bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi vt transeam, & videam visionem hanc magnam? Necenim minus mira, minusue iucunda ista promotio est, quam illa mutatio; nisi quod multo facilius reperies multos seculares conuerti ad bonum, quam vnum quempiam de religiosis transire ad melius. Rarissima auis in terris est, qui degradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat.* Quibus satis clarè intentum confirmat, præcipuè vltimis verbis, dum rarissimam auem in terris appellat monachum, qui de modo, quem semel arripuit viuendi, ad superiorem ascendat. Idem habet Seraphicus Doctor Bonauentura sic loquens in speculo disciplinæ. *Formam, quam primo quis recipit, vix deponit, & qui disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit, ad eam post modum difficilè applicatur.* Qua forsan de causa negotium reformationis regularium, qui semel laxè viuendi modum arripuere, adeò difficile quibusdam apparuit, vt neque apud Deum, neque apud homines, minoris meriti sit, lapsam religionem reparare, quam nouam, nouiterque instituere. Libet hoc doctissimi Dominicani Ioannis Nider in suo de reformatione religiosorum opusculo, verbis & visione ab ipso relata, comprobare. Ergo sic habet. *Ille, qui reformat, hauddubium, proprie dicitur, Deo cooperante, nouum construxisse monasterium. Patet hoc per exemplum, quod ponit Gherardus in libro de vita Fratrum Prædicatorum par. 5. Erat enim quidam cuiusdam monasterij monachorum, nomine Guido, Prior; qui idem monasterium*

D. Bern. ep. 95.

D. Bonau in spec.

Ioã. Nid. in tract. de cura, & vtilit. refor. c. 6.

ſterium antiquum ſua ſanctitate, & ſollicitudine reformauerat. Circa cuius infirmitatem corporis vltimam, videt quidam frater deuotus in ſomnis, quod tanquam defunctus iaceret in medio chori, quem multitudo fratrum in albis circumſtabat in luminis claritate mirabili. Videbat etiam clauſtrum quoddam pulcherrimum, multum bene edificatum, ornatumque, dictumque eſſe illi. Hic edificauit hoc Clauſtrum. Euigilans autem frater, & recolens, quod Guido, qui monaſterium olim ſuum in temporalibus, & ſpiritualibus reformauerat, eſſet egrotus, cogitauit eum moriturum in breui. Ratimque voce facta eſt ad eum. Hic habitabit in Sion, & requieſcet in Hieruſalem. Et poſtmodum frater Guido defunctus eſt. Qua in re perpenditur, non impar eſſe meritum de nouo conſtruere monaſterium, & lapſum reformare in moribus.

Hæc Niderus, bene perpendens ex viſione relata, non minoris meriti eſſe lapſam religionem, vel religioſam domum nouis moribus reformare, quam ipſam ſunditus à principio inſtituere.

Ac perinde maximopere curandum eſſe religioſis, ne ad miſerum deformationis barathrum deueniant, ex quo tam difficilè, tantoque labore extrahi valent. Meritò quoque laborandum nobis, pro tanto bono conſeruando; quale eſt reformatio religioſi ſtatus, quod fiet, dum capitibus ſequentibus, Deo auſpice, media aliqua, rationeſque viuendi religiosè, & reformatè, tradiderimus.

Orationis iuge, & quotidianum ſtudium religiones conſeruat: in eoque deficere religiones perdit.

CAP. III.

1 DVm de mediis, quibus diſciplina regularis, & monaſtica ſemel inſtituta, conſeruatur, & regitur, quibuſque reſtauratur iã perdita, ſermonem inſtituo; quod primũ præ oculis, omnibus religioſis habendũ puto; cæleſte eſt illud admirabile, excellentiſſimumque orationis exercitium a Chriſto Domino commendatum, prædicatum a Patribus, & à ſanctiſſimis religioſis, qui vel vitam peregerunt, vel adhuc inter noſtrates viuunt, operi, & executione exhibitum.

Sine

Sine hoc sanctissimo orationis munere, religio, stare, aut stabiliri non potest: ita vt facilius crederem hominem sine anima, quam religionem perfectam sine oratione consistere. Nec minus impropriè cadauer, hominem, quam regularem sine oratione, religiosum perfectum appellare licet. Hic scopus huius, & sequentis capitis (ne dicam totius operis:) sicque ex celebrioribus Ecclesiæ Patribus, monasticique instituti antesignanis, muniendus & roborandus. Faxit Deus intentum prosequar, & perficiam.

2. Primus loquatur magnus orientalium monachorum restaurator Basilius, qui cum accuratè nimis in monachis instruendis laboret, orationis exercitium illis maximè commendat. Primò ergo in constitutionibus monasticis cap. 2. hunc titulum præfigit: *Oratio debet omnibus rebus anteponi.* Quod, & in discursu capitis, rationibus, & exemplis monachis suadet; abs dubie indicans, hunc esse primarium scopum religiosæ vitæ. In sermone etiam de institutionibus monachorum celebrem illam sententiam ad ipsos direxit. *Ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda est.* In Regulis quoque fusioribus, etsi omni negotio suum tempus esse dicat *Orationi verò* (inquit) *& psalmorum modulationi nullum non esse tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam munere hoc fungi possimus. Sin id minus, corde certe, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus Deum collaudemus, atque ita orationi satisfaciamus.* Ac tandem idem Pater in moralibus pro regula 66. hanc posuit. *Orationibus, & vigiliis est assidue incumbendum.* Concluditque caput dicens. *Vigilate itaque omni tempore, orationi insistite, vigilantes in ea, ingratiarum actione, semper gaudete, sine intermissione orate.* Quibus, ac aliis clarè satis innuit Basilius orationis iuge, & continuum studium monachis, vt scopum proprium præfigi deberi.

D. Basil. in consti. c. 2.

Idem in sermone

Idem in reg. fusi.

Idem in moral. reg. 66. c. 1.

3. Accedit magnus Pater Diuus Hieronymus, qui sicut monasticæ vitæ acerrimus fuit sectator, sic etiam orationis exercitium monachis sæpius intimauit. In epistola ergo ad Rusticum, quem de monachatu instruere conatur sic habetur. *Oratio sine intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens, corpus pariter, & animus tendatur ad Dominum.* Rursumque sic loquitur. *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat ante sessionem; nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascat.* In regula etiam monachorum ex ipsius scriptis per Lupum de Oliueto collecta in capite de contemplatione,

Hieron. ad Rustic.

Idē in reg monach. tione, & oratione ſic habetur. *Si monachus eſſe vis, non videri, corpus pariter, animuſque tendantur ad Dominum: ſic te ipſum in cœlo, animo geſſiente, procures, vt dum corpore moraris in terra, iam ad Chriſtum mente perueniat. Aſſuefcat quoque ad orationes, & pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora flare in acie, quaſi bellatorem Chriſti; accenſaque lucerna ſacrificium reddere veſpertinum. Sic dies tranſeat, ſic nox inueniat laborantem: orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio.* Poſteriora hæc verba ex epiſtola eiuſdem Hieronymi ad Lętam mendicauit Lupus. Vtriſque tamen monachum ſine iugi oratione monachum non eſſe ſatis innuit. In eadem quoque regula hæc

Idem. inueuio. *Habeant, qui volunt ſuas oues, vaſe gemmato bibant, ſerico niteant, plauſu populi delectentur, & per varias voluntates, diuitias vincere nequeant. Noſtræ diuitiæ ſunt in lege Dei meditari die, ac nocte, animam pulſare, & ſæculum præeuntes calcare.* Pulchra ſanè verba, & regularium diuitias orationem eſſe, clarè micantia. Preterea in regula monacharum ab ipſomet Hieronymo conſcripta, moniales etiam de eodem exercitio orationis ſic admonet. *Ad diuinorum contemplationem aſſiduam affectus aſtringatur.* Et rurſus. *O ineffabilis gloria! in fragili ſiquidem corpore Deum iugiter poſſis. Hic quæſo mens noſtra vigeat. Hæc dies diei eructet verbum, & ſcientiam hanc nox indicet nocti. Angelicis choris, ſanctorum ſocietatibus, hic ſtudeatis intereſſe, vt poſtmodum in corporis exitu, vobis gaudentes, lęti tamquam notis occurrant.* Eu Hieronymum vtriuſque ſexus regulares de neceſſitate orationis ſolita elegantia monentem, vt vel ſic intelligamus omnes orationis iuge exercitium, monachis proprium, peculium eſſe: vt ſicut Angelis in cœlo commorantibus propriū munus eſt laudare Dominum; ſic, & monachis orare ipſum. Vnde ipſe Hieronymus alibi ſic concludit. *Quod faciunt Angeli in cœlis hoc monachi faciunt in terris.* O fælix orationis donum, quod monachos in terra viuentes, Augelis in cælo degentibus æquat!

Id. in reg. mon c. 26

Idem in pſal. 115.

4 Hieronymum imitatur amicus Auguſtinus oratorii exercitii commendator egregius. Primò enim magnos viros religioſos ideo tales eſſe deſcribit, quia: *Quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei: inde viuunt, cum lectione illis res eſt.* Alibi quoque ſic ab ipſo vocantur: *Perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi ſanctorum intellectu percipi non poteſt.*

D. Aug. in pſ. 99.

Id. de mo rib. Eccl. c. 31. l. 1

Clarius

Clarius in sermone ad fratres in eremo (si forsan tale opus Augustinianum est) sic loquitur, *valde seruis Dei, & solitarijs necessaria est oratio, per quam Deus placatur, per quam Deus ad nos inclinatur*. Adhuc melius infra. *Orate igitur fratres mei in eremo, orate, & nolite deficere. Nam sicut proprium est canibus latrare, ita proprium est eremi cultoribus orare. O fratres mei dilectissimi clamate in eremo, vlulate in hac vasta solitudine, vociferari non quiescatis, clamate orando, & nolite deficere. Clamate non solum voce, sed maximè mente. Ecce enim semper auditis in deserto nues cantantes, & laudantes Deum factorem suum*. His, & aliis Augustini sententijs liquet satis proprium monachi officium orationem esse.

Ad fratr. in eremo ser. 22.

Idē ibid.

5 Sancti quoque, & magni Patris Ephrem Syri opera ferè omnia eò tendunt, vt monachos instruant, sicque plura intentui nostro deseruientia ministrant. In adhortatione ergo ad eos, qui in religionis se rudimentis exercent, de necessitate orationis pro monachis hæc reperio. *Scutum monachi inexpugnabile est hymnus in ore eius: somnus vero, si plusquam hymnus diligatur, mors monachi est*. Infra sic. *Admirabilis facies monachi per orationem redditur*. Rursus. *Ensis acutissimus aduersus Diabolum est psalmus in ore monachi*. Clarius inferius. *Tempus orationis monachi indefinitum est, cum omni tempore benedicere Domino bonum sit*. Vbi iugem, continuam, & perpetuam orationem monacho exigit. Adhuc inferius. *Os monachi aperiatur sermoni diuino, at cor eius meditetur eloquia Domini absque distractione*. Et post pauca. *Diuinas laudes assiduè personet monachus: Seraphim enim incessabili voce Deum glorificant. Canticum Spirituale in ore tuo versetur monache, quo superuenientium tentationum onere subleueris*. Insuper in opusculo de orando Deum, pius hic Pater miris modis orationis necessitatem, iugeque exercitium monachis cōmendat. Interalia hæc. *Videtis fratres, quid, quantumque valeat oratio? Neque enim est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio. Ab hac vos nunquam separari patiamini, ab hac nunquam receseritis*. Præterea in doctrina varia de humilitate comparanda idem Ephrem sic loquitur. *Beatus ille monachus, qui trium illorum satagit, vt scilicet vacet orationi, operi, & meditationi. Scriptum enim est; vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Et alibi; Et in lege eius meditabitur die, ac nocte*. Demum in tract. de timore Domini eleganti metaphora exponit, qualiter monachus continuæ orationi semper insistere debeat. Sic vero

S. Ephrem in adhor.

Idē in opuscu. de orando Deum.

Idem in doctrin. de humil.

Idem in tract. de tim. Domini.

loquitur. *Similis est monachus viro ex alto demisso, qui funem ... excelso interuallo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat.* Manifestè his verbis indicans, quod quemadmodum homo ille numquam manum à fune mouebit, sic nec religiosus ab oratione cessare debeat. His, & alijs, quæ omitto, venerandus Pater Ephrem orationis necessitatem pro religioso statu postulans, satis ostendit monachatum sine hoc iugi exercitio vllatenus persistere posse in debita perfectione.

6 His Patribus iungitur Ioannes Cassianus antiquus Eremita, qui cum totus in instituendis monachis in suis operibus vacet, orationis necessitatem sæpius astruit. Ex collatione ergo 9. cap. 2. grauissima hæc verba (vtinam omnium religiosorum cordibus impressa) ex Abbate Isaac desumpsi. *Omnis monachi finis, cordisque perfectio, ad iugem, atque indisruptam orationis perseuerantiam tendit, & quantum humana fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis.* Inferius quoque sic. *Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare.* His autem verbis, non modò Cassianus finem religiosi esse iugem, & indisruptam orationis perseuerantiam comprobat, sed sine illa religionem stare non posse, clarius ostendit. Hoc vero adeò tenaciter primis in lege noua monachis animo adhæsit, vt (eodem Cassiano teste)

Io. Cass. coll. 9. c. 2

Idem l. 2. de can. noct. orat.

Scripturarum diuinarum lectionibus, orationique, & operi manuum, diebus, ac noctibus incubabant, vt neque escarum quidem appetitus, vel memoria, nisi alia, tertiaue die corporis interpellanet inediam. Attendant hoc nostri sæculi religiosi, si qui sunt, qui orationis, præsertim mentalis, exercitio, vale dixerint, & quantum ab antiquioribus monachis distent, attendant.

Io. Hierosolym. de instit. monac. c. 8 t. 9. Bibliot.

7 Accedit Hierosolymorum Antistes Ioannes, nostri ordinis Carmelitici decus, qui in libro de institutione monachorum inter Bibliothecarios relato, cuius verus author est, dum monacho remedium vnicum ad perseuerandum in perfectione præscribit, orationis iter illi ostendit. *Orabis* (inquit) *si vis in perfectione perseuerare, & dices, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Ecce remedium vnicum perfectionis ab hoc Patre in orationis exercitio positum.

S. Athan. in exhor. ad mon.

8 Iunge quoque celeberrimum antiquitatis Doctorem Sanctum Athanasium, ex quo breuis sententia totius status religiosi

methodum

methodum referans, ex exhortatorio ad monachos elicitur, *Orationes* (inquit, *sola intercapedo lectionis intercidat*. Abs dubie intermixtam, attemperatamque orationem cum lectione (iuxta illud, quod ex Hieronymo retulimus; *oratioui lectio, lectioni succedat oratio*) proprium, & inde sessum manus monachi esse, pandens. D. Hieron. vt supr.

9. Iungitur his Patribus Sanctus Nilus Abbas antiquus, & venerabilis monachus, & à Nicephoro in sua historia mirè commendatus. Ergo S. hic Pater multus est in orationis exercitio monachis præsertim suadendo. Centum enim, & quinquaginta capita de orationis studio conscripsit, in quibus multifariam illud monachis præscribit. Ex Parænesibus autem aliqua selegi, quibus satiùs intentum nostrum confirmat. Inter alia hæc. *Deum semper præsentem adesse existimain omnibus, quæ agis. Semper recordare Dei, & cælum sit cogitatio tua. Meditationē legis mentem volito: Extirpat enim malas cogitationes continuè frequentata. In morbis orātione prius, quam medicis, & pharmacis vtere. Omne, quod agis, oratione obsignato. Si vis esse templum Dei, sacrificium assiduitatis, assiduam scilicet orationem, assidue ipsi offerat. Sancta est orationis area; portabit enim ad nos sanctè sanctum sanctorum.* In institutione quoque ad monachos sic habet. *Qui pure orationis præsidio munitus nō est, is armis in bello caret.* Pulchrè sanè S. hic Pater intentui nostro de orationis necessitate pro monachis concinit. Niceph. l. 14. c. 14 S. Nilus in 1. t. Bibliothec. Idem.

10. Clarè etiam Antiochus monachus, venerabilisque Pater, quam necessarium sit monachis orationis iuge, & continuum exercitium, sic exprimit. *Vacare orationi indiuitè, ac iugiter, cū primis necessarium, & nobis per quam frugiferum est.* Et infra. *Etenim iugis oratio, & continens per congressum cum Deo familiarem mentem aucocat ab omni prudentia, fabuque mundi, eamque præsentem Deo offert. Quo circa, qui cor suum ab omni sorde expurgare contendit, illud perpetim accendat, & inflammet memoria Domini. Hoc solum iugem exercitationem habet, & opus numquam intermittendum. Neque enim aliquando orandum quidem sit, aliquando feriandum ab oratione ipsa, qui cariosum peccatorum putrilaginem à se excutere cupiunt; sed semper orationi intumbendum, interna quidem mentis loquatione, etiamsi extra oratorias ades diuersemur.* Clarissimè sanè, nec inelegantèr, ex grauissimo monacho, quam necessarium nobis sit iuge orationis studium, accipimus monachi. Ant. Soch. 2. t. Bibliot. hom. 105.

11 Astat, & mellifluus pater Bernardus monachorum decus, & totius spiritualis doctrinæ cœlestis magister, qui antiquiorum quoque Patrum vestigia sequutus exercitium orationis, vt monachis vtilissimum, & semper præ manibus habendum, illis sæpius commendauit. Ex libro de ordine vitæ hæc accepi. *Ille, qui se pro Deo duritiæ tradit monachorum, assiduus debet esse in orationibus. Quapropter, ne pigeat te bone frater, quantum potes, actibus sanctis insistere, vt laboris tui fructus quandoque possis recipere. Hoc solum attende, quod monachus factus es, & ideo ea age, quæ monachi sunt.* Innuit satis his verbis orationis munus proprium esse regularium officium, cui semper incumbere conuenit. eodem quoque libro sic habet. *Dei seruum* (monachum) *sine intermissione legere, & orare oportet, ne forte mentem vitia sibi præoccupent.* In opusculo etiam, quod scala Claustralium dicitur, sic loquitur idem Bernardus. *Cum die quadam corporali manuum labore occupatus, de spiritualis hominis exercitio cogitare cœpissem, quatuor spirituales gradus animæ cogitanti se subito obtulerunt, scilicet lectio, meditatio, oratio, & contemplatio. Hæc est scala Claustralium, qua de terra in cælum eleuantur.* Indicat hic Bernardus non alia via religionis perfectionem assequi posse regulares, nisi per orationis exercitium. Nec sui oblitus idem prosequitur in speculo monachorum, dicens. *Ad interuallum debet flare ad orationem, vel corporis necessitati prouidere, ita tamen, vt vadens sibi dici nouerit: Sursum corda.* Ecce quod, nec tempus corporis necessitati concessum transigi velit Bernardus sine eleuatione mentis ad Deum, quæ est oratio essentialis. Vnde inferius sic concludit. *In omni actu, vel cogitatu suo sibi Deum adesse memoret, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet.* Vbi iugem, & continuam Dei præsentiam, perpetuo, & continua oratione monachis necessaria, computare videtur Bernardus.

D. Ber. de ord. vitæ.

Idē ibidē.

Idē in scala Christ.

Idem in Spec. mon.

Ibidem

12 Nec omittendus Esaias Abbas inter Patres Bibliothecæ numeratus, ex quo aliquot, pro necessitate orationis monachis intimanda, celebres sententias selegi. Primò ergo monachos fratres suos, circa orandi exercitium, oratione prima sic instruebat. *Qui mecum manere vultis, audite quæso per Deum. In cella quisque sua degat cum timore Dei curam propriam, & assiduam orationem non negligatis.* Rursumque oratione 21. quid sit, monachum in cella manere, & à mundo procul aufugisse per orandi exercitium, sic definit. *Is in cella recte quietem, & silentium colit, qui*

Esai. Abb. 2. 1. orat. 1

Id. ora. 21

qui supplex ante Deum prostratus, assiduè vacat orationi. Id enim est à mundo procul aufugere. Clarè ex hoc Patre habemus monachi, qualiter orationis munus assiduè exequi debeamus.

13 Abbas quoque Ioannes dicere solitus erat: *Religiosum similem esse debere homini ad lævam ignem, & ad dexteram aquã habenti, vt cum primum efferbuerit ignis, aqua extinguatur. Sic religiosus cum primum ignis concupiscentiæ, vel malæ cogitationis exarserit, ad orationem recurret.* Rursus idem. *Similis est religiosus sedenti sub arbore, ad quem si serpens accesserit, continuò ascendit ad arborem, vt saluus fiat. Sic religiosus tentatione insurgente ad orationem confugit.* Hæc Ioannes Abbas.

Abb. Ioã.

14 Tandem horum Patrum antiquiorum agmen claudant alii, qui monachum per orationis exercitium definiunt, vel monachum sine oratione monachum appellari renuunt, vt vel sic regulares omnes agnoscant, quàm sibi necessaria sit oratio, quamue indignè nomen religiosi portent, si qui orationi assiduè non incũbant: Ioannes cognomento Climacus, sic definit monachum. *Monachus est, qui solum ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, loco, & re.* Et infra. *Monachus est afflictus, & mœrens animus, qui iugi mortis memoria, siue vigilans, siue dormiens, se ipsum semper exercet.* Accinit ad idem intentum Isaac Presbyter, sic loquens. *Monachus est, qui sedet extra seculum, & semper supplicat Deo, vt adipiscatur bona futura.* Optimè quoque Sanctus Maximus confessor concinit ad intentum. *Monachus est, qui mentem suam à rerum terrenarum amore segregatam habet, atque per psalmodiam, & precandi assiduitatem in Deo amando, & colendo perdurat.* Nec minus fauet Dacrianus Abbas, dum monachum sine spiritualibus exercitiis orationis, monachum non esse in suo speculo, sic describit. *Si interioribus tuis neglectis, exteriora tantum curas, & si sacris lectionibus, aliisque spiritualibus exercitijs non das diligentem operam, vt raro ad æterna assurgas; monachus non es.* Luce clarius Patres isti intentum nostrum de necessitate orationis monachis persuadent. Ne tamẽ quisquam hoc solum monachis antiquis adscribat; nouis autem religiosis (quasi nos nouam formam, normamque viuendi habere debeamus) tale munus extraneum esse contendat, ex Patribus recentioribus, qui ferè nostri sæculi metas attigere, idem intentum sequens quoque caput demonstrabit.

Io. Clim. gradu 2.

Isaac I. 1. de mundi contem. c. 1. 5. in 5 t. Bibliot.

S. Maxim. cent. 2. 5. t. Bibliot.

Dacr. in spec. monach.

Idem

Idem intentum de neceſſitate orationis pro mo-
nachis ex Patribus recentioribus probatur.

CAPIT. V.

1 ORationis neceſſitatem ex Patribus antiquioribus
ſuadere capite præcedenti conati ſumus. Præſens
idem tentat iter. Nec enim deſiderio noſtro ſatis-
factum putauimus, ſiin præcipuo negotio religio-
nis, ſiue reformandæ, ſiue etiam tuendæ inertes, deſides, aut
negligentes reperiamur. Aliorum ergo Patrum teſtimonia ſu-
piat Lector.

2 Primus obuius venit B. Albertus Hieroſolymorum Anti-
ſtes, & noſtri Ordinis Carmelitani decus, qui in regula ſuis
fratribus conſcripta, vitæ formulam, quam in poſterum tenere
deberent, tradens, iuge orationis exercitium illis ſic præſcribit.
Maneant ſingulim cellulis ſuis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege
Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi alijs iuſtis
occaſionibus occupentur. Audiant hæc Carmelitæ omnes, eam-
que obſeruantes, quam qui primi tuam regulam profitentes nun-
cupantur, nouerintque ſinguli, ad continuam orationem, & in
lege Domini meditationem ex præcepto regulæ, nulla diſpenſa-
tione prætenſa, aſtringi, & obligari. Etſi enim Eugenius Quartus
Pontifex Maximus cæpitulum hoc regulæ, quoad manſionem in
cellulis, benignitate Apoſtolica mitigauerit, concedens fratribus
noſtris, quod *horis congruis, in eorum Eccleſijs, & ſilorum Clau-*
ſtris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licitè, & li-
berè valeant: nunquam tamen à continua oratione, meditati-
neue, in regula nobis intimata, à Pontifice aliquo exempti, aut
liberati ſumus. Proculdubio, quia hic eſt finis, propriuſque no-
ſtræ religionis ſcopus, vt latè probat Thomas de Ieſu ex Grego-
rio Nono, Innocentio Quarto, Alexandro Quarto in bullis Pon-
tificiis. En finis, en portus, ad quem religioſi noſtri Carmeli mo-
tem conſcenderunt: ſciant ergo ab eo forſan ab errantes, miſere
quoque à ſui ſtatus obligatione cadere. *Ignoranti enim* (ait Se-
neca) *quem portum petet, nullus ſuus ventus proprius eſt.* Iure
ergo Reuerendiſſimus Sebaſtianus Fantonus totius noſtri Ordi-
nis

Albert. in reg. Carmel. c. 4

Eugen. iv. in bulla mitigat.

Th. de Ieſu ſup. re. Car. 2. p. dub. 4.

Seneca.

nis Generalis Prior, bis in die ab omnibus regularibus noſtris in communi choro orationem mentalem haberi decreuit. Eſt enim (vt dicit) *mentalis oratio, ſeu meditatio, ſine qua, vt ſine anima, regularis vita nequaquam conſiſtere valet.* Ex quo nō modo noſtris religioſis, ſed omnibus etiam, tam ſanctum exercitium neceſſarium eſſe liquet clarē. Ceremo. Ord. l. 2. rubr. 66.

Sed commentarij loco apponere libet, quæ ſcripſit circa hunc coetum Reuerendiſſimus Ordinis Præſul, litteris, & virtute venerandus Ioannes Sorethus *in expoſitione Parenetica Regulæ textu 8. cap. 1. ſic. Quietiſpedibus ſiſtant, maneantque in cellis ſuis, vel iuxta eas, die ac nocte inſtante Domini meditantes, ſine intermiſſione orantes, die in lætitia, & nocte in tribulationibus. Optima coniugatio manendi* (inquit) *in cellulis ſuis iugiter meditantes, quia iuge ſilentium, & ab omni ſtrepitu ſeculariū perpetua quies, vogit cæleſtia meditari.* Et *cap. 2.* hæc ſcribens: *Sintigitur fratres in cellulis, vel iuxta eas circa moreſſuos iugiter meditantes, & in orationibus vigilantes, vt ſcilicet non ſurripiat eos callidus tentator, qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Vnde Athanaſius in exhortatorio ad monachos,* Orationes ſi fieri poteſt ſola legendi occaſio interrumpat. *Omnis monachi Religioſi finis, cordiſque perfectio ad iugem, atque indiruptam orationis perſeuerantiam intenditur, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem perpetuæ quietis intentem enixè prouehitur, ob quam tam omnem laborem, corporis, quam contritionem ſpiritus indefeſſe quærimus, & iugiter exercemus.* Ioannes Soreth.

3 Accedit Seraphicus Doctor D. Bonauentura, qui adeò propoſito noſtro ſuffragatur, vt non modò ſolus pro re tanta omnium religioſorum animis perſuadenda ſufficeret, ſed, & aliquot eius verba grano ſalis condiri petant: obnixè enim, & rigoroſè exercitium orationis religioſis omnibus ſuadere contendit. In opuſculo de perfectione vitę ſic loquitur de oratione mentali regularium. *Reuera religioſus orationem aſſiduè non frequentans, non ſolum eſt miſer, & inutilis; quinimò coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo.* Alibi quoque ſic fatur. *Vita religioſi ſine ſtudio deuotionis internæ, ſicut fauus ſine melle, ſicut murus abſque temperamento; & ſicut cibus abſque condimento.* Et rurſus infra. *Omnis religio arida, & imperfecta eſt, & ad ruinam promptior, quæ ſpiritum diuinæ ſuauitatis non quærit, & præcipuum conamen ad ſtudium internæ puritatis non impendit.* S. Bonau. de perfe. vitæ c. 5. Idē in opuſcul. de proc. reli. l. 7. c. 11.

Nec

Idem intentum de neceſſitate orationis pro monachis ex Patribus recentioribus probatur.

CAP. IV.

1 ORationis neceſſitatem ex Patribus antiquioribus ſuadere capite præcedenti conati ſumus. Præſens idem tentat iter. Nec enim deſiderio noſtro ſatisfactum putauimus, ſi in præcipuo negotio religionis, ſiue reformandæ, ſiue etiam tuendæ, inertes, deſides, ac negligentes reperiamur. Aliorum ergo Patrum teſtimonia ſuscipiat Lector.

2 Primus obuius venit B. Albertus Hieroſolymorum Antiſtes, & noſtri Ordinis Carmelitani decus, qui in regula ſuis fratribus conſcripta; vitæ formulam, quam in poſterum tenere deberent, tradens, iuge orationis exercitium illis ſic præſcribit. *Manant ſingulis cellulis ſuis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi aliis iuſtis occaſionibus occupentur.* Audiant hæc Carmelitæ omnes, tam qui obſeruantes, quam qui primltiuam regulam profitentes nuncupantur; nouerintque ſinguli, ad continuam orationem, & in lege Domini meditationem ex præcepto regulæ, nulla diſpenſatione prætenſa, aſtringi, & obligari. Etſi enim Eugenius Quartus Pontifex Maximus capitulum hoc regulæ, quoad manſionem in cellulis, benignitate Apoſtolica mitigauerit, concedens fratribus noſtris, quod *hortis egredi, in eorum Eccleſijs, & illorum Clauſtris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licitè, & liberè valeant*: nunquam tamen à continua oratione, meditatione, & in regula nobis intimata, à Pontifice aliquo exempti, aut liberati ſumus. Proculdubio, quia hic eſt finis, propriuſque noſtræ religionis ſcopus, vt latè probat Thomas de Ieſu ex Gregorio Nono, Innocentio Quarto, Alexandro Quarto in bullis Pontificiis. En finis; en portus, ad quem religioſi noſtri Carmeli mœrem conſcenderunt: ſciant ergo ab eo forſan ab errantes, miſereque quoque à ſui ſtatus obligatione cadere. *Ignoranti enim* (ait Seneca) *quem portum petet, nullus ſuus ventus proprius eſt.* Iure ergo Reuerendiſſimus Sebaſtianus Fantonus totius noſtri Ordinis

Albert. in reg. Carmel. c. 4

Eugen. iv. in bulla mitigat.

Th. de Ieſu ſup. re. Car. 2. p. dub. 4.

Seneca.

nis Generalis Prior, bis in die ab omnibus regularibus nostris in communi choro orationem mentalem haberi decreuit. Est enim (vt dicit) *mentalis oratio, seu meditatio, sine qua, vt sine a nima, regularis vita neq uaquam consistere valet.* Ex quo nō modo nostris religiosis; sed omnibus etiam; tam sanctum exercitium necessarium esse liquet clarè.

Ceremo. Ord. l. 2. rubr. 66.

Sed commentarij loco apponere libet, quæ scripsit circa hunc textum Reuerendissimus Ordinis Præsul, litteris, & virtute venerandus Ioannes Sorethus *in expositione Parenetica Regulæ textu 8. cap. 1. fic. Quietis pedibus stillant, manentque in cellis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes; sine intermissione orantes, die in lætitia; & nocte in tribulationibus. Optima coniugatio manent* (inquit) *in cellulis suis iugiter meditantes, quia iuge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies; rogio caleftia meditari.* Et *cap. 21.* hæc scribens: *Sintigitur fratres in cellulis, vel iuxta eas circa mores suos iugiter meditantes, & in orationibus vigilantes, vt scilicet non surripiat eos callidus tentator, qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Vnde Athanasius in exhortatorio ad monachos,* Orationes si fieri potest sola legendi ocasio interrumpat. *Omnis monachi Religiosi finis, cordisque perfectio ad iugem, atque in diruptam orationis perseuerantium intendit, & quantum humano fragilique licet conteditur; ad immobilem mentis tranquillitatem perpetuæ quietis tatem enixè prouehitur, ob quam tam omnem laborem corporis, quam contritionem spiritus indefesse querimus, & iugiter exercemus.*

Ioannes Soreth.

3 Accedit Seraphicus Doctor D. Bonauenctura, qui adeò proposito nostro suffragatur, vt non modò solus pro re tanta omnium religiosorum animis persuadenda sufficeret, sed, & aliquot eius verba grano salis condiri petant: obnixè enim, & rigorosè exercitium orationis religiosis omnibus suadere contendit. In opusculo de perfectione vitæ sic loquitur de oratione mentali regularium. *Reuera religiosus orationem assiduè non frequentans, non solum est miser, & inutilis; quinimò coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo.* Alibi quoque sic fatur. *Vita religiosi sine studio deuotionis interna, sicut fauus sine melle, sicut murus absque temperamento, & sicut cibus absque condimento.* Et rursus infra. *Omnis religio arida, & imperfecta est, & ad ruinam promptior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, & præcipuum conamen ad studium internæ puritatis non impendit.*

S. Bonau. de perfe. vitæ c. 5. Idē in opuscul. de proc. reli. l. 7. c. 11.

Nec

Idem in l. de ſex alis ſera. c. 3.

Nec fui oblitus eadem ferè repetit alio in loco ſic dicens. *Cauenda eſt perturbatio ſtudij deuotionis, ex qua ſulcitur omnis vera religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida eſt omnis religio, quæ non oleo iſto ſaginatur. Inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur: ſicut paries lapidum ſine cemento. In omni religione vbi deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina ineipit deficere, & appropinquare ruinæ.* Ex alphabeti quoque

Id. in alph. ſcr. 2. 22. monachorum lectionibus hæc habemus *Omne tempus cum Deo vtiliter expendas.* Et rurſus. *Chriſtus ſit vita tua, meditatio tua.* Iterumque. *Hymnos, & pſalmos canere, monachorum eſt.* In collationibus etiam ex mente Ioannis Synaitæ ſic definit monachum. *Monachus eſt, qui ſolum, quæ Dei ſunt, agit, cogitat, & loquitur, Chriſto vnitus in omni tempore, loco, & negotio.*

Id collat. 8

His indicans verbis ſubſtantiam monachi in firma ad Deum adhæſione, quæ media oratione fit, poſitam eſſe. In regula quoque

Id in reg. noui. c. 2. nouitiorum ipſos de oratione ſic inſtruit. *Stude ſemper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione.* Inferiuſque tremendum ſupplicium religioſo iugiter non

Idem. oranti ſic comminatur. *Ora ergo chariſſime, & te in oratione exerce, quia pauperi non oranti æterna ſupplicia promittuntur. Ait enim Bernardus: Ora frater; inſtanter ora, quia ille dicitur habere tunicam mixtam ſanguine, qui carnem ſuam nutrit de pauperis ſudore.* Quod vtinam religioſi aliqui attenderent, ſaltem enim in gratiarum actionem pro alimento ex ſudore pauperum mendicato, iugiter Deo vacarent. Addidem intentum San-

Idem in ſpec. diſc. p. 2. c. 1. Idē in ep. quadam. ctus iſte Pater ſic loquitur alibi. *Inſtent orationi feruenter, quæ nouam in horto Domini plantulam fouet, prouehit, & confirmat.* Et infra. *Porrò, qui ad orationem eſt negligens, ſuæ ingratitudinis, & tepiditatis eſt teſtis. Fruſtra profectus virtutum ſine oratione ſperatur.* Hanc ob cauſam Sanctus hic Doctor cum eſſet ſui ordinis Generalis in epiſtola ad Prouincialem quem iam directa, ipſum *per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, & per ſtigmata paſſionis eius* adiurat, & præcipit. *Vt primum quidem ad ſanctæ orationis ſtudium fratres ſuæ curæ commiſſos efficaciter incitet.* Sentiens ſanè Sanctus, & religioſus Præſul religioſæ regulæ obſeruantiam, ſtatumque religioſum ex aſſidua oratione neceſſario pendere.

4 Nec mirum ſanè Sanctum Bonauenturam eximium adeò orationis exercitii prædicatorem extitiſſe, qui Beati Franciſci filius, &

lius, & hęres, ſpiritum duplicem, tamquam alter Eliſeus poſſedit. Diuus etenim Franciſcus præclarus oratorio zelator, eam filiis, quaſi pro teſtamento reliquit. Cum ſemel à quodam ſui ordinis alumno literarum ſtudium Bononiæ introductum agnoſceret, non modo acriter reprehendit, ſed dura maledictione, quam infœlix rei euentus ſubſequutus eſt, impetiuit. Franciſci irati ecce verba. *Tu vis deſtruere Ordinem meum? Deſiderabam ego, & volebam exemplo Domini mei, fratres meos magis orare, quam legere.* In actib. S. Franc.

Clarè innuens Seraphicus Pater totius ordinis diſpendium ex defectu orationis dimanare. Alibi quoque idem exercitium, vt prorſus neceſſarium viro religioſo, his verbis commendauit. *Gratia orationis viro religioſo maximè deſideranda eſt. Nullus enim ſine ea in Dei ſeruitio properare poteſt.* Veritatem amplexus, quam non modo ſacræ literæ, ſed experientia ipſa quotidie teſtatur. Ex eius vita.

5 Angelicus quoque Doctor Sanctus Thomas angelici exercitij orationis commendator eximius habeatur, quod, & verbis, & opere compleuit. Adeò deditus orationi fuit: *Vt nunquam ſe lectioni, aut ſcriptioni dederit, niſi poſt orationem. Quin ſodali ſuo Fr. Reginaldo dicere ſolebat: quidquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore ſuo peperiſſe, quam diuinitus traditum accepiſſe.* In legenda S. Tho.

Hæc ex eius legenda habentur. Ex hiſtoria quoque ipſius mirabilis hæc ſententia ab ipſo prædicata elicitur. *Religioſus ſine oratione, miles eſt in prælio ſine armis, & nudus.* Hinc in epiſtola adhortatoria ad quemdam religioſum ſic loquitur. *Hæc eſt ergo monitio mea, & inſtructio tua. Tardiloquum te eſſe iubeo, & tardè ad loquutorium aſcendentem; conſcientiæ puritatem ampectere; orationi vacare non deſinas; cellam frequenter diligas, ſi vis in cellam vinariam introduci.* Nec mirum adeò ſedulè Angelicum Doctorem orationem religioſis intimaſſe, qui in ſua Summa Theologię exaratum reliquit, medium, quo diuina prouidentia hominibus neceſſaria prouidit, orationem eſſe: *vt ſcilicet homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare.* Innuens hiſce verbis viam regiam, per quam nobis, omnibus religioſis præcipuè, annona de cœlo venit, orationem eſſe. Hiſt. a. Th. Idē opuſc 68.

6 Ad hęc S. Vincentius Ferrerius Hyſpaniæ noſtræ, & prędicatorię familię decus, iam adiungitur, qui in opuſculo de vita, & inſtructione ſpirituali, priſcorum monachorum exempla ſequutus promiſcuam orationem, & lectionem vult proprium

D. Vincē. de vi. ſpi. c. de ſom. & vigilia. Ibi. c. vlt.

eſſe religioſi munus. *Iterato* (inquit) *ad ſtudium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & ſic alternando commutes.* Clarius capite vltimo eiuſdem opuſculi, inter perfectiones neceſſarias ſpiritualem vitam agentibus, hanc recenſet. *Diutiſſima, & continua recordatio beneficiorum Dei, & die, ac nocte ſtare in oratione.* Scitum, & facetum eſt illud magiſtri cuiuſdam, qui cum à nepote ſcientiarum cupido rogaretur, num ſibi liceret a meditatione ceſsare aliquando? Reſpondit ironicè. *Licet: modo hoc nec die fit, nec nocte: ſcriptum eſt enim in lege Domini meditandum die, ac nocte.* Id ipſum religioſo interroganti de ceſsatione ab oratione dicere poſsumus. Licere quidem, dummodo neque die, neque nocte ſit, quia iuxta placitum Vincentii, aliorumque Patrum: Religioſus debet *die, ac nocte ſtare in oratione.*

7 Vincentii mentem, ſpiritumque bibiſſe viſus eſt S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus; vt enim ex eius vita habetur dicere ſolitus erat: *Omne tempus perdidiſſe exiſtimo, quod ſine oratione, & diuinis contemplationibus conſumpſi.* Vera quidem ſententia, & religioſæ mentis muneris manifeſtum iudicium.

S. Lud. in eius vita.

8 Ioannes Rusbrochius piiſsimus author, altiſſimęque contemplationi deditus, in libello de ſeptem cuſtodiis ad monialem Franciſcanam directo, tam ipſam, quam religioſos omnes de orationis iugi ſtudio, ſic monet. *Licet à Deo peccatorum veniam conſequuta ſis, nihilominus coram illius ſemper miſericordia perſeueranſ: corde, & affectu intus vociferaberis: Deus propitius eſto mihi peccatrici. Animum tuum perpetua cum laude ad ipſum ſuſtolles, & affectum, ac deſiderium tuum cum diuina bonitate ad beatos, & mortales omnes perenni cum charitate latè extendes: cor vero tuum ingenti cum reuerentia coràm ſublimi Dei omnipotētis maieſtate, & Domini Ieſu pedibus ſubmittes, ac humiliabis; in eoque verſaberis exercitio, & quemdam illius habitum tibi efficies, ac comparabis: in quo omnes vitæ tuæ dies verſeris, ac ambules.* Hæc Rusbrochius. Quibus ſi adiungas in margine notari hęc verba: *quotidiana religioſorum exercitia:* facile elicies iugem orationem, eſse exercitium quotidianum regularium ex mente Rusbrochii.

Io. Rusb. de ſeptem cuſtodiis c. 1.

9 Præterea D. Dionyſius Carthuſianus ſermonem quemdam, qui eſt 7. de Dom. 2. poſt Natiuitatem, ad religioſos direxit de virtute, & modo orationis ab illis ſeruando: in quo inter alia hęc habet. *Multis Sanctorum affirmant ſummum, ac ſpecialiſſimum opus monachi eſſe, puram Dei orationem indefinenter offerre.*

Dion. Car

offerre. Et infra approbat illud ex Cassiano. *Omnis finis, atque perfectio monachi adiugem orationis perseuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem, puritatemque nititur.* Rursus serm. 5. ad religiosos de Dom. 4. Quadrages. sic habet. *Si cupimus veraciter esse filij Hierusalem, seu militantis Ecclesiæ; discamus cœlestia, contemplari, cœli formiter conuersari. Angelicam in terris ducere vitam, atque futuram iam beatitudinem inchoare.* Et infra. *Si ergo assiduè conemur nos actualiter Deo coniungere, eius laudibus omni hora insistere, orationibusque vacare, ad summæ & increatæ pulchritudinis nos contemplationem dare, imo, & in exterioribus, seu corporalibus occupationibus mentem ad Deum frequenter erigere, meditando, orando, psallendo, tunc vtique cœlestem agimus vitã, & futuram beatitudinem inchoamus, &c.* Idem. Sermone quoque 6. de Pascha, sic loquitur. *Magna hominis religiosi est ista calamitas, quod non amplius delectetur loqui, & occupari cum Deo, orando, psallendo, meditando, contemplando, &c. quam cum hominibus.* Sermone quoque 4. de Dom. 18. post Trinitatem, sic prosequitur. *Orando, meditando, psallendo, occupetur semper cor nostrum in Deo. Dominum Deum cum prophetа oremus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Itemque: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia. Rursus: notam fac mihi viam, in qua ambulem, & doce me facere voluntatem tuam.* Præterea serm. 7. de Dom. 25. post Trinitatem, sic habet. *Ad hoc tendit institutio regularis, atque professio monachalis, vt monachus, quantum in vita præsenti sit possibile, indesinenter Deo intendat orando, psallendo, meditando, legendo, contemplando, &c.* Idem. Innumeratandem ex piissimo hoc Patre in sermonibus de Sanctis, eis præcipuè, qui ad religiosos diriguntur, breuitati consulens omitto.

10 His etiam Patribus D. Laurentius Iustinianus adhæret; qui sicut feruore, zeloque animarum splendidissimus fuit, sic quoque perfectionis monasticæ ardentissimus fuit amator. Orationis ergo necessitatem pro religiosis aliquoties asseruit. In libro de obedientia orationem vocat, robur, & præsidium cœnobiorũ. S. Laur. Iustin. de obed. c. 17 *Ipsa* (inquit) *cœnobia sunt præsidia munitissima, sanctorum Angelorum vallata custodijs, ignitarumque orationum roborata suffragijs.* Verissimè sanè, sine oratione namque languescit cœnobium, omniumque inimicorum patescit insidijs. Hinc in libro

Idem de grad. per. c. 2.

de gradibus perfectionis religioſos ſic alloquitur. *Nullus perfectè enarrare ſufficit, quàm neceſſaria ſit oratio cunctis, & quantum ad perfectionem venire anhelantibus omnino ſit congrua. Audeo etiam dicere neminem abſque illa poſſe ad ſalutem pertingere.* Hæc Laurentii Iuſtiniani verba, ſicut, & alia ſimilia D Bonauenturæ, hoc etiam capite allata, alicui forſan duriora apparebunt. Horum tamen Patrum authoritas, ſimulque dicta, dicendaque, veriſſima eſſe in aliquo ſenſu certiſſimè ſuadent.

11 Quis tamen pro hoc intento de neceſſitate orationis confirmando, Sanctam Virginem Tereſam, noſtri ſæculi, ſacræque religionis iubar, & decus non deſideret? Quæ enim toti Hiſpaniæ, orbique toti, orationis, & myſticæ Theologiæ Magiſtra fuit, nonne religioſo ſtatui idem munus intimaſſe creditur? Siue ergo vitam ipſius, ſiue etiam libros de itinere perfectionis, aut etiam de manſionibus ab ipſa conſcriptos legeris, hunc ſcopum ſibi præfixiſſe inuenies, vt orationis exercitium religioſis cunctis neceſſarium aſtruat. Specialiter regulæ obſeruantiam ex orationis ſtudio dimanare, ſic admonet. *Oremos ſin ceſſar, que conque ſe haga eſto, que es lo mas importante, no ſe dexaran de cumplir los ayunos, diciplinas, y ſilencio, que manda la orden.* Deinde exercitium iſtud orationis dicit eſſe fulcimentum, & ſcopum religionis: ideoque ſolitudinem maximoperè amplectendam eſſe. Sic vero loquitur. *A coſtumbrarſe à ſoledad es gran coſa para la oracion, y pues eſte adeſer el cimiento de eſta caſa, ya eſto nos juntamos, mas, que à otra coſa, es meneſter traer eſtudio, en afficionar nos à loque eſto mas nos ayuda.* Demum (vt vno verbo dicam) tota vita ipſius, geſta, dicta, & ſcripta eò tendunt, vt commoda, & vtilitates ex orationis exercitio prouenientia, cunctis, regularibus præſertim ſuadeat. Ad hunc quoque finem iugis orationis religionem fratrum, & monialium inſtituit, & quia magno cum feruore, totiuſque populi Chriſtiani exemplo id præſtat, ideo inter Eccleſiæ luminaria, vt ſidus ſplendidiſſimum maximè fulget, in perpetuaſque æternitates ſacra hæc progenies fulgebit.

3. Tereſa de itinere perfec c. 4

12 Iungam his Patribus graues alios Doctores, qui etſi Sanctorum numero nondum aſcripti teneantur, inter graues tamen authores locum tenent; qui quaſi manu data monacho proprium munus, & exercitium orationem meſſe, clarè tuentur. Ex quibus venerabilis Thomas de Campis orationis neceſſitatem ſæpius religioſis commendat. In libro de ordinatione, & diſciplina Clauſtralium, ſic loquitur. *Tria ſunt omni religioſo neceſſaria*

ria, sine quibus non potest diu stare in bona vita. Hæc sunt oratio, lectio, operatio. In istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo horum occupare. Oratio illuminat, oratio purgat, oratio consolatur, oratio lætificat, oratio impetrat fauorem, oratio alleuiat labrem, oratio nutrit deuotionem, oratio præbet fiduciam, oratio expellit pigritiam, oratio fugat Dæmonem, oratio vincit tentationem, oratio semper est necessaria, sicut gratia, sine qua viuere spiritualiter non possumus, Rursusque; *Non tepigeat orare, si vis à vitijs liberari.* Ex valle quoque liliorum lilia hæc flagrantia collegi. *Hæc tria in ordine valde necessaria, Deo, & Angelis accepta; scilicet laborare manu contra otium; amare lectionis studium contra cordis tadium: & continuare orationis vsum contra Diaboli dolum.* Alibi quoque sic. *Beatus religiosus, cui sacra lectio cibus, oratio potus, psalmus iubilus, meditatio Christus, speculatio Deus, fiabunt venti, & non nocebunt Deo vacanti, & oranti.* In enchiridion etiam monachorum, sic monachum instruit. *Incessanter orandum est, ne vincaris a vitijs, & in profundo malorum desperando submergaris.* Hæc, & alia pius, & grauis author satis clarè necessitatem orationis regularibus intimans.

Th. a Cāpis de discipl. Claustr. l. 5. c. 1. 2.

Idem.

Idem in valle liliorum c. 17. Idem. 2-p. serm. ad nou. ser. 4.

Idem in Enchirid. c. 2.

13 Accedit Ioannes Lanspergius deuotus author, Carthusianusque monachus, oratorii exercitii commendator percelebris. In dialogo monachi cum milite Lutherano, sic loquitur. *Ad hoc potissimum vitā cœnobitica est destinata, quæ ferè semper noctu, diuque quantum corporalis concedit facultas, eo tendit, vt ibi (quod in cœlo fit) ideò Dei præconium canendo, iubilando, gratias agendo, precando, meditando peragatur.* In libro etiam de vera religione, etsi diuersos Ordines ad diuersa munera in Ecclesia exercenda addictos esse dicat; omnes tamen ad munus orationis destinatos esse docet. *Nonnulli ad concionandum, & docendum, nonnulli administrandum ægrotis, nonnulli ad tutandam fidem, nonnulli ad liberandos captiuos, &c. Omnes tamen ad Deum, cantando, & orando, & gratias agendo, laudandum; ipsique mundo corde adhærendum sunt destinati.* Ecce nostri capitis scopum à Lanspergio descriptum, monastici scilicet muneris esse, diu, noctuque indefessa vigilia orationibus insudare.

Io. Lanspe in Dial.

Id. in lib. de vera reli. c. 14. Idem in l. de vera reli. c. 24. Idem de vera reli c. 14

14 Clarissimè etiam Fr. Hieronymus Sauonarola inter Dominicanos Patres valdè insignis, inter regulas quasdam ab ipso conscriptas, quę habentur in antiquis constitutionibus huius sacri Ordinis, sic habet ad intentum. *Principale studium religiosi est,*

Hier. Sau. *eſt, conari die, nocteque vt anima ſua ſit Deo coniuncta, per orationem, & contemplationem, continuumque amorem actualem.* Inferius quoque ſic. *Cum omni, & ſumma diligentia, & ſolicitudine vacare debet orationi, & contemplationi, ita vt ſæpiſſimè eleuet mentem ſuam ad Deum, & oret cum breuitate, tam in Eccleſia, quam in menſa, tam in domo, quam in theatro, tam ſedendo, quam ambulando. Et frequentiſſimè dicat: verſiculum illum: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Item dicat: Miſericordia tua Domine ſubſequetur me, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Tandem in fine ſic concludit. *Religioſi, qui iſta non conſiderant, ſed ambulant ſine conſideratione finis proprij, efficiuntur tepidi, inquieti, murmuratores, ambitioſi, iracundi, loquaces, ſenſuales, hiſtriones, & duriores, quam ſæculares ad pœnitentiam. Et niſi Deus per ſuam miſericordiam eos reuocet, in alia labuntur præcipitia, à quibus nunquam poſtea liberantur.* Hæc, & alia grauis auctor.

15 His iunge Ioannem Gerſonem inſignem Pariſienſium Cancellarium, qui ſæpius religioſi munus orationem dixit. In reſponſione ergo apologetica, ad quemdam Carthuſianum monachum monet, toto tempore, quo obedientiæ legibus non obſtringitur, orationi operam dare. Ad quod, vtitur illo, verſiculo.

Gerſon. Alphab. 19. l. E. *Fac opus iniunctum, inde vacato tibi.*

Subiungit tamen modum. *Conſulo tamen, vt iſta vacatio ſit taliter practicata in deuotionis otio, vt non reddatur inepta per lachrymas, aut alia læſiua corporis, vel mentis exercitia, &c.*

Similiter tractatu de oratione: & eius valore religioſum etiam inſtruens, profeſſionem ipſius eſſe ad orationis munia exercenda, declarat his verbis. *Recogites in meditatione tua profeſſionem, in monaſterio, videbis te conſtitutum, & peculiariter dicatum, vt ſis veluti quæſtor aliquis, qui pro languentibus, & indigentibus in hoſpitali magno totius vrbis, quærere debeas eleemoſynam, non tam corporaliter, quam ſpiritualiter ſuſtentantem.* Et paucis interiectis. *Meditare igitur vt columba ſimplex, & gemens, & ſit meditatio tua in conſpectu Dei ſemper.* Hæc Gerſon innuens ſatis munus proprium religioſi orationem eſſe.

Id. Alpha. 77. l. 2.

Idem.

16 Omnium tamen clarius, & diſtinctius, munus orationis religioſi iniunctum expoſuit celebris Benedictinus Abbas Ioannes Trithemius. In homilia ergo quadam ad monachos, ſic loquitur.

quitur. *Dominus, ac Saluator noster Iesus Christus in Euangelio, fratres, volens nos continuos esse in orationibus, ita præmonuit, dicens: Oportet semper orare, & nunquam deficere. Hoc Domini consilium, præ cunctis mortalibus, maximè decet monachos, & omnes, in quacumque religione clausurales, quorum omnis actio, & tota vita, imo quidquid faciunt, aut oratio esse debet, aut saltem orationi conforme.* Ne tamen tepidus, aut imperfectus religiosus muneri sibi iuncto per horas solum canonicas, seu quotidianum officium Ecclesiasticum, omissa oratione mentali, satisfacere putet, subiungit postea. *Non satis est monacho in schola Christi Regis æterni ad perfectionem tendenti orationes canonicas persoluere, nec sufficit homini Deo per votum solemniter dicato preces Ordinis communes in conuentu adimplere, quoniam qui semper orare sine intermissione præcipitur, vltra verbales, etiam ad spirituales orationes obligatur.* Hæc Trithemius, quæ si rectè expendantur, & monachi officium, & intentum nostrum his capitibus satis innotescit. Trithem. hom. 8. ad mon. Idem.

17 Cum tamen hæc ita sint, & tam vnanimi, constantique assensu Patres hi omnes, his capitibus adducti, orationis necessitatem regularibus omnibus proponant, mirum erit si aliqui ex religiosis inueniantur, tam sanctum exercitium respuentes. At multos esse non tam ego; quã Diuus Bonauentura plorat sic inquiẽs. *Qui sunt hodie, qu huiusmodi meditationibus vacent? Qui sint exploratores gaudij cælestis? Qui corde, & animo conuersentur in cœlis? Rari sunt. Vnde dici bene potest de quibusdam religiosis illud verbum, quod B Bernardus dicit, quorum studium deberet esse cœlos deuotione penetrare, mente circuire supernas mansiones, salutare Apostolos, & choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, omnibus his postpositis, turpiter mancipant corporis seruituti ad obediendum carni, & ad satisfaciendum gulæ, & ventri.* Alibi quoque de quibusdam religiosis ait; quod *non solum non sentiant, sed nec quærant, nec desiderent, neque curent, imo, neque credant, sed inuideant, & persequantur in alijs deuotionis gratiam.* Paschasius quoque author grauis, & inter Bibliothecę Patres relatos dum illud Hieremiæ: *Dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum*: exponit; miseram sortem quorumdam regularium, qui orationis sanctę exercitio vale dixerunt, sic deplorat. *Quid ergo putas sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispersi, nisi monachorum sancta, & Deo consecrata societas? qui semper debent Dei apparare in secreto* D. Bonau. de perf. vitæ. c. 5 Idem de processu relig. l. 7. c. 11 Thren. 4. Paschas. 4. in lame Hierem. in 2 tom. auct. Bibl.

creto conſpectibus? Et infra. *Ideo diſperſi plorantur, quaſi lapides Sanctuarij in capite omnium platearum, quia dum per vitam, & orationem intus eſſe in contemplatione Dei ſemper debuerant, per vitam reprobam foris paſſim vacant.* Innuens ſatis plures regularium eſſe, qui orationis exercitium ferè contempſerint. Ioannes Lanſpergius in ſerm. quodam ad congregationem monachorum habito, multos eſſe ex religiosis, qui ſanctæ orationis exercitium reſpuant, sic habet. *Sunt alij, qui ſolutis vtcunque horis, & ordinis debitis, deinceps externis ſuis vacant, nihil prorſus de internis, parum de meditatione, aut contemplatione, parum de oratione mentali, aut exercitijs ſpiritus ſcientes.* Ecce iam multos eſſe ex regularibus, qui orationi non vacent ex his Patribus habemus.

Lanſperg. in ſerm.

18 Hi ergo omnes, Patrum teſtimoniis adductis, ad tam ſanctum exercitium, totis viribus traher di, & reuocandi ſunt. Neque enim aliter vitia eradicare, virtuteſve in religionibus plantari poterunt, nisi ſancta oratione mediante, *Oratio enim* (teſte Caſsiodoro) *ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitijs, ſubleuat ad cœleſtia, reddit capacius, & dignius ad accipienda bona ſpiritualia.* Vnde optimè B. Thomas de Villanoua. *Religioſus tepidus, ſi non orat, & laudat, quid accipiet?* Ac ſi dicat; ſine oratione religioſum, virtutibus vacuum, vitiisque plenum recenſeri. Rixoſos ergo, vagos, deſides, otioſos, impudicos, auaros, iracundos, guloſos, ſuperbos, ambitioſosque regulares (ſi quos videris) hos omnes ſine oratione viuere, facile ſuſpiceris. Si forte etiam religionem aliquam deformatam, diſcolis, vagisque, ac inhoneſtis fratribus reſperſam conſpexeris, propter orationis egeſtatem, vel penuriam hoc illi malum euenisſe credas. E contra verò religioſos humiles, pauperes, pudicos, obſeruantes, obedientes, temperatos, quietis amatores, fructum animarum zelantes, virtutibuſque plenos (quales multi ſunt) ex eo tales putes, quod orationis ſedulè incumbant. *Quemadmodum enim* (verbis Chriſoſtomi vtar) *vbi regina quæpiam ingreditur ciuitatem, neceſſè eſt, vt omnis opulentia pariter conſequatur, ſic videlicet poſtquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes ſimul ingrediuntur.* Ergo bene religiose, hoc tibi maximè in cura ſit, vt orationis ſtudium totis viribus anheles. Baſilius tibi loquitur. *Hæc vna recordatio ſi eſſet efficaa contra omnia vitia medelam præberet.* Faxit Deus, ita fiat.

Caſſiod.

B. Tho. de Villan. in Conc: de Sept.

Chriſoſt. l. 2. de orãdo Deũ

D. Baſil.

Quia

19 Quia vero solitudo *Orationis schola*, iure à Patribus cēsetur, ideo, quæ de solitudine cōmendanda Reuerēdissimus Ordinis nostri Præsul, antiquitate, & pietate Venerandus Nicolaus Gallicus in suo piissimo opere *Ignea sagitta* compellato, *cap.* 11. scripsit, hic meritò apponenda. *In solitudine nobis omnia prosperè patrocinantur elementa. Firmamentum miro ordine Planetarum, ac Syderum mirabiliter decoratum, nos ad superiora, miranda, suapulchritudine allicit, & inuitat. Aues Angelicam naturam quodammodo induentes, suauem cantus melodiam ad nostrum solatium mirabiliter modulantur. Montes etiam iuxta Isaiæ prophetiam, nobis mirificam stillant dulcedinem: sed & colles nostri consortes fluunt lac, & mel, quæ mundi huius amatores fatui non gustabunt. Nobis autem ad laudem psallentibus, Creatoris montes circumstantes, fratres nostri conuentuales, iuxta identitatem vocis', nostræ linguæ plectra percutientes, ac vena organica in aere modulantes, vnà nobiscum tono concordi resonant Dominum collaudantes. Germinant radices, virent herbæ, frondes, & arbores nobis suo modo lætanter applaudentes: de hac autem iucunditate solitudinis secundum sensum tropologicum scriptum est in Isaia*, Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. *Et iterum in psalmo*: Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Hucusque ille. Nos verò vlterius progrediamur. Nicolaus Gallicus

Regulæ, & Constitutionum inuiolabilis obseruantia religiones reformat: & in hoc deficere ipsas euertit.

CAPVT V.

1 EO vel maximè orationis exercitium regularium Ordinum reformationi necessarium est, vt vel sic religiosi omnes ad propriæ regulæ, communisque obseruantię modum suauius se astringant: vnde postquam in præcedentibus capitibus orationis officium commendauimus, nunc in præsentibus regulæ, & cōstitutionū inuiolabilē, & peruigilē custodiā, ipsis omnino necessariā proponimus. Patrū ergo testimonia pro obseruantia sanctę regulę, & constitutionū perscrutemur.

2 Adſtat primus Sanctus Ephrem Syrus, qui non ſemel, ſed ſæpius, regulæ, ac conſtitutionum regularium obſeruantiam religioſis commendat. *Si in cœnobio fratrum degeris, regulas conuentuales ne deſpexeris. Si ſolitariam vitam vixeris, caue optimas formas Anachoretarum, qui rectam tibi ſemitam ſtrauerunt, deprauerit.* Et infra. *In monaſterio igitur reſidens, canonem, ſeu regulam cum omni reuerentia, & amore Dei ſequere.* Quod vlterius exemplo S. Abrami Eremitæ ſic comprobat. *Toto porrò tempore renunciationis ſuæ canonem, ſeu regulam ſemel arreptam, nunquam mutauit, ſed quinquaginta annorum ſpatio in vitæ religioſæ ſtudio ſe exercuit.* Alibi quoque ſic monachos inſtruit. *Modum, ac normam, quam illuſtres, perfectique illi noſtri Patres tradiderunt, omni conatu, ac ſtudio teneamus.* Et infra. *Vnam nobis regulam chariſſimi deligamus, per quam Dei grati, acceptique eſſe poſſimus: nobiſque ipſis, ac proximis noſtris prodeſſe valeamus.* In ſermone etiam quodam Aſcetico de vita monaſtica, antiquos monachorum patres, ex eo perfectiſſimos, probatiſſimosque euaſiſſe commemorat; quod vnius regulæ acceptæ fuerint exacti obſeruatores. Sic Ephrem. *Propterea verò, & S. probatiſſimique olim Patres, iactis firmiter vnius viuendi regulæ fundamentis, perfecti euaſerunt; ſiquidem illum canonem, ac regulam, quam ſemel arripuerant, ad finem uſque vitæ ſine impedimento aliquo retinuerunt.* Subiungit poſtea. *Et ideò Deus quoque in illis habitauit, atque in eis eſt glorificatus, & quicumque illos videre, vel audire meruerunt, Deo gloriam dederunt.* Hæc, & alia S. Ephrem oſtendens ſatis vitam, perfectionemque regularium ex inuiolabili obſeruantia regulæ, & conſtitutionum pendere: è contra verò damnum religionum ex parum accurata legum cuſtodia prouenire. Demum paræneſi prima quantum præmium obſeruanti monacho reſeruatum ſit, ſic deſcribit. *Seruа mandata Altiſſimi ò monache, & Patrum conſtitutiones recole, pietatis pugil, hæc enim faciens regni cœleſtis hæres deſignaberis.*

s Ephrem adhort. 1. ad nouit.

Idem in ſer. B. Abr.

Id. in ſer. aſcet. de vita rel.

Idē in ſer. aſcet. de vita mon.

Idem.

3 Accedit Ioannes Caſſianus antiquus Heremita, ex quo aliqua pro noſtro intento confirmando deſumere poſſumus. Primò ergo in libro quarto de inſtitutis monachorum renunciantium ſæculo; immenſam gloriam fideliter obſeruantibus regulam Ordinis promicti, & grauiſſimas pœnas non obſeruantibus præparari, ſic aſtruit. *Sicut namque immenſa gloria fideliter ſeruientibus Deo, ac ſecundum regulæ inſtitutionem ei adhærentibus repromit-*

Ioā. Caſſ. l. 4. de inſt renū c. 33

promittitur in futurum, ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligenterque fuerint exequuti. In collationibus quoque, monachum propriæ regulæ transgressorem, incorrigibilem euadere, & difficilius, ad perfectionem ascendere, quam carnalis sæcularis, vel etiam infidelis, grauissimis his verbis docet. *Facilius ad salutarem conuersionem, ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est sæcularis, vel gentilis accedit, quam is, qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens, secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritalis feruoris igne discessit*. Rationem sic subiungit. *Ille namque* (scilicet carnalis, vel gentilis) *corporalibus saltem vitijs humiliatus, atque immundum se sentiens, contagione carnali, ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen, quandoque compunctus accurrit*. Idē coll. 4.c.19.

Idem

De monacho verò regulæ transgressore, sic addit. *Qui semel, vt diximus, tepido exordio initio monachi cœpit abuti vocabulo nec tamen humilitate, ac feruore, quo debuit iter huius professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex se vlterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri*. Proh dolor! Quam horribilia sunt hæc verba improbis, ac deprauatis religiosis suæ regulæ contemptoribus. Ex eis enim liquido innotescit monachum illum, qui propriæ regulæ obseruantias spernit, quasi à Deo despectum, difficilius, quam alterum hominem quantumuis prophanum, & infidelem, ad perfectionis fastigium peruenire posse. Cùm verò tendentia in perfectionem proprium munus religiosorum sit, attendant regulæ monasticæ contemptores, quantum malum sibi ascisçant ex culpabili transgressione legum religionis.

4 Ad idem Theodorus Studita in suo testamento (prout in Bibliotheca Patrum habetur) hoc legatum monachis velut opulentissimam hæreditatem, his verbis reliquit. *Leges, ac scita maiorum, in primisque Magni Basilij, non migrabis, quin quodcunque ages, dices, vel ex sacris literis, aut paterna tua consuetudine geres*. Si consilium hoc monachi cuncti sibi arriperent, propriæ vtilitati consulerent, & perditioni religionis obuiarent. Theod. Stud. in testam. in 2 t. Auct.

5 Consulit idem Albinus Flaccus Caroli Magni Magister, monachos namque in epistola quadam instruens, sic loquitur. *Regularis vitæ obseruationem diligentissimè custodite; quatenus æternam benedictionis mercedem habere mereamini. Hæc est laus vestra, iste honor vester apud homines, & retributio apud Deum*. Albi. Flac. epist. 49

Sanè hoc ita esse experientia comprobat. Quę enim religio pro-

priæ regulę inſtitutionumque arctiſſima obſeruantia tenetur, apud Deum, & homines vbique honoratur: quę tamen illarum cuſtodiam ſpernit, leui nota, apud omnes dignoſcitur.

6 D. quoque Bernardus monachorum vertex, non ſemel, ſed ſępius, quam illis neceſſaria ſit obſeruantia regulæ religionis, ſimulque conſtitutionum Ordinis, ſatis expreſſit. Quondam ſic. D.Bern. de præcc. & diſpen. Id.ep.321 *Omnes magiſtram regulam ſequantur, nec ab ea temere deuietur à quoquam.* Vbi temeritatis notam regulæ tranſgreſſoribus indicit Bernardus. Alibi quoque ſic. *Rogo vos fratres, & multum obſecro; ſic agite, & ſic ſtate in Domino dilectiſſimi, ſoliciti ſemper circa cuſtodiam Ordinis, vt Ordo cuſtodiat vos.* Ac ſi clarius diceret; religio illa, in qua propriæ regulæ tranſgreſſio permittitur, nec ſeipſam, nec alumnos cuſtodire valet. Eſt enim regularibus regula, quod mœnia vrbibus. Vnde quemadmodum diſſipantibus mœnia vrbis diſpendium datur, ſic quoque regulæ, regularumque ſanctionum contemptores, totius religionis interitus debitores ſunt. Quare illud pſalmi 79. obiici poteſt tranſgreſſori regulæ. pſ.79 *Deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Quid vero apud Bernardum ſit ordinem cuſtodire religioſos ſuos, ex alio eius loco inferius adducendo conſtabit, vbi ex diuina reuelatione Gerardo monacho facta, affert, nullum religioſum damnandum fore, qui ſuam regulam, Ordiniſque obſeruantias amauerit: quin potius regularis obſeruantiæ amatores, in Ordinem Apoſtolorum, Martyrum, aut Confeſſorum aſſumendos eſſe. Præterea quid de monacho regularis diſciplinæ prævaricatore ſentiat ipſe Bernardus, ipſe palam profeſſus eſt in epiſt. ad Papam Innocentium, Id.ep.198 vbi illum vocat. *Inimicum crucis Chriſti, Sanctorum, qui in circuitu eius ſunt, violentiſſimum oppreſſorem, & calumniatorem pauperum. Qui propria iam pene non habens, quæ deuoret, in proxima paſſim more tyrannico debacchatur. Monachum habitu mentiens, re exhibet vnum de prædonibus, omnino immemor regularium obſeruationum, legum, canonumque contemptor: frontoſus ad verecundiam, inſenſatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad iniurias.*

Quid vero ſit ordo religioſus, & quam neceſſarium regulares in ſuæ regulæ obſeruantia permanere, expreſſit idem Pater in epiſtola ad monachos Alpenſes. *Stemus nos in ordine noſtro quicumque elegimus abiecti eſſe in domo Dei noſtri, magis quam habitare* Id.ep.142

bitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abiectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri ieiunijs, vigilijs, orationibus, opere manuum, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas. Ecce Bernardum clarè nobis quid sit religio, & qualiter in ea, eiusque regulari obseruantia standum sit, depingentem. Alibi quoque magnam abusionem esse regulam non custodire, habitumque monasticum gerere, sic exponit. *Magna abusio est, vt corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Cum tanto studio, tunica, & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt monachus non putetur. Cur similiter pietas, & humilitas, quæ Spiritualia indumenta sunt non prouidentur?* Idem in Apologe. Legatur idem Pater in tractatu de præcepto, & dispensatione. Ex quibus omnibus satis liquet, quam necessariæ sint regulares obseruantiæ religiosis omnibus, pro ipsorum, & Ordinis conseruatione.

7 Illustrissimus etiam Cardinalis Petrus Damianus, dum Ariprandum monachum in militia spirituali tyronem commendat, hoc maximè ab illo exigit, vt regularem disciplinam non deserat: consequenterque, quam necessaria sit religiosis, sic ostendit. *Caue ne per ætatis adhuc imbecillis obtentum, sancti loci regulam violes, ne rigorem, atque seueritatem beatæ conuersationis enerues, ne mutari velis solitam seueritatis consuetudinem, ne peregrinæ adinuentionis præsumas superinducere nouitatem.* Pet. Dam ep. 18 Inferius sic. *Quantæ præsumptionis est, si disciplinæ quis regulam frangat, quam à sanctis Patribus traditam non ignorat.* Hæc Damianus. Alibi quoque horribilia aliquot exempla quorumdam regularium, qui ob regulæ contemptum grauissimis à Deo supplicijs sunt addicti, narrat; nosque inferius in hoc capite afferemus. Ex eis verò liquidò innotescet, religionum, religiosorumque miseram sortem ex in ordinata transgressione regulæ, obseruantiarumque procedere. Idem l. 6. ep. 32.

8 Ex Seraphico etiam Bonauentura non pauca colligi valent, pro causa susceptæ de perditione regularium propter defectum regularis obseruantiæ. Pauca tamen subiungam. In libro de sex alis Seraphim, de religioso regularium obseruationum contemptore, sic habet. *Deformat religionis decorem, profectum spiritualem, & aliorum ædificationem solet impedire.* Eodem quoque D. Bon. de sex alis Seraph. c. 3

Ibidem. quoque libro, ſic conſulit. *Principaliter cauenda, & dolenda eſt tranſgreſſio præceptorum Dei, deinde inuiolabilium præceptorum Sanctæ Eccleſiæ, deinde illorum, quæ ſub voto voluntario ſibimet quiſque fecit neceſſaria, vt regulares obſeruantiæ, maximè, quæ ſub præcepto ſunt ſtatutæ.* Alibi quoque religioſos omnes, ſic monet. *Communem Ordinis obſeruantiam ſequantur, perfectioni inſilentio, & aliis inſtitutis plenius obtinendis inſiſtant: a qua nec exemplari leuium, vel negligentium aliquorum diſſolutione diuertant.* Eodem quoque libro, ſic habet. *Optima religioſi perfectio eſt, perfectè communia quæque conuentualia ſeruare.* Rurſus alio loco, ſic loquitur. *Nec aliquam non bonam conſuetudinem inducas, vel diſcas; nec aliquam bonam conſuetudinem neglectam per incuriam Diaboli, permittas in te, & in alijs, quibus cum modeſtia perſuadere poteris.* Rationem reddit. S. Seraphicus. *Quicumque enim aliquod exemplum alijs relinquit, ſiue bonum, ſiue malum, particeps eſt imitatorum ſuorum, ſiue in ſupplicio, ſiue in præmio ſempiterno.* Rurſus idem Pater in epiſtola quadam ad Prouinciales quem lam ſui ordinis tranſmiſſa, damna, & incommoda; quæ ex fractione regulæ, & conſtitutionum, tam religioſis tranſgreſſoribus, quam religionibus ipſis proueniunt, ſic recenſet. *Cum diſciplina negligitur, inſolentiæ creſcunt, ac per hoc negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit inſcandalum, per eorum patentem ruinam, qui ſtare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit; vt ſanctæ religionis ſplendor præfulgidus in pallorem degeneret, ſanctitatis pulchritudo ſordeſcat, bonæ opinionis odor computretur, & nomen Domini blaſphemetur.* Hæc, & alia Seraphicus Doctor pro regularis obſeruantiæ inuiolabili cuſtodia, conſcripſit, ex quibus ſanè perſpectis, nullus bonæ indolis religioſus non eliciet; regulæ, & conſtitutionum obſeruantiam religiones in ſuo nitore ſouere, ac conſeruare: ex oppoſito verò regularis diſciplinæ tranſgreſſorem, ſe ipſum, & religionem perdere. Quia vt ipſe Pater de hac exterioris diſciplinæ negligentia loquitur. *Eſt ſignum neglectæ conſcientiæ, & interioris leuitatis.*

Idem in ſpec. diſc. p. 2. c. 2

Idē dein-ter hom. c. 7. 1. p.

Id. in ep.

Idem de ſex alis Seraphim c. 3.

9 His Patribus iungitur S. Laurentius Iuſtinianus Eccleſiæ iubar, & Venetorum decus, ex quo hanc ſententiam pro cauſa, quam tuemur, ex libro de compunctione, & planctu Chriſtianæ perfectionis ſeligere potui. *Qui religioſæ vitæ inſtitutionem ſumere elegit, ſanctitatis Regulam perficere conetur.* Ac ſi dicat; vita ſpiritualis religionis ex circunſpectiſſima obſeruantia regulæ naſcitur;

S Laurēt. Iuſt. de cō punct.

nascitur; illius verò interitus ex regulæ contemptu procedit.

10 Clarius cæteris istorum Patrum vestigia sequitur S. Ignatius de Loyola celeberrimæ Societatis sesuiticæ Patriarcha: Christianique orbis alter sol; dum regulæ, & constitutionum exactissimam obseruantiam suis mandat his verbis. *Omnes conflanti animo incumbamus, vt nihil perfectionis, quod diuina gratia consequi possimus, in absoluta omnium constitutionum obseruatione, nostrique instituti ratione adimplenda, prætermittamus*: Quibus verbis nostrum, & suum intentum satis declarat, viamque ostendit per quam sacra Societatis religio ab ipso instituta, toti orbi, vt fulgentissimum sydus, celeberrima redditur. S.Ignat. Loyola.

11 Nec omittam breuem, singularemque sententiam, quam Sanctissima Virgo Teresa, nostri sæculi, & Ordinis decus, circa præsens institutum protulit. Monialibus igitur suis regulæ obseruantiam, simulque iteratam lectionem, sic præscribit. *Las ordenanzas, y regla de su religion lean las muchas veces, e y guardenlas de veras*; Sentiebat abs dubiè Beata parens, in hoc puncto religionis fulcimentum consistere, ac perinde, non solum obseruantiam regulæ, & constitutionum; sed ipsarum quoque sæpius repetitam lectionem illis proponit. Vt enim testatur Vmbertus de Romanis Prædicatoriæ familiæ quondam Generalis: *Fit contra Regulam frequenter, quando non legitur regula*. Vnde vt ipse dixit. *Lectio diligens regulæ, & statutorum propriæ professionis, necessaria est religiosis*. Quo fit ideò aduertendum puto, ne forsan aliquis, nolens intelligere, vt benè agat, regulam, & constitutiones sui Ordinis legere negligat. S.Tereſa in moni. ad Monia les. Vmb. de mod. pred l.2.c.9. Ibid. c.4

Nec prætermittenda Carmeli nostri prætiosissima Gemma Beata Magdalena de Pazzi, de qua in vita ipsius *cap.* 125. hæc leguntur. *Non meno de santi voti teneua in stima, e riuerenza le Regole, e constitutioni, e tutti gl'ordini, e consuetudini Religiose del suo monastero, ancorche minimi, e tutti gli riputaua volontà di Dio, dettati dallo Spirito santo, esercitandosi in tutti con gran prontezza, nè mai tralasciando alcuno ordine, se da necessità d'infermità, ò da qualche altra vbidienza, ò esercitio di carità non era impedita. Il che quando le occorreua, non restaua d'interuenire col desiderio; e specialmente quando era impedita da infermità, ne sentiua particolare afflittione, dicendo, che ciò le permetteua Dio, perche non era degna d'interuenire con altre all'vbidienze della Religione, e fino à che haueua forze si conduceua ancora con gran fatica agl'ordini communi.* B.Magdal de Pazzi.

Hæc

12 Hæc vero, quę ex Patribus adduximus manifeſtè ſatis comprobant, regulæ, & conſtitutionum regularium obſeruantiam, omnino neceſsario exigi pro conſeruatione regularium Ordinum, Hoc ipſum caput ſequens demonſtrabit. Vtrumque tamen de regula, & obſeruantiis in communi, & in genere ſermonem tantum inſtituit. Deſiderari tamen adhuc poterat, vt ſingularum inſtitutionum regularium obſeruantiam ex Patribus cõfirmaremus. Quia tamen hoc longiorem deſiderat tractatum; de vnica ſolum, ipſaque ſpecialiſsima obſeruantia regulari, ſilentio nempe, ſermonem faciam ex Patribus. Prius tamen quid opere compleuerint, poſtmodum verò quid docuerint apponam. Igitur Agatho abbas lapillo aſſidue ori indito per tres annos ſilẽtium cuſtodiſse, tradit Marulus lib. 4. cap. 6. Paulus quoque monachus per triennium etiam nemini quidquam locutus eſt. Pambo abbas illud pſal. 38. legens: *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*: multo tempore obſeruauit. Boonem in Thebaidis deſerto habitantem in ſummo ſilẽtio vixiſse ſcimus. Theo etiam in cellula ſua clauſus annis triginta, ſilentii habuiſſe continentiam perhibetur. Hos, & alios plures refert Marulus, vt ſupra. Qui ſimul lib. 6. cap. 14. dum de reuelationibus inferiorum pœnarum agit, quid moniali cuidam loquaci (vtinam caſum vereantur omnes) acciderit per hæc verba retulit. *Cum die obiiſſet extremum, & in Eccleſia ſepulta eſſet, ædituus nocte intempeſta Eccleſiam ingreſſus, vidit illam ante altare diſtentam ſecari per medium, partemque ſuperiorem igne cremari, inferiorem vero relinqui intactã* (forſam caſtitatem corporis ſeruarat) *Mane igitur viſa fratribus narrans, dum locum, in quo eam vri conſpexerat oſtendit, deprehenſa ſunt in marmoris ſolo ardoris veſtigia.* Marcus Marulus

En ſilentii exempla: en loquacis pœnam. Nunc vero quid Patres dicant, audiamus.

13 Diuus ergo Hieronymus religionem in loquacibus eſſe non poſſe hiſce declarat. *Religio ſanctã non poteſt eſſe in loquacibus*. Diuus etiam Auguſtinus adeo neceſsarium ſilentium putat monachis, vt ſine eo monachos non eſſe dicat. *Silentium fratres, inter cætera vobis in heremo sũmè neceſſarium, quia qui non cuſtodit linguam ſuam monachus non eſt.* Clarius id expreſſit S. Bernardus. *Nemo* (inquit) *de religionis habitu ſibi blandiatur, qui ad huc linguam ſuam non didicit religare. Religa linguam tuam ſi vis eſſe religioſus, quia ſine lingua religatione, religio vana eſt*. Ad hæc Seraphicus Bonauentura. *Certè fruſtra (audeo dicere)* D. Hiero. in epiſt. D. Aug. ad fratr. in herem. D. Bern.

cere) *quod ille religioſus gloriatur de poſſeſſione virtutis in corde, qui diſſipat diſciplinam ſilentij per inquietudinem multiloquij. Si quis* (*teſte Scriptura*) *putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Plures tandem ex Patribus ſciens prætereo: vnum, qui pro omnibus loquatur, ſilentiique vtilitates in religione exponat, producam. Ioannes hic eſt vulgò Climacus. *Taciturnitas eſt mater orationis, captiuitatis renocatio, ignis diuini amoris, obſeruatio cogitationum, ſpecula hoſtium, lachrymarum amica, carcer luctus, memoriæ mortis operatrix, iudicij indagatrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitioſæ doctrinæ aduerſatrix, ſcientiæ adiectio, ſecretus in Deum profectus, occultus aſcenſus.* Hæc verò dixerim, tum, vt quanti apud Patres regularis obſeruātia ſilentii habeatur oſtendam, tum, vt quanti etiam iidem Patres alias quoque religioſas ſanctiones habeant, credatur; ac perinde iure optimo huius, & ſequentis capitis intentum eſſe, regulæ, & conſtitutionum obſeruantiam religiones fueri; illarum verò trāſgreſſionem ipſas euertere.

D.Bon. de perf. vitæ c.4.

Io. Clim. in ſcala.

14 Iam ergo ſancte religioſe quicunque ſis; *Cuſtodi legem, atque conſilium; & erit vita animæ tuæ*, conſulit tibi Sapiens. Neque enim alia ratione vitam poteris diligere, & dies videre bonos, niſi regulæ, & conſtitutionum tuarum ſis diligens obſeruator. Audi quæ Moyſes populo Dei circa legis obſeruantiam intimauit Deutero. 32. *Implete vniuerſa, quæ ſcripta ſunt legis huius, quia non in caſſum præcepta ſunt vobis, ſed vt ſinguli in eis viuerent.* Hanc ob cauſam D. Hieronymus Pachomii regulę inſtitutiones, *Præcepta vitalia*, nuncupauit, vtpote, quia ad vitam monachorum conferant. *Religio, Sacerdotium, Ordo, neminem perſeſe, neque Sanctum, neque Beatum efficiunt: quandoquidem boni, ac mali æquè hæc percipiunt*; inquit Rusbrochius. Hinc neque apud Deum, neque apud homines præmium aliquod accipies, quod ſub regula ſancta religioſi Ordinis viuas, niſi iuxta illius inſtitutiones, iuſtè, ſanctèque conuerſatus fueris. Hoc tibi *Regularis* nomen, quo frueris, intimat. Religioſi quoque nomenclatura, idem præcipit. *Sicut enim* (inquit Vmbertus) *dolia diſſipata religantur, vt ſint idonea ad vini capacitatem, ſic religantur viri per religionem, vt ſint apti ad Spiritualem gratiam recipiendam. Sunt autem ſex quaſi Circuli, quæ valent ad religationem huiuſmodi doliorum. Primum, eſt propria Regula. Secundum, propriæ Conſtitutiones. Tertium, eſt approbatæ conſuetudines.*

Prou. 31.

D. Hier. in reg. D. Pacomii. Rusbroc. de vera contẽpl. c.62.

Vmbert. de modo prædic. c.6. lib.2.

ſuetudines. Quartũ, eſt mãdata Prælatorũ. Quintũ eſt correctiones Viſitatorũ. Sextũ, eſt ordinationes, &c. Quare ne tanquã doliũ diſſipatũ nõ valẽs vinũ gratię retinere, puteris, neceſſe, vt his circuliis, corpore, animoq; circũcingatis. Hac via tui Ordinis Rempublicam optimam, fœliciſſimamque reddas. Plutarchus namque refert ſeptem olim ſapientes inter ſe diſputantes: *Quis populus, quænamve Reſpublica foret optima, & fœliciſſima; audiſſe* Biam reſpondentem: *In qua legem vniuerſis tamquam Tyrannũ metuunt.* Plato etiam apud Eborenſem, hæc habet. *Sine lege, nec domus, nec ciuitas, nec gens, neque hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, neque ipſe mundus poteſt.* Si ergo ſancte religioſe, tuæ republicæ leges, regulam, ſanctioneſque ſeruES, eam optimam; & fœliciſſimam ſacies, tibique cumulos ſanctitatis quamplures augebis, itaut in te Ariſtotelicum illud expleatur. *Viuere ſecundum leges, eſt ipſa ſalus.*

Plutarch. in cõiiu.

Ariſt. 5. polit. c. 9.

15 Vt tandem libentiori animo hoc onus regularis obſeruatiæ ſuſcipias, hoc vnum tibi perſuaſum putes; nulla alia ratione regni cæleſtis hereditate facilius, quãm regulæ contemptu, æternas pœnas incurſurum. Etenim ipſius regularis obſeruantiæ contemptus, laxioris vitæ modus, diffarmataque religio in barathrũ perditionis, æternaſque pœnas inferni animas trudit. Vtrumque hoc caput præſens tibi demonſtrabit. Et primum quidem, regularem obſeruantem religioſæ diſciplinæ, hæredem regni cœleſtis certò conſtitui; tibi ex Patribus adductis Sanctus Ephrem Syrus, Ioannes Caſſianus, Albinus Flaccus, & alii clarè oſtendunt.

16 Id quoque Sanctus Benedictus in prologo ſuæ regulæ habet. *Auſcultа, ô fili, præcepta Magiſtri; & inclina aurem cordis tui, & admonitionem tui pij patris libenter excipe, & efficaciter imple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.* Hebræi quoque Magiſtri (teſte Coſma Magallanio in Ioſue 24.) tres ſanctorum eſſe coronas volunt, inter eas primariam eſſe, quæ legis obſeruationi incumbentibus conceditur. Sic vero dicunt. *Tres ſunt coronæ; corona ſacerdotis, corona regni, & corona legis. Corona autem legis aſcendit ſupra omnes. Sacerdotio dignus fuit Aaron; regno Dauid. Corona legis cuilibet datur eam obſeruanti, quæ maior eſt cæteris, cum ea reliqua conſtent.* Hic quoque congruit illud, quod ex R. Eliezer referunt quidam, videlicet, Moyſem ex monte deſcendente, legis tabulas ſecum tuliſſe: taliter tamen, quod donec Iſraelitici

S. Bened.

Magallan. in Ioſue 24.

populi

populi peccatum visum non est, non à Moyse tabulas latas, sed è contra Moysen à tabulis elatum esse. Cum verò populi peccatum commissum fuit, nec ab ipso Moyse deportari potuerint, sed eas manibus sustinere non potens, abiecerit, & confregerit. Quod (si id verum est) manifestè concludit, legis obseruantiam, obseruantibus grauem non esse, sed pennarum instar, eos ad cælum sublenare, legis verò transgressionem, grauissimi ponderis instar ad infera inclinare.

17 Manifestè etiam id D.Bernardus nobis intimauit. Refert namque cælestem quandam visionem ex diuina reuelatione Gerardo monacho factam, continentem: nullum sui Ordinis (idem sentio de aliis) damnandum fore, qui regulam, obseruantiasque dilexerit; quin potius in ordine Apostolorum, Martyrum, aut Confessorum sortem accepturum. Bernardi verba Visionem referentis, hæc sunt. *Cogita monachum illum, Gerardum nomine, qui infirmatus ad mortem, iacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu, & visitatus ab Abbate, oculis apertis ait. Bona est obedientia. Ad tribunal Christi fui; animas Sanctorum vidi: ipsumque facie ad faciem vidi dicentem mihi. Ecce locus tuus inter fratres tuos, nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amauerit. Salui autem, qui de ordine tuo sunt, aut in ordine Apostolorum, aut Martyrum, aut Confessorum sortem accipient. Et hæc dicens communione accepta discessit.* Hæc Bernardus piam satis, consolationeque plenam bonis religiosis Visionem referens. Similis huic alia etiam Visio tempore mortis D.Benedicti Occidentaliũ monachorum Principis apparens, in qua quidam dixit: *Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus cælum ascendit.* Refert illam ex Diuo Gregorio Bernardus, ipsamque de regula, ac modo viuendi à Benedicto tradito expositam inquiens: *Quæ est via ab eius cella egredienti, nisi Ordo, quem ipse vir Beatus instituit, & forma vitæ, qua ab eo sumpsit exordium? Qua nimirum via Domini dilectus ascendit.* Tene ergo sancte religiose, quod ex his visionibus habes, & inferes, regiam, & rectam viam, qua religiosus quisque æterna regna conscendit, esse sui Ordinis obseruantiam. Testatur, & idem nostri sæculi decus S.Teresa, quæ mortem cuiusdam religiosi nostri ordinis referens, ipsum sine vllo igne purgatorii cælum euolasse, ex diuina reuelatione tradit. Causam verò tanti priuilegii propriæ professionis, & regulæ obseruantiã esse dicit. Hæc eius sunt verba Hispano sermone. *Yo me espanto de que no auia entrado en purgatorio, y entendi, que por auer sido*

D.Bern. in doct.

D. Bern. sup. Euan. Ecce nos reliqui mus, &c.

S. Teresa in eius vita c. 38

si dile, que alli aguardado bien su profession, le auian aprouechado las Bullas de la Orden para no entrar en purgatorio. Quod adeo singulare esse dicit, quòd quamuis plurium animarum gloriam, & statum post mortem sibi reuelatum esse, solius tamen huius religiosi, B. Petri de Alcantara, & alterius Dominicani animas, hoc priuilegio immunitatis à purgatorio, potitas esse, dicat. Ex his verò habemus quantum bonis religiosis obseruantia religionis afferat, vtporè, quæ non solum illis æternam beatitudinem præbeat, sed sine purgatorii pœnis ad cælum euolare tribuat. Vnde meritò verba illa Pauli: *Quicunque hãc regulam secuti fuerint, pax, & super illos misericordia,* omnibus religiosis sui Ordinis amatoribus accommodari possunt, quod facit Dorotheus, quem alii sequuntur.

Ad Gal. 6

Doroteus doct. 1.

Hinc apud S. Brigittam *in Prologo Regulæ Saluatoris cap. 2. & 3.* Religiones, quæ suas Regulas contempserunt, *vineæ dissipatæ*, nuncupantur. Et in eadem Regula *cap. 28.* sic Christus reuelauit eidem Brigittæ. *Per illas vineas dissipatas, de quibus modo dixi prius quam Regulam audires, intelligo Regulas illas, quæ iam non tenentur, sicut amici mei, inspirante Spiritu Veritatis, eas dictauerunt, sed propter crapulam, & mundi delectationem, à via recta recesserunt.* De præmio autem eorum, qui præfatas Regulas corrigunt, easque perfectè obseruare contendunt, sic subiungit idem Christus eidem Brigittæ. *Ego, qui sum omnium cordium scrutator, & omnium verborum auditor, si aliquos inuenero, qui Monasterij sui errorem corrigere tentauerint, seamque Regulam tenere in omnibus, quæ præcipit, scilicet in humili, & regulari habitu, in debitis abstinentijs, in fuga propriætatis, in obseruantia castitatis, & veræ humilitatis, atque in omnibus bonis consuetudinibus, cooperabor eis, & circumdabo eis, & circumdabo eos dilectione mea, sicut circumdare solent vineam materie sua, daboque eis gratiam, vt libenter se contentos reddant de solis vitæ necessarijs, superfluitatem omnem contemnendo, per quod occiditur talpa radices corrodens, ideſt diabolica suggestio, bonas affectiones resindere cupiens prauis concupiscentijs.* Hæc ibi congrua satis proposito nostro.

S. Brigit.

18 E contra tamen, proh dolor! quam certò sibi, improbi regulares, æternas pœnas, ob contemptum propriæ regulæ, & constitutionum asciscant, ex multis, variisque visionibus, diuinisque reuelationibus ostenditur. Et primò quidem Cassianus iam adductus clarè id expressit. Deinde mors Sansonis ob incisionẽ capillorum

Cassianus vt supra. Iudicũ 16

capillorum lege ſibi prohibitam (erat namque Nazareus) illi obueniens, idem oſtendit. Sed proferamus in medium horribilia, aliquot exempla à grauiſſimis viris relata, quibus innoteſcet, quã acriter Deus vindictam ſumat de regularibus ſuæ profeſſionis tranſgreſſoribus, in hac vita, & in futura. Caſus aliquot refert Illuſtriſs. Cardinalis Petrus Damianus, cuius verba hæc ſunt. *Duo fratres alter iuuenis, alter vero ſenex, in poſſeſſione Claſſenſis monaſterij, quæ Raueniana dicitur, ad cuſtodiam morabantur. Octaua ſanè die ante Natiuitatem Domini, ſexta ſcilicet feria, dixit iuuenis ad ſeniorem: Frater Leo (ſic enim vocabatur) quomodo viuemus hodie? Cui ſenex: Viue (inquit) vt velis. Ego enim, & vinum bibam, & inſolo (vt ſcriptum eſt) pane non viuam. Erat autem ille vegetus, & obeſus, incolumis, & robuſtus. Factum eſt, appoſita menſa, vterque diſcubuit. Sed iſte, pane contentus, & aqua ſub regularis ſe ieiunij diſciplina cohibuit, ille vero vinum ſibi, & inſuper quod videbatur indulſit, qui profectò, ſi, quod imminebat, agnoſceret, rigorem abſtinentiæ ad petulantis gulæ lenocinium non molliret. Octaua ſiquidem die cum Dominicæ Natiuitatis gloria, mundo tripudiante, clareſceret, ille defunctus eſt, & cum feſtiuitatis inuitante lætitia, cæteri prouocarentur ad menſam, ille efferebatur ad ſepulturam.* Ecce intempeſtiuam mortem, ob fractionem regulæ, monacho obtigiſſe, teſte Damiano. Pet. Dam. li. 6. Epiſ. epiſt. 32

Mortem quoque æternam contemptores ſuæ regulæ religioſos incurrere, poſt aliqua interiecta, refert idem author, horribiliorem alium caſum narrans per hæc verba. *In monaſterio B. Vincentij, quod non procul à monte, qui dicitur Petra Pertuſa diſtat, cernitur conſtitutum, vt ſub diſtricti cenſura rigoris quadrageſimale celebraretur initium, nimirum, vt per triduum non niſi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent, nulla, niſi lectionum, ſiue ordinum verba proferrent, nudis pedibus lugubres, ac mœrentes incederent, expleto communi modulatione pſalterio, mutua ſe ſparum caſtigatione purgarent. Quod cum fratres voto, & animo, ac ſpirituali iucunditate non ſegniter agerent, quidam inter eos extitit, qui clam edendo regulam violauit.* Poſt hæc, & alia interiecta, peſſimam iſtius peccatoris, ſanctæque tranſgreſſoris regulæ mortem narrans, hæc habet. *Mox vt ſacroſanctum Myſterium de manu Sacerdotis accepit, heu prob dolor! horreo referens: cum felle ſimul, & animam exhalauit; quod videlicet fel vſque ad ſepulturam ex ore eius effluere non ceſſauit: adeò, vt donec inferetro corpus iaceret exanime,* Idem infe rius.

me iugiter ſanies illa pauimentum Eccleſiæ longius irrigaret. Hos autem idcirco referre curauimus, vt audiant, & pertimeſcant non ſolum ij, qui diſciplinæ regulam per propriæ voluptatis impatientiam frangunt, ſed, & illi quoque, qui crimen admiſſum ſub conſcientiæ ſuæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præſtolantur. Hæc Illuſtriſſimus Damianus, vt inde elici valeat, quantum periculum mortis æternę tranſgreſſores regularis diſciplinæ ſibi incurrant. Alium quoque caſum ſubinde refert de quodam Monaſterio, quod ſuaſu monachi cuiuſdam improbæ vitæ, licet dicacis, & accuratæ facundiæ, officia B. Virginis omiſit. Quas verò pœnas tale Monaſterium incurrerit, ſic narrat. *Mox aduerſus præfatum Monaſterium, tot aduerſitatum grandines, tot vndique conflictuum exortæ ſunt tempeſtates, vt ipſis quotidie monachis minaces gladij necis exitium intentarent. Fiunt vndique depræ-*
Id. ibid. *dationes, atque rapinæ, conflagrantur cum ſegetibus areæ, familiares, ac ſerui ſancti loci crudeliter trucidantur, & non iam imago mortis, ſed mors ipſa graſſatur, adeò vt tæderet iam monachos viuere, &c.* Ehu pœnas regularis obſeruantiæ omiſſæ tã improbis regularibus, quam ipſis monaſteriis propriæ diſciplinæ tranſgreſſoribus, à Deo immiſſas.

19 Placuit tandem horribiliora adhùc exempla caſuum referre à grauibus, & fide dignis authoribus relata, quibus clarius conſtabit; quantum ſibi detrimentum, æternæque damnationis periculum incurrant improbi religioſi propriæ regulæ, diſciplineque tranſgreſſores effecti. Primum affert Antonius Senenſis
Ant. Senẽ. in Chron. Mar. Delr l. 6. diſqu. Mag. c 2. S. 3. Q 3. grauiſſimæ religionis Chronicon texens, & cuiuſdam conuentus caſum referens, quam quoque adducit Martinus Delrius in ſuis magicis diſquiſitionibus, per hæc verba. *In Conuentu S.N. accidit, vt poſt Completorium, refectionis locum ingrederetur, cui erat illius cura commiſſa; qui mox in ingreſſu videt illum fratribus circumquaque refertum: & illi cappas habebant indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & illam exſpectarent, ſedebant. Accurrit ille ſine mora ad Priorem, & illud ei aperit. Prior fratrem delirum putat, vel ſomnia narrantem: attamen dum vrgetur, vadit, videt, & credit: & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum monaſterii grauioribus Patribus, & prudentioribus: de quorum conſilio ſacras veſtes aſſumit, & ſacrum Chriſti corpus deferendo, toto conuentu comitante, ſeilluc cõfert, & ad illum ſermone directo, qui honoratiore loco ſedebat, eos adiurat; vt aperiant, quinam ſint, & ad quid venerint, & quid velint,*

& vt ad hæc respondeant, illis præcipit in nomine illius Domini, quem gestabat in manibus. Vt autem, quando Prior coram illis comparuit cum venerabili Sacramento, illi omnes assurrexerunt quidem, & capita inclinarunt, caputia tamen taliter demittentes, vt eum minimè viderent, & hoc facto, iterum sederunt: ita iussi à Priore, vt responderent ad proposita, inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus respondens dixit: quod ipsi omnes fuerant eiusdem Ordinis Religiosi, & pro maiori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaurei, Lectores, & alijs officijs donati, & quod omnes damnationis sententiam acceperant: quoniã ambitio multa, superbia, inuidia, & alia huius generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quod diuina permittente clementia, iussi fuerunt illuc venire, vt eos, & vniuersos Ordinis cultores commonefacerent, vt suæ vocationis facerent satis. Nam illi, quia minimè id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis. Et in signum huius cuncti in eos aspicerent. Et hoc dicto, omnes illi cappas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti, & incensi visi fuere, & tunc idem præcipuus, manu in mensa signum dedit, & sic illa visio euanuit, & totus conuentus mansit timore consternatus. Ecce horrendam Visionem, ex qua (si vera est) constat religiosos istos, eo quod suę professioni, & vocationi non facerent satis, æternis pœnis, & flammis addictos esse in æternum cremandos. Horribilem quoque, aliam Visionem huic ferè similem, ex literis cuiusdam Sacerdotis fidei dignissimi, refert idem Martinus Delrius per hæc verba. *Casu accidit, vt acceptis tuis proximis literis loquerer cum Fratre N. philosophiæ Professore, qui in Salernitano Monasterio fuit Superior. Is mihi narrauit Fratrem Tiberium hominem sanctimoniæ laude præflantissimum, qui sæpius hoc sanctitatis titulo fuit superior, sibi coram rem ita narrasse. Cum quadam die sub nocte Frater Tiberius inuiseret fratres, anin lecto de more accubuerint, transiuit per triclinium: vbi vidit pleraque lumina, & vocem audiuit hominis de superiore loco legentis, viditque plerosque ministrantes. Tandem qui superioris locum tenebat, facto super mensam signo, sic loquutus est: Ambitio, & crapula duxerunt nos ad tartara. Et nunc etiam supereſt velut cicatrix in mensa perinde, ac si tacta esset.* Hæc Delrius terribilemsanè casum referens, quem si cum primo coniungas, quam certò sibi improbi religiosi propriæ regulæ, & professionis transgressores pœnas æternas incurrant, clarius elicies. Mar. Delr. vbi sup.

19 Nec

20 Nec iure omitti potest euentus alius terribilis valdè, imo, & terribilissimus ab ipso Martino Delrio de monachis quibusdam, gulæ, Venerique deditis, quorum alter à Diabolo adhùc in hac vita degens igne assatus fuit, alter vero, etsi non talem, subiit pœnam, pauore tamen, nimioque terrore ab ipso Cacadæmone fuit perterritus. Casum per hæc verba, neque inelegantia refert Delrius. *In Flandriæ comitatu prioratus est. Tres ibi nomine tenus monachi degebant regansones, & concubinarij. Suacuique, nec pudor vllus aderat, simul belluari, & libidinari. Quadam die in seram noctem compotatione protracta, vnus, qui minus scelerosus, sat (ait) Bacco, Ventrique datum: Deogratias saltem. Ego vero, subinfert alius procacior, Cacodæmonigratias ago, & egendas censeo, cui operamur. Et cum risu mensa relicta ruitur in cubilia. Singuli cum sorto vix decubuerant: ecce tibi in triclinium, vi ianua reserata, Dæmon magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo paruuli, obambulat, lectos circumspicit toruo vultu. Deinde horrenda voce: Vbi qui mihi gratias egit? Adsum: referam. Lectio abstrahit pauitantem, & fermè præ metu animam efflantem. Traditum cocis iubet in figi veru, & luculento igne protè assari. Parent promptè Assatur infelix, emoritur planissimè, cæteri ferè præ formidine; assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix viuos. Digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi maiore. Inuitus abeo, & moneo, respiscite, aut manent terribiliora. Disparent larvæ: nec tamen his alijs animus rediit, vel vox, nisi clara iam luce. Vbi surrexere collegam inueniunt mortuum, (& ne visum inane putes) plenè assum. Haud scio, an ab aliquot sæculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit, scio locum, & Ordinem, sed vtrũque silentio inuoluo.* Hæc Delrius, tremendum satis, horribilemque casum referens, quem si adductis iam adiungas, simulque cum testimoniis S. Patrum, quæ hoc capite adduximus conferas, inuenies certè, integram, & inuiolatam regulæ, & regularium sanctionum custodiam religiones, ipsarumque religiosos in æternum regnum custodire: ex opposito etiam propriæ professionis transgressores, sibimet, totique religioni interitum parare. Hoc ipsum caput sequens etiam de minoribus obseruantiis sedulò demonstrabit.

Mar. Delr Disquisit. Mag. l. 3. p. 1. q. 3. sec. 2.

Minimarum

Minimarum etiam obseruantiarum custodia, suffulcit ordinem, earum verò contemptus religiones dissipat.

CAP. VI.

1 DIlucidè satis capite præcedenti ostendimus, regularem obseruantiam, religiones ipsas, ipsarumque professores, in suo nitore, viriditateque tueri: è conuerso tamen regularis disciplinæ contemptum, toti Ordini, eiusque professoribus, exitiosissimum interitum adducere. Verum enimuerò, sciolus forsan aliquis, nec multum regulari disciplinæ addictus, hæc solum de maioribus obseruantiis, non de minoribus, aut minimis defectibus dictum putet. Vt verò de vtrisque idem iudicium respectiuè habendum esse constet, ideo pro minimis etiam obseruantiis tuendis caput præsens instituitur.

2 Et quidem minimarum etiam obseruantiarum custodiam totum Ordinem fulcire, earumque contemptum, totum etiam Ordinem euertere, adeò clarè Patres tradiderunt, vt nulla tergiuersatione oppositum defendi queat. Clarissima en verba Sancti Anselmi Cantuariensis Antistitis. *Certissimum est, quod in multis Ecclesijs experimento didicimus, quia in monasterio, vbi minima districtè custodiuntur, vbi rigor monachorum inuiolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & capituli proclamationes conquiescunt. Vbi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur, & destruitur.* En Anselmum, & intentum nostrum, & illud certissimum esse, clarè proclamantem. Dixerat autem in antecedentibus: *Nostra negligentia sæpissimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum nobis persuadet ea non magni pendere. Inde namque sequitur illud damnum execrabile, quod legitur: quia qui spernit modica, paulatim decidet.* Post alia hæc subiungit. *Si ergo de virtute in virtutem, & de profectu ad profectum multis ascendere; semper timete in singulis minimis Deum offendere. Non debetis considerare quàm parua res sit, quam contra prohibitionem facitis, sed quantum malum sit inobedientia, quam pro parua re incurritis.* Hęc Anselmus

D. Anſel. Ep. 6. ad monach.

mus Cistrensis Cœnobii regulares singulos monens, nostrumque intentum clarè confirmans.

D Bonau. quæst. 18 c. regula. 3 Audiatur ad idem Seraphicus Bonauentura rem totam vnico verbo concludens. *Ordo, qui negligit modica paulatim decidet.* Nil breuius, certius, aut verius.

D. Anto. 2 p. Arist. c. 15. §. 2 c. 23. 4 Clarius S. ille Florentinorum decus Antoninus; plurium etenim religionum miserabilem casum referens, dum lamentabilis huius ruinæ causam tradit, non aliam assignat, nisi minimarum traditionum, & obseruantiarum contemptum, his verbis. *Præfatæ religiones, quæ cum magno feruore, & vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes, traditionum paternarum in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamenta in eis.* Hæc Antoninus. Quibus, minimarum obseruantiarum custodiam religiones tueri, earum verò contemptum ipsas perdere manifestè liquet.

Cant. 2 5 Idipsum quoque sacræ Paginæ docemur testimoniis, quæ potiori iure de religiosis perfectionis regulam professis, quam de sæcularibus, qui solum communioribus legibus ducuntur, intelligenda veniunt. Primo etenim Cantic. 2. clamat Sponsus. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Vbi per *vulpes paruulas* Diuus Bernardus parua quædam peccata *specie quidem virtutes, re autem vitia*: monachis insidiantia intelligit. Eas verò capi clamat Sponsus (ait Honorius:) *Dum falsos fratres ad regulam iustitiæ corrigit, aut incorrigibiles de cœtu fratrum repellit, ne vineam suffodiant, id est ne congregationes Iustorum subuertant.* Quemadmodum enim paruæ quædam bestiolæ vinearum vites importuno morsu rodentes, & fructu priuant, totamque vineam perdunt; sic etiam praui religiosi minimas obseruantias Ordinis negligentes, & se ipsos fructu disciplinæ destituunt, & totam religionis structuram dissipant. Id ipsum secundo Ecclesiasticus comprobat, dum inquit: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Quod quidem non solum in particularibus religiosis, sed, & in congregationibus ipsis cordatus quisque quotidiana experientia compertum reperiet. Ea namque religiosa congregatio, quæ minimarum rerum obseruantia nitet, in florido quoque statu religionis viget, quę verò miserè minima spreuit, in maximis quoque deliquisse, & tandem à perfectionis iastigio cecidisse, manifestè conspicitur. Optimè ad id quoque Salomon. *In pigritijs* (inquit) *humiliabitur contignatio, & in infirmitate perstillabit domus.* Ac si diceret, quemadmodum,

D. Bern. ser. 64. in Cant. Honorius

Eccl. 19.

Eccl. 10

vt sæpius

vt sæpius contingit, contignatio aliqua, vel tectum domus penitus corruit, si piger fuerit is, qui domum inhabitat, eo quod debitam reparationem impendere negligat, trabibus ex frequentia guttarum pluuiæ madefactis, sic etiam religiosus ille, qui propter pigritiam, paruas negligentias negligit, tandem in baratrum perditionis humiliabitur. In quem sensum trahitur hic locus ab Hugone eum de regularibus vsurpans. In hunc quoque sensum exponit Cassianus hunc locum, vt probet, quod nemo subitanea ruina collabitur, sed aut praua institutione, aut per longam mentis incuriam. Confirmat præterea ex illo Prouerbiorum: *Ante contritionem præcedit incuria*: (quamuis in Vulgata legamus: *Contritionem præcedit superbia*.) Sed idem est sensus vtriusque: Est enim, ac si diceretur: Ante quam religiosa domus, vel familia à sanctitatis fastigio cadat, præcedit incuria obseruantiæ regularis disciplinæ, ex superbia, quæ est radix omnium malorum regulariter.

Cass. coll. 6. c. vlt.

Prouer. 16

6 Hinc Patres monachorum antesignani magno conatu, & affectu obseruantias has paruas, seu minimas, regularibus commendant. Ex quibus magnus Basilius in suis constitutionibus monasticis monachos instruens, curam rerum minutarum, sic monet. *Atque etiam intelligendum illud est debere pietatis cultorem, viliora etiam munera, magno eum studio, magnaque eum animi alacritate, suscipere: scientem, nihil minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande, & spirituale, & eiusmodi, quod cælum nobis, & præmia cælestia conciliat.* Optimè sanè, & pulchra ratione suletum, quod, & à religiosi mente discedere non deberet, *nihil* scilicet esse *minutum, quod Dei causa fiat*. Alibi quoque, scilicet in principio 2. tom. sic habet. *Stude, vt maiorum virtutum compos efficiare, neque minoris tamen negligito*. Rursusque. *Nullum omnino sit erratum, quodparuipendas; quamuis illud tenuissima Bestiola minutius sit*.

D. Bas. in const. monast. c. 24

Idem

7 Ad idem intentum S. Ephrem Syrus nouitium monachum, circa obseruantiam regulæ in minimis punctis, sic monet. *In Cœnobio agens à legitima, & Apostolica regula ne declinaueris. Quæ enim paruæ esse videntur debita, non afferunt exiguum, aut qualecumque detrimentum*. Quibus verbis, non solum minimarum obseruantiarum custodiam, *legitimam, & Apostolicam regulam*, vocat, sed earum contemptum, magnum detrimentum afferre, totius scilicet Ordinis dispendium (vt ex Patribus vidimus) monet.

S. Ephrem Adhort. 1 ad nouit.

8 S. quoque Gregorius Nazianzenus, Theologus nuncupatus, non incongruè nostri instituti astipulator affertur. Religiosam namque fœminam monens, qualiter se in minimis habere debeat, sic docet. *Illud velim ne ignores, rogans vnàm tibi turpiorem esse, quam maxima vulnera ijs, qui in mundo viuunt Quo maiore studio tibi prospiciendum est, ne quid professione tua indignum admittas. Neque enim tam notabilem, ac conspicuam in sordidis, quam in puris, vniusque, & eiusdem coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet.* Luce clarius innuens minimos defectus maiorem maculam religiosis afferre, quam maiores culpas vulgaribus sæculi hominibus.

Nazianz. orat. 3. fœminas se ornantes.

9 S. Hieronymus Ecclesiæ iubar sic iuuat nostrum intentum in epistola ad Heliodorum. *Mens Christo dedita æquè, & in maioribus, & in minoribus intenta est; sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.* Hæc ex Hieronymo.

S. Hier.

10 Accedit Magnus Pater Augustinus in epistolæ quadam regulares omnes exhortans, siue magna sint, siue parua religionis instituta obseruanda esse. *Hæc* (inquit) *saluberrima regula tenenda est, vt quæ nõ sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris; vbicumque instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.* Generaliter sunt hæc Augustini verba, sicque generaliter accipienda, vt omnia religionis instituta, siue maxima, siue minima *imitando sectemur*, vt ipse loquitur.

D. Aug. ep. 129

11 Accedit Ioannes Cassianus antiquus heremita, qui præter ea, quę superius adduximus, affert quoque alia proposito nostro congruentia. Sic ergo monet monachos circa paruas, aut leues negligentias in regulari disciplina cauendas. *Si parua, aut leuia negligantur, corrũpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbre largissimo vitiorum stillicidia passionum.* En fructus exminimarum obseruationum contemptu religiosis proueniens, corruptio scilicet virtutum, & colluuies vitiorum.

Cassian. coll. 6. c. 17.

12 Satis quoque ad intentum deseruiunt, quæ Eusebius Emissenus homilia quadam ad monachos scripsit. *Exultat aduersarius noster, quando nos videt maxima contempsisse, & in minimis postea vincit.* Vt vel hinc discant monachi, qui maiores obseruantias solerti cura custodiunt, minores quoque contemnendas non esse, ne gaudium, & exaltationem aduersario nostro præbere videantur.

Euseb. Emis. hom. 5 ad monac.

Dulci-

13 Dulcisluus quoque, & Sanctissimus Doctor Bernardus, totius bonæ doctrinæ prædicator egregius, hanc etiam de minimarum obseruationum custodia monachis, sæpius intimauit: Et primo quidem in tractatu de ordine vitę celebrem hanc, pro hac causa tuenda, sententiam protulit. *Mens Deo dicata, sic caueat minora vitia, vt maiora, quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Vtinam hæc à religiosa mente numquam caderent. In sermone quoque quodam idem Bernardus talia habet ad intentum, vt vix credi possit, quàm seuera censura inurat eos, qui paruas negligentias corrigere non curant. *Cauete* (inquit) *deinceps fratres, ne quis parua reputet. Nemo dicat in corde suo leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam veniabilibus, minimisque peccatis. Hæc enim dilectissimi impœnitentia, blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.* Tremenda sanè, & omnium religiosorum auribus terribilia verba, quibus Bernardus monachum contemnentem minima suæ religionis statuta, impœnitentem, blasphemum, & irremissibilem, compellare videtur. Ad hæc in sermone alio exponens illud Ioannis. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*, hæc habet ad propositum. *Lotus est, qui grauia peccata non habet; cuius caput, idest intentio, & manus, idest operatio, & conuersatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati pluspuam oportet, cedat animus, vel adhoram: In multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo contemnat, aut paruipendat. Impossibile est enim cum eis saluari: impossibile est ea dilui, nisi per Christum Iesum, & à Christo. Nemo (inquam) pernicioſa securitate dormitet: declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: quoniam (vt audiuit Petrus ab ipso) nisi lauerit ea Christus, non habebimus partem cum eo.* Hæc, & alia plura ad intentum ex Bernardo excipi valent.

D. Ber. de ord. vit c. fin.

Id. in ser. 1 de cōuer. s. Pau.

Io. 13 D. Ber. in serm. de cæn. Dñi.

14 Audiatur modo grauis author Cæsarius Præsul, qui monachum, sic monet circa obseruantias, etiam minimas religionis. *Cum summa humilitate, & ingenti solicitudine admonemus, vt non solum peccata criminalia caueamus, sed, & paruas negligentias quotidie, quasi venena Diaboli respuamus.* Satis clarè in his habemus intentum, simulque *paruas negligentias, quasi venena Diaboli respuendas.* Pulchro etiam exemplo nauis, quæ etiam in portu consistens minutis guttis submergitur, rem totam declarat

Cæsarius in homil. ad mō. apud Diō. Carth. de ref. claust. c. 6.

rat inquiens. *Sicut nauis posteaquam de pelagi fluctibus euaserit, si in portu sentinata, seu custodita non fuerit, de minutis guttis impletur, ac mergitur: sic, & monachus deuictis huius mundi criminibus, quasi periculosis fluctibus, cum ad portum monasterij aduenerit, si ibi subrepentia, minuta, & quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu monasterij crimen incurrit naufragij.* Hæc velim ab omnibus religiosis in mentis promptuario recondi, vt vel sic non solum grauia peccata, sed minimos quoque defectus sibi fugiendos esse nouerint.

Id.ap.Dió serm.6.de Do.1.post Natiuit. Clarius idem Cesarius, eodem quoque Dionysio teste in sermone quodam, sic ait. *Qui sola capitalia crimina cogitat, & contra ipsa tantummodo pugnare contendit, atque de paruis peccatis, paruam, aut nullam solicitudinem gerit, non minus incurrit periculum, quàm si maiora committeret crimina.* Hæc ille.

15 Sed quis Seraphicum D.Bonauenturam pro re tam Sancta loquentem non desideret? Multus igitur est sanctus hic Doctor in monachis admonendis circa obseruantiam regularem in minimis quoque institutis. Et primo iam vidimus in hoc capite

D.Bon.vt supra Idemin prolispec. discip. ipsum dicentem. *Ordo, qui negligit modica paulatim decidet.* Alibi quoque, sic habet. *Nec minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eò turpius neglectus habita ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt.* In eodem quoque opusculo, sic. *Si curare parua negligimus sensibiliter seducti audenter etiam maiora perpetramus.* In Alphabeto etiam suo monachum, sic instruit *Time Deum offendere in minimis negligentijs, & defectibus.* Rursus idem S.Doctor, dum de modestia religiosis

Idem in spec. c.6

Idem in Alphab. lect.14

Idem de mod. nec essaria loquitur, sic habet. *Hæc, & similia non sunt, vt minima temerè aspernenda.* Rationemque subiungit. *Clara nonnunquam conuersationis insignia quædam in minimis obfuscant ineptiæ. Plerumque, modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur.* Demum in tractatu de speculo disciplinæ religiosum minima spernentem, tepidum vocat, & vt talem ab aliis dignoscendum. *Tepidus* (inquit) *in conuersatione, otiosa verba, & vanas cogitationes noxias esse non conspicit: vitatis grandibus, reliqua omnia vix reputat imputanda.* Audiant hæc religiosi omnes, & si volunt esse quod dicuntur, Bonauenturæ verba timeant, & minimos defectus in obseruantia regularis disciplinæ omnino sibi cauendos esse credant.

Idem in spec.c.5

16 Pius quoque, & sanctus author Dionysius Carthusianus

non

non semel, sed sæpius intentum nostrum confirmat. Sermone ergo 6. de Dom. 3. quadam, sic dicit. *Iustitia nostra* (scilicet monachorum) *est, vt ea quæ Ordinis nostri sunt, strenuè obseruemus, & vocatione hac dignè coram altissimo ambulemus. Sicque minora, imo, & minima, seruemus cum diligentia nobis possibili, sicut maiora, & maxima. Dicit enim Scriptura: Qui timet Deum nihil negligit. Itemque, qui negligit modica paulatim decidit.* Item ser. 5. de Dom. 12. post Trinitatem, hæc habet. *Vitanda est nobis omnis consuetudo mala, etiam in peccatis, quæ parua videntur, vt in euagatione oculorum tempore diuinorum, in risu, & leuitatis cuiusque indicijs, & præsertim in fractione silentij. In negligentijs quoque in orando, psallendo, meditando, & celebrando, confitendo, &c.* Et infra. *Quantumcunque etenim culpa modica videatur, tamen in consuetudinem ducta valde grauatur.* Legatur sermo 4. in festo Sanctæ Catharinæ, vbi multa ad hoc intentum. Dion. Ca

Idem.

17 Adstat modo Sanctus Laurentius Iustinianus disciplinæ monasticæ deuotissimus, qui & regulæ obseruantiam monachis suadens, ad minimas quoque negligentias cauendas extendi debere: sic comprobat. *Qui enim in paruis negligens est, sublimiū donorum omnino indignum se facit, at qui in paruis fidelis existit, spiritualium ditabitur multitudine gratiarum.* Apposuit vobis, ò monachi, Iustinianus ignem, & aquam, vt qui in paruis negligentes estis, sublimium donorum indignos vos faciatis, qui tamen in paruis fideles existitis, spiritualibus ditemini gratiis. Laur. Iust de discip. monach. ver. e. 8

18 Dacrianus quoque Abbas inter Bibliothecæ Patres relatus, dum in suo monachorum speculo, ipsos ad propriæ regulæ obseruantiam promptè, fideliterque exequendam hortatur, adeo id præstat, vt qui huic muneri libenter non incumbit, indignus monachi vocabulo, ab ipso reputetur, vt nouerint monachi, etiā ad minimas obseruantias, eorum curam extendendam esse. *Si quæ humilia, & simplicia sunt contemnere audes, monachus non es. Si spirituali patri in omnibus, quæ mala non sunt prompte, fideliterque obtemperare negligis, monachus non es. Si à diuino officio, & cæteris actionibus conuentualibus te libenter subtrahis, monachus non es.* Clariùs inferius. *Si rem etiam exiguam dare, mittere, recipere, & tenere absque superioris scitu, permissioneque præsumis: si ordinationes sanctæ religionis quantumuis modicæ sint parui facis, easque volens transgrederis, monachus non es.* Dacr. in spe. mon. in 5. t. Bib

Idem ibi.

non es. Pulchrè certè, noſtroque propoſito congruenter ſatis. Vt vero nouerint religioſi omnes, quantum ſibi malum aſciſcãt, cum minimas obſeruantias ſpernunt, ſimulque vitia, quæ ob talem neglectum incurrant, ſubiungam ſanè, quæ pius hic Abbas in eodem opuſculo appoſuit; quibus, & intentum noſtrum, & ea, quæ ſuperius diximus maximè innoteſcunt. *Peruerſi* (inquit)
Idẽ Dacr. ad ſi. opu. *monachi, & delinquunt, & delinquere non oderunt, nec cauent. Leuiarum enim culparum, nec affectus extinguere, nec occaſiones vitare, laborant: libertatem laxioris vitæ deſiderant: à diuino officio, cæteriſque actionibus conuentualibus abeſſe gaudent: delicatum, ſuperfluumque cibum, aut potum percipere geſtiunt: opportunitates nugandi exquirunt: inordinati riſus ſolatia affectant: ſæcularia audire: vana videre, curioſa in ſuos particulares vſus accipere ardent. Propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, geſtus incompoſitos, cæteraque huiuſmodi vitia, aut non eſſe vitia, aut vix eſſe vitia iudicant; ſine ſcrupulo conſcientiæ ea admittunt. Nimirum inſenſibiles effecti, vulneribus acceptis, ſe ſanos exiſtimant; ob idque, nec mala ſua plangere, nec vitam corrigere ſtudent. Sed quid dicunt? Non ſunt (inquiunt) vulnera, aut ſi ſunt vulnera admodum parua, & ferè nulla ſunt. O monachos infœlices, ò monachos dementes, ò monachos non monachos! Nam quantumlibet parua vulnera videantur, quia tamen nec cauent, ne ea ſuſcipiant, nec poſtquam ſuſceperint, debitam curam adhibent, omninò mortifera redduntur. Vt interim omittam, quod etiam ex tali negligentia frequenter ipſi in ſuperbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, inuidiam, contemptum, & alia enormia peccata corruunt.* Audiant hæc, & obſtupeſcant negligentes religioſi (ſi qui ſunt) & in poſterum minimarum obſeruantiarum ſe cultores exhibeant, ne in ſimilia miſerè cadant.
Id. ibid, Vnde idem Dacrianus, ſic tandem concludit. *Noli frater, noli hos imitari: nec ex veris Crucifixi diſcipulis, & dilectis Dei amicis ſunt, ſed nec poterunt, quandiu non deſierint eſſe tales, quales ſunt.* Vt ergo Crucifixi diſcipulus iure nomineris, neceſſe tibi eſt, in minimis quoque regulę obſeruantiis ſectatorem te præbere.

19 Nec grauabor ſanè, quę duo Benedictini monachi circa præſentem cauſam, de minimis obſeruantiis à regularibus excolendis tradiderunt, in medium proferre. Alter eſt pius auctor Ludouicus Bloſſius, (niſi forte ſit idem cum Dacriano relato, vt quidam

quidam putant) qui adeo minimarum obseruantiarum Ordinis zelator fuit, vt monachum illarum contemptorem monachi nomine indignum censeat. Sic verò loquitur. *Si parùm pendes constitutiones, & ordinationes sacræ religionis, quantumuis paruæ sint, monachus non es.* Alter est grauissimus, Tritemius Abbas, qui comparans monachum aureo vasi, in quo nullus nævus, nullaue macula à Principe admittitur, sic loquitur. *Parua in aureo vase macula multum in conspectu potentis displicet: si curuum fit fictile, nemo detestatur. Monacho delinquente in modicis, clamor maiorum contra illum ingens oritur, quoniam auro conuersatio eius comparatur.* Hæc Tritemius antiquiorum patrum doctrinâ sequutus, manifestèque monachos monens, vt paruas negligentias, quæ eorum sanctitatem maculant, non spernant.

Blosius in spe. mon.

Tri. hom. 12. de mõ.

Harum autem minimarum obseruantiarum eximiam zelatricẽ B. Magdalenam de Pazzi in medium producere æquum erit. Etenim prout in vita sua *cap. 96.* habetur. *Quando inchinaua la testa al recitare* Gloria Patri, & Filio, &c. *Faceua vn'atto tanto intenso di porgere la testa al carnefice per la gloria di Dio, che vna volta, come sopra è detto, rimase in tal pensiero estatica: & altre volte fu auuertito dalle sue Nouizie, che in tal'atto diueniua, per questo pensiero, pallida, e tremante; come se fusse in atto di martirio.* Et vltra. *Non solo recitaua le diuine lodi, e gli officij con allegrezza, e diuotione, che sopra è narrata; mà haueua ancora vn particolar zelo, che da tutte le creature, e specialmente nel suo Monastero, dalle Monache si recitassero in Coro i diuini officij con ogni affetto, e riuerenza maggiore. Perciò, quando sentiua il cenno della campana, che chiamaua al Coro, faceua conto, che fusse la voce di Dio, e diceua all'altre, che seco si trouauano:* Ecco la voce di Dio, che ci chiama, non lasciamo d'vdirla, nè d'eseguire quel, che vuole da noi; andiamo á lodare Dio. *E se vedeua, che alcuna fusse negligente nell'andarui, ò che per piccola occasione lo lasciasse, ne sentiua grande amaritudine, e quando le si porgeua occasione, glie ne daua lume. Medesimamente se vedeua, che gli officij s'affrettassero, diceua:* A me non dà il cuore di spedire le diuine lodi, come si spediscono l'altre faccende del Monastero. Ecce quam sedulè etiam minimarum obseruantiarum custodiæ addictissimam esse hæc Beata Virgo se aliis ostendebat.

B. Magda. de Pazzi.

20 Nec mirum sanè adeo sollicitè pro minimis obseruantiis custodiendis hos Patres sedulò se præbuisse zelatores. Religio

namque in illarum obseruantia præcipuè versatur. Hinc aliqui religionem, tàm pro statu, quàm pro virtute per huiusmodi paruas obseruantias (cæremonias intelligo) definiunt, ex quibus Albinus Flaccus, sic. *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam Diuinam vocant, curam, cæremoniasque affert.* Angelicus quoque Doctor. *Religio est, per quam homines Deo cultum, & reuerentiam exhibent.* Laurentius etiam Iustinianus ferè eodem modo, sic. *Religio est, quæ cuique superiori curam, cæremoniasque affert.* Hinc quoque Seraphicus Bonauentura cæremoniarum obseruantiam sæpiùs religiosis intimauit. In speculo disciplinæ, sic habet de cæremoniosa inclinatione loquendo. *In inclinatione debet deuotio apparere, vt fiat humiliter; & profundè. Non est deuoti sed pigri, rigido stante corpore, tenui motu corporis inclinare. Est enim corpus, depressis aliquantulum renibus, adeo demittendum, vt ipsum ferè super genua, brachijs interpositis, reclinetur.* Alibi quoque qualiter religiosi versum *Gloria Patri*, vel similem memoriam Trinitatis Sanctissimæ, inclinati dicere debeant, simulque imperfectum regularium quo ad hoc vitia taxando, sic docet. *Quando post psalmum, vel hymnum Sanctæ Trinitati reuerentia exhibetur, humiliter, & decenter inclinent. Tunc enim tardius surgere, segniter, ac deformiter inclinare, (vt quando corpore quidem demisso sufficienter, vultus tamen indecenter erigitur, oculis erraticè circumlatis): imperfectè quoque ad memoriam Trinitatis inclinationis veneration nem exsoluere (quasi sit honoris differentia in Personis) irreuerentiæ arguit.* Alio quoque loco simile vitium in religiosis reprehendit, simulque quandam Reuelationem Beatæ Virginis ad hoc intentum adducit. *Sunt* (inquit) *qui culpabili admodum remissione traducti hùc reuerentiæ cultum Domino subtrahentes euacuãt; dum aut residentprorsus, vsque post factam memoriam Trinitatis, aut tunc etiam surgunt, & sedili eleuando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut ex negligentia non inclinant.* Post hæc subiungit Dei genitricis Reuelationem sic. *Quantũ tamen sit hæc noxa detrimenti B. Dei Genitrix seniori cuidam in choro psallentium fratrum indicasse refertur, quæ inclinantibus ad Sanctæ memoriam Trinitatis suum ipsa filium singulis offerebat: quemdam verò minimè inclinantem verso ab eo vultu, veluti indignum hac gratia pertransibat.* Hac forsan de causa, idem Bonauentura spiritu Dei agi, eos, qui cæremonias religionum obseruant, eos vero, qui illas respuunt, superbos, & fatuos esse docet, inquiens.

Alb. Flacc in Dia. de Abet.

D. Th. 2. 2. q. 81. n. 1

Laur. Iust. de iustit. c. 2.

D Bonau in. pecul. discip. p. 1 p. 2 c. 9

Idē in eo. spec. p. 2. c. 1

Idē sup. c. 9

Idē ibid.

quiens. *Proinde, qui ſpiritu Dei aguntur, moralibus documentis intendunt, quæ tamen ſuperbi, & fatui contemnentes, nunc ſuperſtitiones, nunc cæremonias vocant, aut certe calumnijs fucatis impugnant.* De iſtis etiam (vt puto) Ioannes Rusbrochius loquitur, dum inquit, improborum regularium vitia lamentans: *Si quis inter eos ſit pietati deditus, ſimplex, & timens Deum, & qui Patrum inſtituta, ac canonem monaſticum obſeruare velit, illum habent contemptui.* Maximè quoque de his loquitur Lanſpergius ſerm. 3. in ſolemnitate ſancti Michaelis dicens: *Deuotio, & reuerentia faciunt, vt veniæ, genuflexiones, ſupplicationes, & inclinationes noſtræ, non ita perfunctoriæ, atque ſteriles, & ita pene ſint mortuæ, hoc eſt, intentione, ac ſpiritu carentes (ſicut quorumdam eſſe timeo,) ſed viuæ, atque ex pietatis, deuotionisque feruore, quaſi modo primum genitæ, ſiue elicitæ, per intentionem tunc vigentem Deo offerantur, atque in eum referantur.* Debent ergo Sancti, piique religioſi, his, & aliis Diaboli retibus ſuperatis, ad normam ſui Ordinis attendentes, omnes obſeruantias, ſiue maximè ſint, ſiue modicæ; eas præcipuè, quę ad Cultum Dei, Sanctorumque reuerentiam ſpectant, quaſque cæremonias vocant, ad vnguem integrè, fideliter, promptèque cuſtodire. Ad quod maxime induci poſſunt verbis Ioannis Nider in tractatu 2. cap. 22. dicentis. *Quando reformatio non inchoatur cum cæremonijs poſtmodum vix ſe permittunt religioſi ad altiora ſubleuari.* Vt ergo oppoſitum accidat, neceſſe eſt pios, ſanctoſque regulares cæremoniis plurimum addictos eſſe.

Idem in prol. ſpec.

Rusbr. in tabernac. ſcd. c. 123

Io. Nider.

21 Diuina quoque viſione poterit regularibus innoteſcere, quantum paruæ iſtæ negligentiæ in regularibus obſeruantiis in ſpis noceant. Fertur enim de Hugone Victorino, pio alias, & religioſo Doctore, magnam pœnam ſubiiſſe poſt mortem, eo quod diſciplinas, quas communiter religioſi ſuſcipiunt, ipſe renuiſſet. Caſum per hæc verba refert Ioannes Nider tractatu tertio de fructibus religionis cap. 8. *Diſciplinas regulares apud religioſos conſuetas deuotus, & literatiſsimus Hugo de S. Victore, propter teneritudinem corporis in vita aliquando fugiſſe legitur, cum generaliter inferebantur conuentui. Vnde poſt mortem, quando ſtatim eius anima ad cœlum aſcendere debuit, vix aliquod Dæmoniorum (quorum caterua magna in via aſtitit) euadere potuit, qui ei alapam non infligeret.* Ex quo liqueſcit, quod pro diſciplinis regularibus, quas omiſit, Diabolicas alapas ſuſtinuit.

Io. Nider.

Hinc religiosus quidam, qui minus modestè in lecto iacuisse repertus est, Beatissimæ Virginis Mariæ fauorem, quem aliis sociis ipsa præstabat, obtinere non meruit, prout ex Patrum Dominicanorum historia, & Siluano Razzo *lib. 3. de miraculis Beatæ Virginis num. 45.* refert *in sua disciplina regulari* circa illa verba Regulæ Carmelitarū *cingulo castitatis* noster Hieronymus Gratianus, sic. *Leggesi nell' historia di San Domenico, che venendo quel Santo dal Choro doppo Matutino, viddenel Dormitorio tre Vergini risplendenti, vna delle quali haueua in mano vn vaso di Christallo con acqua benedetta, l'altra vno spargolo, e la Signora di quelle andaua aspergendo tutte le Celle de' Frati, mentre essi dormiuano, e trapassonne vna senza gettarle l'acqua, e desiderando San Domenico sapere chi loro fossero, figettò loro à' piedi, e dimandolle del suo nome; rispose la Signora; questa è Cecilia, e quest'altra è Caterina; & io son quella, alla quale ogni notte, cantate nella Salue;* Aduocata nostra; *e tengo cura de' miei Frati mentre dormono; mà il Frate di quella Cella non giace in letto in quel modo, e con quella modestia, che conuiene; Et era cosi la verità, come egli stesso confessò poi à San Domenico.*

Hier. Gra

22 Nec iure omittere potui, vt quæ de omnium cæremoniarum obseruantia in genere, dicta sunt, specialiter quoque paucis, ad illas, quæ in officio sacro Missę, ritu Ecclesiæ obseruari debent, applicarem. Lamentabilis etenim quorumdam, vtinam sęcularium, & non regularium quoque Sacerdotum, quoad hoc, vitiosa corruptela sæpissimè cernitur. Tanta enim celeritate, indeuotione, & irreuerentia tremendum Eucharisticum sacrificium tractant, vt cæremonias ad ipsius celebrationem ab Ecclesia institutas, penitus vilipendant. Intolerabilis abusus, corruptela, diabolicumque contagium, magnâ partè ministrorum Dei inficiens. Sacratissimum omnium officium aliqui Sacerdotes sic peragunt, vt aliis prophanis actibus non dissimile credere videantur. Nescio prorsus quantum apud istos ius illud, natura quoque duce, præscriptum *sancta sanctè tractanda sunt*, valeat.

D. Augost ser. 251. de tem.

Conqueritur D. Augustinus (quod, & ipse inquit: *Valde dolendum est*) quod aliqui ad Ecclesiam venientes, *cogunt Presbyterum, vt abbreuient Missam, & ad eorum libitum cantet.* Conquæri, & nos possimus, Presbyteros multos esse, qui sic Missarum solemnia abbreuiant, vt deuotionem à piis sæcularibus penitus tollant, nec sine scandalo è templis eiiciant. Conquæritur

Idem ibi.

de istis idem Augustinus, quod, *Vnus punctus diei ad Dei officiū, & reliquum*

& reliquum diurnum ſpatium cum nocte ſimùl, ad eorum deputentur Voluptates. Quid inde? Niſi quod idem S. Doctor ſubiunxit. *Non ſolum, qui hæc faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus pereunt*, Quæ ideo dixit, vt Prælati, & Superiores tantum flagitium non permittant. Audiatur de hoc Bernardus. *Monachus ſacris altaribus, ſi ſacerdos eſt, tanquam vnus ex ſummis Angelis in ſpiritu totus aſſiſtat.* Qualiter ergo ſummi Angeli officium exhibet Sacerdos, ſi totus, dum Miſſam legit, ſui muneris grauitate oblitus, corde tendit, vt citò finiat, quantocius abſoluet, & ad ſecularia, prophanaque negotia mox reuertatur? Vellem certè, plures tantumdem temporis in ſacroſancto miniſterio inſumerent, quantum in quacumque corporis refectione, aut neceſſitate ipſius ſubuenienda, detinentur. Sed proh dolor! Plus apud iſtos valet quælibet corporalis vtilitas, quam ſacratiſſima actio omnium ſacratiſſimarum excellentior. Audiant, & Seraphicum Doctorem *Altaris miniſterium ob reuerentiam corporalis præſentiæ Saluatoris, munditiæ, reuerentiæ, diligentiæ, honeſtatis, & circumſpectionis ſtudium ſpeciale requirit.* Et inferius, ſic. *Si agendis miniſterijs Regis ſtudioſiſſimam homines curam impendunt, quantam putas æterni Regis miniſterijs impendendam?* Nouerint ergo Sacerdotes Domini regulares præſertim, eam eſſe ſui muneris curam, vt tremendum Miſſę ſacrificium ea honeſtate, decentia; & reuerentia tractent, tam ſtrictimque cæremoniarum obſeruantiæ incumbant, vt cæleſtis Principis miniſtri rectè famulantes cenſeantur. Quin eam ob cauſam, quod aliqui indecenter tam ſanctum miniſterium peragant, à tam ſancta menſa aridiores, & macilentiores exire tradit D. Dionyſius Carthuſ ſer. 5. de Paſcha per hæc verba. *Sic imus de die in diem, & fortè macilentiores, & aridiores, de opulentiſſima, pinguiſſima, delicatiſſima menſa recedimus, quam ad eam acceſſimus, quia irreuerenter, inculſodite, intimoratè, ingratè habemus nos. Cur nō terrent nos Apoſtoli verba. Probet ſeipſum homo, &c.*

D.Ber. in ſpe. mon.

D.Bon. in ſpec. p. 1. p. 2. c. 11

Idem ibi.

Diō. Car. ſer. 1.

Idem quoque de feruitio Chori, opere quidem tàm grato Deo, quàm Religioſorum proprio dicere oportet. Pro quo etiam notabilem hunc caſum noſter Hieronymus Gratianus *in diſciplina regular. in cap. 4. de orat. vocali §. 1. de Horis Canonicis*, ſic refert. *Voglio raccontare vna coſa accaduta à i noſtri tempi in vn Conuento del noſtr'Ordine. Erano ſoliti dire il Matutino la ſera, e lo ſonauano con le campane à mezza notte: vna volta ritornando il Sacriſtano da ſonarlo, ſentì, che nel Choro cantauano l'Inuitatorio,*

Hier. Gra

tatorio, e si merauigliò, pensando, che i Frati si fussero leuati à Matutino, perche non soleano farlo, & aprendo la porta del Choro, vide le sedie piene di Frati con le cappe molto bianche, mà le mani, e faccie loro erano ossa spolpate di morti, spauentossi, e quello, che faceua l'offitio, chiamollo, dicendo. Pare à voi, che stia bene, Padre, che si soni à mezza notte il Matutino, e non si leuino à dirlo, ingannando il popolo? Non faceuamo così noi altri anti. chi Frati di questo Conuento. Apparecchiateui, Padre, per la disciplina, la quale gli diede, e tale con certe verghe di ferro, che il pouero Frate se ne morì frà tre giorni per lo spauento, e per il dolore delle percosse; e di li auanti non ardirono i Frati lasciare di leuarsi la mezza notte al Matutino. Nec mirum tã sollicitè Patres istos defunctos curasse, quod eorum successores media nocte pro matutino recitando surrexissent. Est enim pia quorumdam opinio, de qua Cassiodorus *in psalmum* 18. ad eum versum, *Media nocte surgebam*, arbitrantium media nocte Christum esse venturum ad iudicandum mũdum. Quod etiam innuere videtur Paulus 1. *ad Thessalonicenses*, 5. dum dicit: *Dies Domini sicut fur in nocte venit*, & ipse Christus Matth. 25. in parabola Virginum illis verbis: *Media nocte clamor factus est*. Meritò ergo Religiosi isti reprehensibiles erant, qui laudabilem Ecclesię consuetudinẽ â primordiis ipsius originem ducentem, iuxta Nicephorum *lib. 3. cap* 17. non obseruabant.

Niceph.

Cassiod.

22 Iam verò, quid forsan aliqui, culpam suam palliantes, ad excusandas excusationes in peccatis; dum pro minimis obseruãtiis religionum ab ipsis neglectis arguuntur, respondere possunt? Primo enim plures minimos hos defectus committere non renuent, eo quod cum minimi sint, parum, aut minimum de illis curant dum putent. Sed isti à Patribus adductis culpabilis negligentiæ arguuntur. Ex D. etenim Basilio habent. *Nihil minutum esse, quod Dei causa fiat*. Ex S. Ephrem, quod quamuis hæc parua sint *non afferant exiguum, aut qualecunque detrimentum.* Ex D. Bern. audiunt iam, hoc esse: *Blasphemiam in Spiritum Sanctum, blasphemiam irremissibilem*. Rigidissima sanè verba, sed à D. Bern. prolata. Rursumque: *Impossibile est cum eis saluari*. Ex Cæsario: *Paruas has negligentias, quasi venena Diaboli* respuendas esse. Ex Bonauentura: *Minima hæc non minimam moribus maculam ingerere*. Ex Dicriano: *Monachum non esse, qui ordinationes sanctæ religionis, quantumuis modicæ sint, parui facit*. Rursumque: *Quantumlibet parua vulnera videantur*,

Basil. vbi sup. Ephr. vbi sup. Bern. vbi sup. Bern. vbi sup. Cæs. vbi sup. D. Bonau. vbi sup. Dacr. vbi sup.

tur, quia tamen, nec cauent, nec eas suscipiant, nec postquam susceperit, debitam curam adhibent, omninò mortifera redduntur.

Tandem contra istos militat celebris illa sententia S. Cyrilli duodecimo de adoratione: *Nihil eorum, quæ ad Dei cultum pertinent exiguum æstimari debere.* S Cyrill. 12. de ado

23 Alii secundo consuetudinem, melius dicam corruptelam, qua dicunt paruas has negligentias defectus non esse, opponunt. Sed hi audiant Augustinum dicentem: *Solet recta opinio prauam corrigere consuetudinem.* Rursumque: *Peccata quamuis magna, & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parua esse, aut nulla creduntur: vsque adeo, vt non solum non occultanda: verumetiam prædicanda, diffamandaque videatur.* Rursusque: *Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus forte consuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit.* Audiant quoque Bernard. super Cantica dicentem: *Abscidatur ferro acutæ compunctionis vlcus inueteratæ consuetudinis.* Et Isidorus sic. *Consuetudo authoritati cedat: prauum vsum lex, & ratio vincat.* Audiant, & Ciprianum sic dicentem. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem: scientes, quod veritas vincit, veritas valet, & inualescit in æternum: & viuit, & obtinet in sæcula sæculorum.* Maximè tamen attendant, quę circa præsens intentum de minimis obseruantiis custodiendis, consuetudine in contrarium non obstante, Bonauentura Seraphicus in suo speculo dixit. *Si plurium opponas ineptias in præmissis. Habet æmulos plurimos vitium, rarissimos disciplina. Non à pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est.* Vel saltem ethnicum Senecam auscultent, cap. 2. de beat. vit. *Quæramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimum: & quod nos in possessione fælicitatis constituat, non quod vulgo pessimo veritatis interpreti probatum sit.* Non ergo sapienti excusatione iuuari possunt religiosi, dum minimas obseruantias suæ religionis spernunt, sub prætextu prætensæ consuetudinis, vel corruptelæ introductæ. D. Augus de doc. Christ. Aug. in En chir. c. 82 Aug. in ser. domi. quar. adu. Ber. sup. Cant. D. Bon. in spec. p. 1. p. 2. c. 11 Seneca

24 Crassiori tandem Minerua alii tertiò respondent, qui, dum de negligentia in paruis, aut minimis obseruantiis, regularibusue cæremoniis, aut aliis reprehenduntur, dicunt: Non est hoc peccatum mortale: vel: Non obligamur sub mortali peccato ad istas paruas, seu minimas obseruantias Ordinis. Sed isti audiant, quæ Ioãnes Lanspergius Carthusianus de talibus religiosis dixit:

Post

Lanspe. in ser quodã ad cong.

Post concupiscentias nostras multi imus, & vbi nobis leuissimum foret desideria nostra frangere, fatigamur, immortificationem nostram vbique in collo circumferentes; hoc vno turpi verbo etiã plerique excusantes. Non est (inquiunt) hoc peccatum mortale. O si Dei, vel cuiuis inesset timor, si diuinæ præsentiæ æstimatio, nulla occurret ei disputatio, mortale ne, an veniale esset peccatum! Quandoquidem vnum perinde, ac alterum vitaremus: quippe cum nullum sit peccatum, quod non execretur Dei timor. Sanè nescio quo pacto rectè isti sentiant de perfectione status religiosi. Illa etenim, vt segregati à sæcularibus, non solum communia præcepta Decalogi, aut Ecclesiæ, sed etiam obseruantias Ordinis, quantumuis minimas reuereri tenemur. Accinit Carthusiensis

Diõ. Cart. alius, Dionysius scilicet serm. 7. de Dominica 4. Aduentus. *Religioso quotidiè opus est pœnitere, & venialia ista mala deflere, si digne cupit proficere, tam cordialiter, ac lachrymosè, vt boni sæculares de suis dolent, ac lachrymantur culpis mortalibus.* Deinde hæc subiungit nostri capitis intentum redolentia. *Quid est, quod venialia nostra peccata quotidiè confitemur, & de eis nos pœnitere per signa quædam monstramus: & tamen post confessionem, & celebrationem ad pristinas leuitates, ad consuetas negligentias labimur, nec crescit in nobis dolor internus pro venialibus culpis, nec solicitudo, ac vigilantia mentis pro eis cauendis?* Audiatur, & Bernardus, vel author Bernardi spiritum redolens ad

Auth. ap. D. Ber. de vi. soli. ad fra. de mõt. Dei monachos loquens. *Non solum vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Non enim est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere, quid præcipiat Deus; sed quid velit: probantes quæ sit voluntas Dei bona, & benepl acens, & perfecta. Aliorum est enim Deo seruire, vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere scire, amare, reuereri, vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.* Et infra. *Ipsa est enim professio vestra quærere Deum Iacob, non communi hominum more.* Ac si clarius dicat: Solum ea, quæ ad culpam obligant fugere, commune vobis, & sæcularibus est; vestrum tamen statutum ampliora requirit: sæculares ad præcepta; vos vero ad consilia etiam vocamini: illi quasi serui minoribus placent, vos quasi filij, commẽsalesq; Dei, maioribus non plenè placetis. Si ergo monachi, & religiosi ad maiora, quam sæculares, vocantur, saluandique, vel condemnandi non, vt sæculares, sed vt monachi sunt, qua fronte, ea, quę ad peccatum non obligant, hac solum ratione reiicienda præsumunt.

præsumunt: Eo, vel maximè, quod licèt huiusmodi modicæ obseruantiæ ad peccatum, lethale præsertim, non ligent; earum tamen contemptus mortalem culpam inducit. Contemptus autem tunc admittitur. *Quando voluntas renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam*, inquit Sanctus Thomas. Quod velim ab istis accuratè considerari, nedum parua statuta Ordinis transgrediuntur, grauiorum criminum apud Deum factores inueniantur. Simulque animaduertant quæso, eiusdè S. Thomę verba, quod libeto 4. *Difficile est, quod homo præcepta seruet, quibus intratur in regnū, nisi sequendo consilia.* Et rursus: *Consilia parant viam ad præcepta seruanda.* Vt inde nouerint non absque fundamento formidare posse, se à Deo auxilio efficaci ad obseruationem præceptorum priuandos, cum propria sui status sic reiiciant. Propter quod meritò D. Hieronymus: *Non sunt contemnenda, quasi parua, sint, sine quibus maiora conflare non possunt.*

S.Th. 2.2 q.186.a.9 art.3

S. Thom. Quodli. 4 art.23

D.Hie. in reg. mon. per Lup.

25 Addiderim tandem, excusationem aliam, qua frigidi quidam, paruas, seu minimas obseruantias custodire nolunt, eò scilicet, quod in illis dispensatum sit à religione dicant, prorsus futilem, inutilemque reputari debere. Quod verbis doctissimi Ioānis Nider confirmare libet. Sic verò loquitur in tract. 1. de lapsu religionis c. 11. *Dispensatio, quæ hodie passim in multis religionibus fieri videtur, & dissimulationes in continua nō tentione silentij in interdictis locis, & temporibus; in fractione continui ieiunij regularis; in perpeti comestione carnium, vbi prohibetur; in lineis vestimentis, & culcitris penneis, seu lectorum vsu frequenti; in fuga à choro, & cantu diuini officij, in vsu tonsuræ, & habitibus prohibitis, in negligentia studij literarum; imo oti ssimè in appropriatione pecuniæ, & similium, quæ in regula, & statutis sunt prohibita, non sunt dispensationes, sed dissipationes, in quibus nec prælatus, sine causis supradictis potest dispensare, nec subditus dispensationem debet recipere.* Et infra. *Apud multos igitur veritatem obtinet ista vulgaris diffinitio. Dispensare est eum licētia ad infernum intrare.* Inferius quoque sic *Quæ quæso necessitas, aut communis vtilitas sequitur ex supra tactis dispensationibus? Sequitur namque diminutio rerum temporalium, linguæ loquacitas, solicitudo temporalium, lis, & rixa plurimorum, inobedientiæ, & casti tatis periculum, ac Patrum Primitiuorum fructatur sanctæ intentio.* Concludit tandem intentum. *Hæc luce sunt clariora videntibus, cæcis verò, nihil est lucidum.* Ijs etiam ego concludens,

Io. Nider

pios regulares, supplex præcor, vt hæc attendentes, parnis, seu minimis obseruantiis addictos se credant, potius quam vana superstitiosæ dispensationis ad barathra duci, velint. Credant insuper tam paruis obseruantiis, quàm magnis astringi, audientes illud Christi Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Diõ. Car. de ref cl. ust. c.6

26 Nevtiquam tamen lectorem fugere velim D. Dion. Carthus. grauissimi Theologi grauissima verba. Quibus quam malè sentiendum sit de consuetudine excedendi, seu delinquendi in regulæ obseruantijs: quantumuis minimæ sint, sic docet. *Quamuis multa contineantur in regulis, aut statutis religiosorum, ad quæ non tenẽtur de necessitate præcepti, ita quod statim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes; vt est obseruatio silentij; surgere alacriter ad matutinas; otiositates vitare; inutiliter hinc inde discurrere, atque similia: verumtamen consuetudo excedendi, seu assiduitas delinquendi in istis, & non curare, neque emendare, non potest à mortali excusari peccató. Propterea religiosi deformati, in quibus parua, aut nulla est rigoris, aut disciplinæ obseruantia, qui carnaliter viuunt, & mundanis vanitatibus pleni sunt, otiosi tati, & loquacitati vacantes, innumerabilia prorsus incidunt vitia, non venialia solum, sed, & mortalia, imo tota vita eorum est, quasi quoddam peccare continuum: præsertim, quia, & hæc ipsa bona, quæ agere videntur, tam negligenter, irreuerenter, & tepidè, tam inordinatè, atquè indebitè agunt, vt magis sit offensiuum Dei, quam honoratiuum, ac reconciliatiuã ipsius. Tales enim, qui in facibus suis iugiter manent, qualiter cõfitenturi qualiter celebrant, qui se in nullo emendant, imo de multis, quæ mortalia sunt nullã sibi conscientiam facere cõprobanturi* Acerbissima hæc verba à pijssimo viro, doctissimoq; Theologo, zelus domus Domini extorsit. Illa tamen sæpius à deformatis, & negligentibus regularibus (si qui sunt tales) ruminari vellẽ, vt, vel sic suum miserum statum exhorreant, & lugeant; simulq; Sanctiss. & pijssimi Doctoris verba audientes, tota facie cõfusi erubescãt.

Notabile dictum

27 Vos ergo Spiritu religiosi (quos plures esse in sacris religionibus cerno) *In minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruate* (inquit Valerius) Minimis his obseruantijs vestræ religionis substantiam niti credite. Accidentibus istis, Religionis perfectionem integrari pensare. Sine illis monachi non puremini; illis tamen monachos vos credam. Quales verò sitis, qualesue nos oporteat omnes esse, optimè depinxit Rusbrochius pius auctor. *Homines bonæ voluntatis, qui absq; fictione,*

Val. Max.

Io. Rusb. in spec. sala. c 13

Dei

Dei honorem, & propriam spectant salutem, studentque suum seruare Ordinem, & canonem monasticum, ac instituta, & consuetudines, quas audierunt, scriptasque inueniunt à Patribus precedentibus, qui monasticos ordines verbis, & actibus fundarunt, ac instituerunt, v.g. vt se habere debeant in choro, in capitulo, in refectorio, in dormitorio, in valetudinario, seu domo infirmorum. Item, silendo, loquendo, ieiunando, & in accipiendis (vt aiunt) disciplinis. Sicque sani, & infirmi, semper secundum statuta, seu canonem suum, & naturæ vires, sicut recta dictat ratio, ac vera discretio se gerunt, atque ex humili obedientia omni propriæ renúciant voluntati. Dum incolumes sunt, semper boni quidpiã exercent: dum autem aduersa laborant valetudine, mansuetudinem, ac patientiam retinent. Semper denique certant, & carnem, & sanguinem, & quidquid mundi est, superant. Hæc Rusbrochius, modum, quo sancti religiosi suum ordinem, quoad minima etiam instituta, seruant, describens. Accinit Lanspergius serm. 3. in festo Paschæ consulens, qualiter se gerere debeat religiosus in his minimis obseruantijs: *Fratres charissimi non inueniatur in nobis tepiditas illa omnis sãctitatis aduersatrix, pietatis destructrix, quæ in nonnullis monachis reperitur, qui à solo peccato mortali volunt continere. Ideo semper disputant, vtrum sit mortale, quod si non esse didicerint, non timent Deum suum offendere, gratiam eius spernere, spiritu debiliores, carne validiores, peccandoque frigidiores fieri. Non timent (inquam) in anima sua peccatorum licet, vt dicunt venialium, sordes corrigere, Deo displicere, ingrati inueniri, atque mortalium sese peccatorum periculis exponere. Fundamentum est maximè ruinosum, super quod nunquam aliquid boni potest ædificari, à solo peccato mortali velle abstinere, venialia non curare. Heu, quam sæpè in tali homine, qui adeo frigidus est vt venialia non horreat, quam sæpè (inquam) in huiusmodi homine peccata mortalia præsertim mentalia pro venialibus admittuntur.* Lansp. in ser 3

Faxit Deus tales simus omnes, qui regularium nomine gaudemus, concordetque vita nostra cum nomine, professioque sentiatur in opere.

Religioſorum nimia euagatio extra Monaſteria, regularem obſeruantiam, monachiſmumque fædat.

CAP. VII.

1 SI quod vnum vitium religioſorum noſtri, & præteriti ſæculi bonos mores corrumpere, feruorem extinguere, aut bonam famam perdere poteſt, nimia eſt, ſuperfluæ, prorsùs impertinens, & vana extra monaſteria vagatio, & per vicos, ac plateas ciuitatum inquieta circuitio. Nihil magis perfectioni regulari aduerſum, fini religioſi ſtatus contrarium, honoriſque religionum oppoſitum credo, imaginari poſſe. Si hoc ad tartara truderetur vitium, cunctique regulares, graui non vrgente cauſa, cœnobiorum cellis (vt multi ex eis faciunt) addicti forent, facile crederem, in priſtino nitore religione s omnes eſſe poſſe. Hinc etenim orationis iuge exercitium manaret, vitaretur ociositas, & regularis obſeruantiæ amor, ſtudiumque, in dies magis, ac magis ſuccreſcens, cœlum vſque pertingeret. Manifeſta quoque experientia innoteſceret, ſanctos, pioſq; religioſos (quorum numeroſa pars in religionibus cernitur) ideo tales eſſe, quod monaſterij clauſtra, cellaſque aſſiduè colant. At quantum detrimentum religionibus vagi, errones, deambulatoreſque regulares (ſi qui ſunt) pariant ex Patribus, hoc, & ſequenti capite afferendis, planè liqueſcet.

2 Audiatur primus celeberrimus ille primitiuæ Eccleſiæ monachus, monachorumque ſanctiſſimus Archimandrita, Abbaſque Antonius, de quo celebris illa ſententia habetur. *Monachus extra cellam, aut ſolitudinem eſt, ſicut piſcis extra aquam.* In Apothegmatibus Patrum in Bibliotheca relatis, ſic habetur. *Sicut piſces, ſi tardauerint in ſicco, moriuntur, ita, & monachi tardantes extra cellam, aut cum ſæcularibus immorantes à quietis proposito reuoluuntur. Oportet ergo ſicut piſcem in mari, ita, & nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes obliuiſcamur interioris cuſtodiæ.* Prudens ſanè conſilium, quod vtinam religioſis omnibus numquam à mente exciderit.

S. Anton. In Apot. de quiet. l. 2 8.to. Biblioth.

3 Aſtet ſecundus orientalium monachorum Pater Magnus Baſilius

gnus Basilius, ex quo plura ad intentũ elici valent. In constitutionibus monasticis, dũ de euagatione monachorũ loquitur, habet. *Qui huc, illucque continenti peregrinatione discurrit, neque stabilis certo vllo in loco, diu consistit, sed crebra ex alijs in alia loca ititatione & collectam illam, & constipatam animi in cogitando vim, assiduo isto flatu, ac reflatu, veluti euentilat, atque diffundit, paulatimque corporis voluptates spectare insuescit; iste, qui quæso perspicaciter excutere seipsum poterit? aut quæ minus honestè se habeant peruidere, & in melius reuocare?* Ibidem quoque idem Basilius monet Satanæ artificium esse regulares à conuentibus extrahere, inutilem vagationem suadendo. *Ad disciplinæ nostræ stabilitatem, Ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo monachos voluptatum illecebris illectos, varijs, ijsque instabilibus cogitationibus faciendum obnoxios.* Rursus ibidem clarius ad intentum. *Amplectenda nobis maxima ex parte quies est, & suo cuique assignato sibi ad habitandum loco, fortiter perdurandum; quo videlicet, hoc ipso animi sui stabilitatem tesselatam faciat.* Eodem quoque libro, ex hac monachorum distractione mundanas cupiditates tepiditatẽ, segnitiemque ad munia regularia exercenda nasci declarat, his verbis. *Non aliundè, quàm ex animi distractione, mundanæ cupiditates in nobis nascuntur: à quibus cum varijs postea tumultibus vexata mens nostra fuerit, segniores ad capessenda recta officia reddimur.* Hæc, & alia Basilius, satis eleganter monachis suadens; egressum extra cœnobia, inutilemque illorum euagationem, innumera mala illis afferre.

D.Bas. in cõ. mon. c. 8.

Idẽ ibid.

Ib. c. 27.

4 S. quoque Ephrem Syrus Basilij (vt solet) vestigia sequutus, & monasterii clausuram monachis suadet, vagamque ipsorũ deambulationem, plurium malorum occasionem esse sæpius docet. Paræneſi prima, sic habet. *Graui incessu monachus atterat gradus Ecclesiæ; indecoro autem incessu, è domo in domum non diuagetur.* Ibidem quoque, sic scribit. *Lignum vitæ æternæ in cælis monachus stabilis, & non errans.* Adhortatione etiam prima, sic hortatur monachum. *Abstinere oportet in cœnobio degentem, atque desistere à turbis, rebusque mundanis, & non oberrare è cella in cellam.* De perfectione monachi, sic loquitur. *In plateis ciuitatis non inueniaris frequens, ne animo deprauatè affecto absceda.* Paræneſi autem 44. sic loquitur iste Pater. *Attende tibi ipsi charissime, ne fortè in negligentia, atque distractione perdas tempus tuum. Vineam plantasti tibi, circunda illi maceriam.*

S. Ephrem parænes. 2

Idẽ ibid.

Id. adhort. 1.

Idẽ de perf. monach.

ceriam. Amœnum hortum comparasti tibi, fructus eius serua, ut leteris in nouissimis tuis. Quid enim prodest fratres, si hodie vitam quietam in cella degamus, cras autem in ciuitate, ac vicis remoremur, ea agentes, quæ non placent Deo? Quid prodest fratres, si vno die ædificemus, duobus autem destruamus? Alibi quoque sic loquitur ad idem intentum. Gloria monacho est, dum se in loco suo, ac cella continet, neque huc, illucque instar stipulæ à vento raptata, transportatur, atque vagatur. In opusculo etiam de monacho, & turture, sic loquitur. Quam ob causam, te, ò monache, turturi viduato comparaui, ne & tu ad mundum conuersus ea, quæ retro sunt, respicias, neque in ciuitatibus, & castellis, vicisq; conuerseris, neque cum mundanis demoreris, neque vias eorum addiscas: recedatque anima tua à vero Deo suo, vero animarum nostrarum sponso, laqueosque in anima tua accipias, neque ad diuitias, & voluptates sæculi reuertaris. Non enim, & Angelus, & homo esse potes, nec Deo seruire potes, & mammonæ. In Apothegmatibus quoque, sic habetur. Si quietus vixerit monachus in cella sua, à multis turbis liberabitur, qui autem vecors est mente, si ad turbas accesserit, non referet emolumentum, at qui cogitatione perfectus est, vtilitatem percipiet: cæterum quietam, ac solitariam vitam degere præstantius est. Hæc, & alia multa S. hic Pater, quæ si rectè pensetur, inueniet satis bonus religiosus, quietem monasterii sibi maximè congruam, vagationem verò extra illam noxiam valdè fore.

Id. parag. 44.

Idē in ser. Ascetic.

Idem de monacho & turture

In Apoth c 95

5 Audiatur præterea Ecclesiæ iubar, monasticique status zelator eximius S. Hieronymus, ex quo aliqua aurea fragmenta pro intento nostro roborando elicio. Ad Oceanum sic habet. Monachum, vel Clericum, solitudo facit, non publicum. Idem de solitudine. Si cupis esse, quod diceris monachus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Rursus clarius: Interpretare igitur vocabulum monachi, hoc nomen tuum, quid facis in turba, qui solus es? Rursus etiam ad Pammachium. Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu monachus esse cœpisti. Ad idem ipse Hieronymus in regulâ monachorum per Oliuetum collecta. Monachus se monachum esse, non loquendo, & discurrendo, sed tacendo, & sedendo nouerit. Hæc, & alia, Sanctus Doctor congruentia satis proposito nostro de nimia monachorum extra clausuram deambulatione fugiendâ.

Hierony. ad Ocea.

Id. in reg.

6 S. quoque Augustinus, vel author eius nomine insignis, inter

inter eius opera ad rem noſtram, ſic habet. *Non in foro monache, ſed in cella habitare debes, non familiam, ſed familiarum animas oratione paſcere debes. Non eſt igitur tibi neceſſe multum loqui, nec inter homines converſari.* Piè ſanè, & congruè ſatis monachorum inſtructioni loquitur. Auth. apud Aug. de inſ. re. vit.c.2.to. 10.

7 Præterea *S.* Cyrillus Hieroſolymorum Antiſtes in epiſtola ad Auguſtinum de miraculis D. Hieronymi (ſi verus author talis epiſtolæ eſt) ſic habet ad intentum. *Monacho nihil tam nociuum, deteſtabile, & mortale, quam vicos, & ciuitates, & gentium multitudinem circumire.* Et infra ſimilem ſententiam illi, quam ex Antonio ſupra attulimus, profert dicens. *Quod aqua piſcibus, monachis idem præcipuè ſilentium operatur.* Absdubie innuens, quod quemadmodum piſcibus ex aqua egreſſis mortem ſors affert, ſic quoque regularibus impertinens è clauſura monaſterii progreſſio mortifera ſit. Cyr. vel auth. epiſ. ad Aug.

8 Fauet quoque maximè Ioannes Caſſianus antiquus monachorum inſticutor, qui libro 10. inſtitutionum, ſpiritu accidiæ duci monachos docet, qui è cella ſua ſæpius protenduntur. *Spiritus accidiæ maximè ſolet monachos infeſtare, vt paulatim protracti è cella actus ſuæ profeſſionis incipiant obliuiſci.* Collatione quoque 24. quantum ſibi damnum monachi adquirant ſæpius è clauſtro egredientes, hiſce declarat. *Variæ, ac effuſæ cogitationes à nemine prorſus quantumuis ſolicito, ac vigilanti, vel caueri poterunt, vel videri, niſi qui corpus, atque animum iugiter intra parietum ſepta concluſerit.* Hęc Caſſianus piæ noſtræ cauſæ defenſor. Caſſianus

9 Ad idem intentum D. Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes de monachis loquens, ſic illos hortatur. *Monachus græcae bimologia vocatur, eo quod ſit ſingularis, monos enim græce, ſingularitas dicitur. Ergo ſi ſolitarius interpretatur vocabulum monachi, quid facit in turba, qui ſolus eſt?* Mentem, & verba Hieronymi imitatur Iſidorus, ſatiſque exponit monachi nomine indignos eſſe, qui monaſterio relicto turbas, vicos, plateaſque ciuitatis ſequũtur. Quare idem eorum vitia graphicè depingit inquiens. *Quintum genus eſt circumcellionum, qui habitu monachorum vſquequaque vagantur, venalem circumferentes hipocryſim, circumeuntes prouincias, nuſquam fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes.* Hæc Iſidorus monachorum vagam deambulationem, eorumque crimina, exinde naſcentia, optimè carpens. D. Iſid. li. 7 orig. c. de mona. Idem de off. Eccl. lib. 2.

10 Sanctus quoque, deuotiſsimuſque Bernardus, monaſticæ diſciplinæ

disciplinæ propagator insignis, non semel, sed sæpius, monachis clausuram intimauit, illisque, & cellæ quietem, & damna ex inutili euagatione manantia, in propatulo posuit. In sermone quodam de Sancto Andrea, sic habet ad intentum. *Meritò siquidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodo in carceratis pisces euagandi non habent libertatem, quo videlicet parati sint semper adepulas spirituales.* Alio etiam sermone, sic habet. *Periculosum est, si fortè quis velit, inter sæculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus, ad peccandum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in impatientiam animum deijciant.* Et rursus. *Offendat prudentiæ radius, quantas, & quã importunas, præsertim in hac generatione nequam, opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat, quàm debilis sit ad illas humanus animus, &c.* Vbi tamen elegantius, enucleatius, & dulcius, mala, quæ religiosis obueniunt extra cœnobia, bonaque ex prudenti, quietaque clausura manantia recenset idem Bernardus est in opere de modo bene viuendi ad sororem, vbi sic habet. *Moneo te, vt cum summo desiderio monasterium diligas, & vt toto corde sæculum postponas. Moneo te, vt in omni tempore in domo Dei permaneas, & vt nunquam ad sæculũ redire quæras. Quare? Quia in monasterio est vita contemplatiua, in sæculo est vita laboriosa, in monasterio est vita sancta, in sæculo est vita criminosa, in monasterio est vita spiritualis, in sæculo est vita carnalis, in monasterio est vita cælestis, in sæculo est vita terrestris, in monasterio est vita quieta, in sæculo est vita turbulenta, in monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita litigiosa, in monasterio est vita tranquilla, in sæculo est vita contentiosa, in monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita iurgijs plena, in monasterio est vita casta, in sæculo est vita luxuriosa, in monasterio est vita perfecta, in sæculo est vita vitiosa, in monasterio est vita plena virtutibus, in sæculo est vita plena vitijs.* Et post alia sic subiungit. *Ecce in conspectu tuo bonum, & malum. Ecce ante oculos tuos perditionem animæ, & salutem. Ecce ante te vitam, & mortem. Ecce ignis, & aqua, extende manum tuam, elige quod vis.* Hæc etiam tibi, ò religiosè, sume, & quantum boni tibi monasterium tribuat, quantumque damnum inutilis euagatio extra cœnobium, accuratius expende. Hanc ob causam idem Bernardus alibi monachos discursantes, impudentes, & religiosos appellat. *Videas* (inquit) *quosdam fratres*

D. Ber. ser. de S. Aud.

idẽ ser. 3. de Circũc.

D. Ber. de modo bẽ viuendi.

fratres discurrere, tam impudenter, tam irreligiosè sæcularibus sese implicare negocijs, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc vniuersa substantia. Hanc etiam ob causam idem Pater monachum, huc, illucque discurrentem, sub onere Dumæ iacere, metaphora sumpta è vndecim oneribus, Esai. 21. illis verbis: *Onus Dumæ ad me clamat ex Seir*, sic exponit. *Si videris monachum in claustro residentem, huc, illucque respicere, oscitare crebrius, manu, & pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere, postremo quasi quibusdam stimulis agitato de loco in locum, de auditorio in auditorium cursitare, sub onere Dumæ eum suspirare non dubites.* Hæc, & alia Bernardus, quibus, si rectè pensetur, inuenietur sanè cellæ, monasterijue clausuram plurima bona religiosis parere; è contra vero egressum è cœnobio monachum innumeris subiicere malis.

Idē Pern. in psl. qui habitat ser. 7

Esaia 21

Idē in ser de septē oratibus.

11 Nec iure omittere possum, quæ author opusculi de laude vitæ solitariæ ad fratres de monte Dei, apud ipsum Bernardum, ipsius nomen (melius dicerem spiritum) ostentans, de cellæ clausura dixit. Cuius verba, & si non pauca, quia tamen rei, quam intendimus maximè suffragantur, subiungere placuit. *Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum, non latebra, sed secretum. Cum quo enim Deus est, nunquam minus solus est, quam cum solus. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi ad fruendum Deo in se, & se in Deo. Tunc in luce veritatis, in sereno mundi cordis, vltro patet sibi pura conscientia, & liberè se infundit affectu de Deo memoria: & vel illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, vel seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc secundum formam propositi vestri habitantes in cælis, potius quam in cellis, exclusò à vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cū Deo. Cellæ siquidem, & cæli habitatio cognatæ sunt: quia sicut cælum, & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic, & pietatis. A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cælis, hoc & in cellis. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis. Quidnam est hucvocare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem piè, & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere sancti Angeli Dei cellas habent pro cælis, & æque delectantur in cellis, ac in cælis. Nam cum in cella iugiter cælestia actitantur, cælum cellæ, & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu, proximum efficitur: nec iam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cælum*

Author apud D. Bern. de vita solit. ad frat de mōte Dei

longa, vel difficilis via inuenitur. A cella enim cælum sæpè ascenditur; vix autem vnquam à cella in infernum descenditur: nisi sicut dicit Psalmista: Descendant in infernum viuentes, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assiduè contemplando reuisere amant gaudia cælestia, vt ardentius ea appetant: sic & dolores inferni, vt horreant, & refugiant. Et hoc est, quod imprecantur inimicis suis orantes, scilicet, vt descendant in infernum viuentes. Moriens autem vix, aut nunquam aliquis à cella in infernũ descendit: quia vix vnquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea vsque ad mortem perstitit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit, alienum vero, vel suppositicium abdicat à se citius, & proïcit. Vnde ait Dominus ad Moysen: Solue calceamenta pedum tuorum: Locus in quo stas terra sancta est. Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est; in qua Dominus, & seruus eius sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cælestia, humanis diuina vniuntur. Si quidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est serui Dei. Et in templo enim, & in cella diuina tractantur: sed crebrius in cella. In templo visibiliter, & figuratiuè, aliquando Christianæ pietatis sacramenta dispensantur, in cellis vero, sicut in cælis, ipsa veritate, ipso ordine, etsi nondum ipsa puritatis maiestate, vel æternitatis securitate, res ipsa omnium sacramentorum fidei nostræ assidue celebratur. Hæc pius author, quibus, quam rectè de cellæ obseruanti clausura monacho sentiendum sit, piè expressit.

12 Adstipulatur ad idem Petrus Damianus Illustrissimus Cardinalis, qui grauissimis verbis in suis epistolis monachorum vagam deambulationem acriter reprehendit. Ergo in epistola ad Teuzonem monachum, sic loquitur. *Si monachus es, quid tibi cum vrbibus? Si eremita, quid tibi cum ciuium cuneis? Quid cellæ, vel fora strepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Enimuerò, qui tanquam deficientibus siluis solitudinem in vrbibus quærunt, quid aliud credendum est, nisi quod solitariæ vitæ nõ perfectionem, sed fauorem potius, & gloriam aucupentur?* Præterea in epistola ad Abbatem quendam, & monachos sic habet. *Errat, pater, errat, qui confidit se simul, & monachum esse, & curiæ*

Pet. Dam l. 6 ep. 30

Id. l. 2. ep 17

curiæ deseruire. Quam male mercatur, qui monachorum præsumit clauſtra deserere, vt mundi valeat militiam baiulare. Exemplo quoque piſcis ex aqua educti rem totam confirmat. *Vncis erutus ſanus eſt piſcis, non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat.* Ac ſi clarius dicat; quemadmodum piſcis ex aqua extractus, non ſibi, ſed aliis cibus eſt; ſic monachus cellam, monaſteriumue egreſſus.

13 Accinit egregie egregius auctor Hugo Victorinus Bernardo coætanus, & de monaſtica diſciplina optimè meritus. In opere de clauſtro animæ, ſic habet ad intentum. *Si monachus es, quid facit in turba? Si amas ſilentium, cur declamantibus aſſidue intereſſe delectaris?* Rurſus pericula, quibus vagi religioſi ſe exponant, ſic deſcribit. *Qui diſcurrunt per alienas domos, qui foris ſpectacula ſequuntur, qui non ad neceſſitatem communem, ſed ad propriam voluntatem ſunt parati, qui cauſas itineris ſui non habent, ſed fingunt: tales dico ſicut ſunt faciles ad diſcurrendum; ita forſitan proniſunt ad ea, quæ loci opportunitas ſubminiſtrat.* In miſce laneis etiam l. 1. tit. 198. ſic dicit. *Gloriatio monachi, quando in loco ſuo permanet, & huc, illucque non vagatur.* Caue ergo ſanctè, pieque religioſè, ab inepta, & inutili euagatione extra Cœnobium, ne, & tu ad ea pronus, & paratus ſis, *quæ loci opportunitas ſubminiſtrat.*

Hugo de cla. anim. lib. 3 Idē decla. anim. l. 1 c. 4.

14 Seraphicus quoque Doctor Bonauentura piæ cauſæ quã tuemur, pius patronus aſſiſtit. In alphabeto monachorum, ſic habet. *Dilige ſolitudinem, & ſilentium, & inuenies quietem magnam, & conſcientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter ſtrepitus, & magna diſtractio cordis.* Rurſus in eodem opuſculo. *Fuge homines, & ſæculi rumores; quia non potes eſſe ſatis Deo, & hominibus, æternis, & tranſitorijs.* In opere etiam, quod Pharetra ab ipſo nuncupatur, euagationem regularium in conſtantiam interiorem refundit inquiens. *Qui ſtatum mentis perdidit, ſubſequitur foras in inconſtantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice conſtantiæ ſubſiſtat.* Ad idem quoque intentum antiqui Senecæ ſententiã affert. *Frequens migratio corporis, inſtabilis animi proprium eſt.* Et Rurſus. *Vt animum poſſis continere, primò corporis tui fugam ſiſte.* Hæc, & alia Doctor Seraphicus noſtræ piæ cauſæ deſenſor accerrimus.

D. Ponau in Alph. Ibidem Idem l. 3 Pha. c. 6 Idem Idem

Ad idem intentum deuotiſſimus Nicolaus Gallicus Ordinis noſtri peruetuſtus Generalis Præſul, in ſuo aureis litteris di-

Nicolaus Gallicus. gno opusculo, *Sagitta ignea* nuncupato, sic cum fratribus suis, cap 9. loquitur. *O quam securè in cella custoditur, nostræ, quâ vouimus, floscul⁹ castitatis. Ecce in cella solitudinis, à triplici bello celamur, vt dixi, contra cogitationes tantum illicitas pugnaturi. Ecce in cella spiritualiter occupamur, ne per otium, quod inimicatur animæ, pudicitia maculetur. Ecce in cell a quid faceremus, quid vitare oporteat, ne decepti seducamur, à Spiritu sæcli iuxta illud Prouerbiorum, Doctrina replebuntur cellaria, suauiter edocemur. Ecce in cella contemplationis aromaticæ Thesaurus inæstimabilis, atque incomparabilis nobis ostenditur, vt terrenis, & caducis penitus contemptis, in eius feruenti appetitu animus nostr⁹ expeditus totaliter expendatur. Legitur autem in Isaia; Ostenditeis Ezechias cellam Aromatum, auri, & argenti, & odoramentorum, & vnguenti optimi: quæ nobis omnia in cella solitudinis à nostro vero Ezechia, imo multa plura spiritualiter ostenduntur. Ecce in cellam vinariam à Rege Regum introducti, ordinatam in nobis consequimur charitatem. O quam benè appellatur cella vinaria: nam in ea Spiritus sanctus veros cellitas vino deuotionis mirificè sobrie inebrians, suauis contemplationis glorioso lectulo efficit obdormire. Sed quid de cella referam, cum eam sufficienter nequeam commendare? Certè inter cellam, & cælum nullum scio medium, & ideo de hac ad illud facilius peruenitur.*

15 Nec minus pius, & deuotus author Thomas Campensis, iure optimo inter Patres referendus, cellæ vtilitates, inutilisque euagationis damna, sæpius monachis intimauit. Primo etenim in alphabeto monachi similia illis, quæ ex D. Bonauentura etiam in alphabeto monachi supra retulimus, hæc habet.

Th. Cāp. in alph. lec 4. & 6 *Dilige silentium, & solitudinem, & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter est strepitus, & magna distractio cordis.* Et rursus. *Fuge quantum potes homines, & sæculi rumores, quia nec potes esse satis Deo, & hominibus, æternis, & transitoriis.* In valle etiam liliorum, lilia hæc monachis colligit. *Fuge dilecte mi, fuge. Quare? Propter multa pericula munai, quæ sæpe homini contingunt, qui in sæculo conuersatur. Nam qui Deo vacare appetit, libenter solus est,*

Idem in vall. lilio, c. 23 *& orat, studet, & scribit, & per multa bona exercitia; à vitiorum periculis custoditur, & tempus suum fructuosè expendit, & alios ædificat. Qui autem libenter foris ambulat, et hinc inde fabulari desiderat, raro est quin cor suum maculet, et indeuotior ad cellam pacis amicam redeat.* Optimè sanè, nec melius ad propositum

tum desiderari potest. In quodam etiam sermone aurea hæc protulit ad intentum verba. *Beatus monachus desolatus, cui mundus exilium, cælum patria, cella paradisus est. Beatus religiosus Deo deuotus, sæculo ignotus, cui oppidum carcer, clausturum refrigerium, solitudo solatium, silentium pacis hospitium.* In Enchiridio quoque monachorum, sic habet. *O monache, quid facis in cella? Lego, scribo, colligo mella. Hæc animæ meæ solatia. Bene dixisti.* Paucis rem totam peregit. Ex ijs autem, simulque ex inferius afferendis constabit plane, quantum sibi damni vagi religiosi, quantumque vtilitatis cellæ clausuræ addicti, sibi ex mente Campensis adquirant. Idē in 2. p. ser. 4 Idem in Enchirid. c. 1.

15 Libet præterea, quæ Guillermus de Peraldo in tractatu de professione monachorum, contra vagum, & curiosum monachorum discursum scripsit, aliquibus non necessariis ex punctis, hic transcribere. cap. 7. loquitur. *Sequitur de vago, & curioso monacho: de quo vane, & curiose discurrente potest dici illud Hieremiæ 1. Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. Monachos gyrouagos dicit D. Benedictus per omnia deteriores esse Sarabaitis. Ipsi sunt diaboli imitatores, in cuius persona dicitur Iob 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. Ipsi etiam sunt participes maledictionis Cain: habentes caput cordis tremulum, trepidauerunt enim tremore, vbi non erat timor: præsentia mala, quæ non sunt vera mala, sed quasi vmbra futurorum malorum, asperitatem scilicet claustri formidantes, & fugientes. Ipsi sunt vagi, & profugi, & ab ijs, qui eis occurrunt, dum discurrunt, delicijs, diuitijs, honoribus, occiduntur, dum inordinate ab eis talia concupiscuntur. Sic dicit Cain de se. Ero vagus, & profugus super terram, omnis igitur, qui inuenerit me occidet. Ipsi sunt sidera errantia, quibus caligo tenebrarum obseruata est in æternis.* Hæc, & alia habet ad intentum nostrum author iste, quę cap. sequenti placuit referre. Guillerm. Peraldus

16 Ex Dacriano Abbate, iuri Bibliothecæ Patribus adiuncto, breui compendio rem totam quam intendimus claudente, hæc elicio. *Si cum sæcularibus esse gaudes, si extra monasterium per vicos, & vrbes euagari desideras, monachus non es.* Similia verba in speculo monachorum Ludouici Blosij reperio. Vnde vel idem est author cum Dacriano, vel vnus ex alio mutuauit sententias. Quidquid dixeris inuenies sanè, ex horum authorum mente, monachum deambulatorem, crebroque inter sæculi turbas commorantem, monachum non esse. Dacriā. in spec. mon. 5. to. Bib.

Claudat

17 Claudat agmen celebris Abbas Trithemius, qui præcedentium Patrum mentem assequutus, graphicè sanè quid de vagis monachis nobis sentiendum sit, hisce verbis describit. *Monachorum est mundum fugere, & hominum turbas amore solitudinis, omni tempore declinare. A solitudine monachus dicitur, sicut ab vnitate vnus nominatur. Monachus esse non potest, qui frequentiam sectatur populorum; & qui delectatur in vrbibus monasticam nedum gustauit dulcedinem: qui monachus es: cœnobij solitudinem sine causa rationabili non debes deserere. Quisquis amat vagos in vrbe discursus, conscientiam suam deseruit, & qui frequens est extra monasterium, puritatem interni profectus non custodit.* Hæc Trithemius, quibus nostrum intentum satis expositum liquido constat.

Trithom 12 démo.

18 Ex his autem planè conuincitur, non modo hos Patres acriter, monachos vagos, clausuramque monasterii spernentes, reprehendere; sed eam esse huius reprehensionis causam, quod extra cellam, monasteriique septa egressi monachi, plurium criminum occasiones concipiant: è contra, cellæ, claustrorumque tectis protecti, & suæ professionis cultores, & omnium virtutum fructus colligentes euadant. Nec obscurè id in Prouerbiis Salomon dixit. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum.* Ac si diceret: Aues è nido auolantes. *Nunc visco eas fallere, nunc retibus, aut laqueis captare contendimus,* (sic loquitur D. Ambrosius:) pariter virum (tu lege monachum) è loco sui cœnobij egressum, vitiorum retia comprehendunt.

prou 27

Amb mer c. 18

Prou. 7

Quod exprimit idem Salomon, dum mulier illa, *garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos* depingitur: ea enim *ornatu meretricio, & garrula* describitur. Hoc autem adeo verum est, vt teste Antiocho monacho inter Bibliothecarios adducto. *Monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem refert.* Celebris quoque est ad intentum Beati Nili, qui Chrysostomi fuit discipulus, sententia. *Imperforabilis manet à sagittis inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini crebra suscipiet vulnera.* Moyses quoque Abbas etiam inter Bibliothecæ Patres relatus, non minus piam ad intentum protulit sententiam. *Homo* (inquit) *fugiens hominem similis est vuæ maturæ, qui autem cum hominibus conuersatur, sicut vua acerba est.* Ac si diceret ad intentum: Monachus extra Monasteria, cellęque clausuram conuersans, nihil non acerbum, insipidum,

Antioch hom. 26

Nil. in apoth. 8

Moisi. ibid

Moisi. ibid

ſipidum, & iniucundum facere poteſt.

19. Ad idem Sancta Abbatiſſa Sincletices dixiſſe fertur, teſte Helinando apud Ioannem Nider tit. 2. cap. 17. *Sicut gallina deſerens nidum ſuum, facit oua ſua ſine pullis exire, ſic monachus, vel virgo de loco ad locū tranſiens frigeſcit, & mortificatur.* Sanctus quoque Benedictus, 4. cap. ſuæ regulæ, enumeratis his, quæ pertinent ad monachi perfectionem, ſubdit. *Officina vbi hæc omnia operemur, clauſtra ſunt monaſterij, & ſtabilitas in congregatione.* Proculdubio indicans extra cellæ reclusionem regulæ obſeruantiam prorſus perire. Io. Nider S. Ben. c. 4

20 Quænam verò ſpecialia vitia monachus clauſuram crebro egrediens ſæpius contrahat, etſi plurium Patrum teſtimonia, quæ adduximus diſerte pronuncient; clariora tamen forſan in medium producam. Deuotus Thomas Campenſis in dialogo nouitiorum, ſic habet ad intentum. *Niſi monachus fugiat, & recedat à ſocietate mundana, incendetur celeriter igne carnalis cōcupiſcentiæ, & inquinabitur pice lubricalis vitæ, diſcurrendo per mortifera itinera gulæ, luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, & inuidiæ, velut equus effrenis ſine timore, & tanquam inſenſatus ſine ratione.* Vnde ibidem tale conſilium monacho egreſſuro è cœnobij clauſura præbet. *Oportet quod valde fortis ſit, & bene fundatus in virtutibus, atque in omni actione, & locutione incedat circumſpectus, qui fructificare debet in populo, & abſque periculo conſcientiæ conuerſari in ſæculo.* Clarius tamen brenius, & ſuccinctius S. Thomas de Villa noua, vitia, quæ monachi extra cœnobium contrahant, ſic expreſſit. *Monachum, vel religioſum extra cœnobium ducit Satan, vt ſic per plateas vagantem, libidine inficiat, curioſitate ſaucit, ambitione inſiet, curis ſæcularibus diſturbet, & à deuotionis feruore diſtrahendo tepefaciat, & infrigidet.* Ecce mala ex inepta vagatione religioſis prouenientia à Thoma graphicè deſcripta. Tho. Cāp. in dial. nouit c. 4 idē ibidē D. Th. de Villa nou. Cōc. 2. in 1. domin. Quadrag.

Spiritum quoque puriſſimæ orationis, qualem in regularis diſciplinæ alumnis tota veneranda Patrum corona deſiderat, ab his euagatoribus Monachis neceſſario abeſſe Nicolaus Gallicus in ſua illa *Ignea Sagitta, cap. 8.* contra quoſdam quos ibi carpit, ſic expreſſit. *Vos autem Ciuitatum habitatores, qui cellulas ſeparatas in domum communem redegiſtis, quid in ea ſanctæ occupationis gratia, aliis alios intuentibus, ſpirituale tractatis? Quæ hora in lege Domini meditamini, & in orationibus vigilatis? Non ne vanitas, quam de die vagando, diſcurrendo, videtis, et auditis, dicitis,* Nicolaus Gallicus

dicitis, ac facitis, vestræ de nocte occurrit memoriæ? Eam cogitationibus illicitis, & immundis occupatis, vt in nullo, præter quam in ipsis distractus animus valeat meditari. O quam felices essetis, si quilibet vestrum posset cum Propheta verbo veraci dicere Saluatori: Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est; *& iterum.* Ab omni via mala prohibui pedes meos

21 Ad hæc præter opera virtutum, sancta exercitia, honestissimaque munia, quæ regularibus ex obseruanti cellæ, claustrique clausura ex mente Patrum, quos adduximus, obueniunt, hoc vnum insuper, maximumque bonum, commodumque ipsis contingit, vt scilicet virtutis, vitæ compositæ, indolisque honestissimæ signum, & indicium maximum sit, posse secum in quiete cellæ, claustrique clausura crebro commorari. Docet id magnus Basilius in suis constitutionibus, sic inquiens. *Sedata animi, & requieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum.*

D. Bas. in const. c. 8 Aut apud D. Ber. de vita sol. & D. Bon. 3 Phar. c. 6

Habet id etiam author apud Bernardum in opusculo de vita solitaria. *Celam* (inquit) *pati, secumque commorari, in proficiente bonæ compositionis initium est, & certum bonæ spei argumentū.* Subscribit Bonauentura in suo opusculo de pharetra, Senecæ proloquium approbans, dicentis. *Primum argumentum compositæ vitæ existimo, posse conflere, & secum morari* Porro, quæ ethnicus Seneca ad intentum nostrum dicit, placuit transcribere:

Sene ep. 2 ea enim doctrinæ plena sunt. *Bonam* (inquit) *spem de te concipio; non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris, ægri animi ista iactatio est. Primum argumentum compositæ mentis existimo, secum posse consistere, ac secum commorari.* Rursus hæc subiunxit satis etiam ad intentum. *Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non prodest cibus, nec corpori accedit.*

Idem *qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quā remediorum crebra mutatio. Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit.* Veritatem quoque istam olfeciſe videtur monachus ille, de quo S. Ephrem Syrus hæc refert in Apothegmatibus. *Frater quidam*

S. Ephr. in apoth. c. 11 *dum de exeundo cœnobio impugnaretur, cum is sanctum habitum accepisset, adducebant ei cogitationes exemplum eiusmodi. Considera horti olera, & vide, quod nisi ex areola plantas extraxerit, qui hunc excolit, alioque loco inseruerit, in altum non excrescent. Frater ergo cogitationi responsum dabat tale. Verumtamen, quæ*

euelluntur

euelluntur, non ita sunt in tuto, vt ea, quæ in loco remanent. Esto igitur, & tu vnus ex ijs, qui non euelluntur. Atque ita cooperante gratia vincebat tentationem. Tu ergo pie, bone, sancteq; religiose, si sapis, hoc tibi vsurpa consilium, cellæque clausura contentus, & vitia eradicare, seminare virtutes, bonæque indolis, & honestatis specimen præstare poteris.

22 Nec possum non miraculosum euentum à D. Gregorio relatum, de monacho quodam vago, mobilitati, inconstantiæque dedito, in hoc capite referre, vt, vel sic, si qui sunt inquieti religiosi, cellæ, clausturique clausura, libentius se contineant. Casum, visionem, seu miraculum sic refert D. Gregorius in dialogis. *Quidam monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei (videlicet S. Benedictus) assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur innueret, quadã die idem venerabilis Pater, nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit, vt discederet. Qui mox, vt monasterium exijt, contra se assistere, aperto ore, draconem in itinere inuenit: cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet; cœpit ipse tremens, & palpitans, magnis vocibus clamare dicens: Succurrite, succurrite; quia draco iste deuorare me vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, sed trementem, atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, nunquam se esse à monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit.* D.Greg. dial. 2.5

O quoties, bone Deus, draco iste, Diabolus scilicet, vagis regularibus occurrit, eosque spiritualiter deuorare, & ad inferorum viscera trudere cupit. Adaperiat Dominus omnium nostrum oculos, vt illum conspicere possimus, & sanctorum monachorum, tam nostri, quàm antiqui sæculi vestigiis innixi, claustri septa, cellæque clausuram omnes teneamus. Memores vtinam celebris illius antiquorum Patrum sententiæ. *Quando intrabat Moyses in nube, cum Deo loquebatur; quando autem exibat de nube, cum populo sic, & monachus, quando in cella sua est, cum Deo loquitur, egrediens autem de cella, cum Dæmonibus est.* In vitiis Patr. l. 6

23 Deo instruimur, exemplo cuiusdam monachi, qui curandę infirmitatis causa monasterium egressus est: qui spiritu fornicationis actus, fœminam, quæ illi infirmo ministrauerat, vitiauit. Quod & ante egressum è cœnobio illi prædixerat abbas Moyses.

Marc. Ma. Testatur casum Marcus Marulus in suo opusculo lib. 4. cap. 3.
Sev. Sulp. Quod ipsum narrat Seuerus Sulpitius dial. 1. accidisse alij monacho à Diabolo arrepto, eo, quod sub prætextu saluandi cognatos monasterium deserebat. Vtinam his terreamur; & clausuræ cellæ amatores effecti, egressum è monasterijs formidemus. Idem quoque intentum cap. sequenti confirmabimus.

Prosequitur idem intentum de nimia euagatione Regularium extra cœnobia cuitanda.

CAP. VIII.

1 TAnti ponderis, & momenti obseruantia de regulariũ decenti clausura apud me habetur, vt plus cæteris in hac causa laborandum censeam. Hoc ipsum ex Patribus didici, qui dum reformationem, rectamue institutionem monachorum intendunt, totis viribus huic obseruantiæ inhærent. Plura testimonia præcedenti capite congessi, restant tamen alia, quæ eo præcipuè tendunt, vt nullam causam, excusationemue pro religiosis nimis vagis, admittant. Quo magis ipsi vitium recognoscant, & negligentes inuenti corrigantur, ad rectumque tramitem religiosæ clausuræ reuocari possint. Id fiet, dum aliquot excusationis causæ ab imperfectis religiosis adductæ discutiantur, qualiterque à Patribus religiosæ perfectionis antesignanis æstimentur, in medium producam.

2 Prætendunt primò deambulatores isti regulares (si qui iam sunt) hanc irreligiosam euagationem licere, vt sibi victum, alimenta, corporisque necessaria comparent; non enim alio modo sæcularium frigida corda ad eleemosynas elargiendas emolliri (inquiunt) posse, nisi cum illis crebra, continuaque communicatio habeatur; ad quam necesse est cellę, claustrique clausuram sæpius derelinquere. Sed bone Deus! quantum isti errant, & quam longè à veritate distant, dum victum, cæteraque corporis adiumenta ex irreligiosa vitæ ratione sibi mendicare volunt! Satius illis foret, si hæc, & alia, ex rectè composita monastica vita sibi subsumerent. Ignoro prorsus quantum apud istos valeat illud
Matth. 6. Christi Domini. *Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut*

mus, aut quid bibemus, aut quomodo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Quę verba adeò expressè nostrum comprobant intentum, vt expositione non egeant. Vnde Laurentius Iustinianus ex hoc loco intulit intentum, monachos monens, quod iuxta promissionem Christi, quærentes primum regnum Dei, & iustitiam eius soliciti non sint circa corporis necessaria. *Nam quemadmodum* (inquit) *est liberalis promissor, aquè est fidelissimus redditor: fiet iuxta ipsius sponsionem, si tamen verbis illius adhibeatis fidem.* Innuens Laurentius corporeas monachorum necessitates, potius per regularem obseruantiam, quam per irreligiosam vitæ rationem, mederi posse. Idem mihi sonat celebris illa Lactantij sententia. *Religio, & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem.* Ac si apertius diceret, religiosis, potius regulari obseruantia, & timore Dei, quam magna solicitudine victualia quærere, conuenire. Ad idem quoque intentum S. Ephrem Syrus hæc habet. *Quid nobis, & sæculo? Quid nobis, & negotiationibus huius vitæ, qui mortui sumus mundo?* Subiungit postea imperfectorum monachorum excusationē, de alimento quærendo. *At de alimentis fit sermo?* Cui respondet. *Minus ad carnis ministerium sufficiunt, maximè adiuuante nos Domino.* Ac si diceret, corporeas monachi necessitates, potius manuum labore, & quod magis est, speciali Dei prouidentia, veris religiosis promissa, quam vitiosa euagatione extra cœnobia comparandas esse. Optimè quoque Cassianus expendit, monachos istos, qui sub prætextu alimenta quærendi, nimium extra claustra euagantur, neque apud sæculares ipsos, inter quos obambulant, honestè incedere posse, aut inhonestos non apparere. Cassiani en verba. *Nunquam potest, neque apud eos quidem qui sæculi homines sunt, honestè incedere, qui nequaquam claustris cellæ inhærere contentus est. Sed necesse est eum inhoneste esse, dum necessaria victus requirit.* Vt vel hinc videant religiosi, vagam deambulationem extra cœnobia, etiam ad victum necessarium quærendum, inutilem esse.

D. Laurē Iust. de obed. c. 19

Lactā. de hac. 12.

S. Eph. Parænes. 44.

Cassiā. de Spi. acce li. 10. c. 7

3 Ex Patribus quoque recentioribus idem intentum confirmare libet. Ex quibus D. Bonauentura, experientia doctus, testatur, ex inhonesta regularium deambulatione, non solum ad eleemosynas illis faciendas sæculares non induci, sed potius ad odium erga ipsos excitari. Ergo in epistola quadam ad Prouin-

ciales sui Ordinis transmissa, in qua de causis relaxationis religionum loquitur, hæc dicit. *Occurrit euagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum grauando eos, per quos trahuntur, non exempla posse relinquunt vitæ, sed scandala potius animarum. Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes adeo abhorrent fratrum occursum, vt eis timeant, quasi prædonibus obuiare.* D.Bonau.

Vnde inferius strictè præcepit ijsdem Prouincialibus. *Vt vagantes compescant ad quietem, & importunè petentibus imponant silentium.* Intelligebat sanè S. hic Pater victum, alimentumue necessarium, nullatenus ex nimia vagatione fratrum, sed potius ex honesta clausura procurari: cum potius vaga monachorum deambulatio exosos, & molestos secularibus, quam amabiles reddat.

Vnde venerabilis Thomas de Campis ad nostrum intentum hæc habet. *Vagus, & otiosus religiosus, qui otiosè circuit, donis cœlestibus indignus efficitur, & alijs est molestus.* Optima certè compensatio pro inquieta deambulatione; vt donis cœlestibus priuetur religiosus, & secularibus molestiam pariat. Quare hoc vnum religiosis mentibus inhærere debet, vt Deo toto corde inhærentes, reformationem sui ordinis sectentur, hinc que putent sibi à Deo necessaria corporis prouenire. Vnde testatur Ioannes Nider. *Vidi, & expertus sum, quotiescumque reformabantur monasteria virorum, aut fœminarum nostris temporibus, semper quam ante se in temporalibus melius habuisse: Non ergo trepidet timore, vbi non est timor bi, qui deformato verè renunciant sæculo.* Optimè quoque nostri sæculi decus S. Teresa, modum, quo religiosi se gerere debeant circa corporis victum, alimentumque quærendum, præscribit; affirmans, non industria humana, sed recta in Deum intentione, obseruantia scilicet regulari Ordinis, metiendum esse. Sic enim habet ad moniales. *I amas por artificios humanos pretendais sustentares, que morireis de hambre, y con raçon. Los ojos en vuestro esposo, que ellos ha de sustentar. Contento el, aunque no quieran, osdaran de comer los menos vuestro deuotos.* Hæc si attenderent regulares omnes, simulque illud psalmi. *Non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, facilè sibi persuasum haberent, victum, alimenta, corporisque necessaria non per inutilem, ineptamque euagationem extra cœnobia; sed per clausuram honestam, sanctæque religionis obseruantiam, sibi paranda esse. Ac proinde futilem excusationē irreligiosæ euagationis, ex hoc capite desumi.

Cāpis de valle lili. c.18

Io. Nider tit. 1 de lapsu rel. c.12

S. Teresa in lib. de via perfe. c. 2.

Psal.33

Alij

4 Alij secundò forsan eam ob causam sibi egressum quotidianum à monasterijs licere contendent, quod circa pietatis, charitatisue, aut etiam misericordiæ officia exerceri se extra cœnobia dicant. Quid verò de istis sentiendum sit, quidue illis non raro contingat, quam friuolaque sit istorum excusatio, non semel, sed sæpius depingit B. Thomas de Villanoua, de sæculo nostro, & monastica disciplina optimè meritus. In concione secunda de Dominica prima Quadragesimæ, sic habet. *Religiosum, & honestum monachum, sub charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendum, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda, extra cœnobium ducit Satan; vt sic per plateas vagantem, libidine inficiat, curiositate fauciet, ambitione inflet; curis sæcularibus distorqueat, & à deuotionis feruore distrahendo, tepefaciat, & infrigidet.* Deinde in concione de D. Nicolao, improbos aliquos, quos arbores siluestres, filiosque huius sæculi vocat, commemorans, sic inquit. *Tales sunt religiosi negociatores, qui deserentes claustrum, silentium, & chorum, & cætera, quæ statuisuo principaliter conueniunt, tota die per vicos, & plateas negocijs quibusdam pietatis (vt ipsi dicunt) implicantur. Quæ vtique opera, & si alijs bona essent, sibi tamen minimè conueniunt.* Præterea in concione prima de S. Dorothea sui propositi non oblitus, sic loquitur. *Videas monachos claustro relicto, in media ciuitate vagantes, aliorum negocijs libenter implicari: alios pauperibus alendis, alios viduis visitandi, alios populis erudiendis, alios amicitijs reconciliandis, non sine grauissimo lampadis propriæ detrimento, indiscretè incumbere, suamque dispersionem charitatis zelo palliare.* De his tamen quid sentiat subiungit. *Non est hæc charitas, sed grandis stoliditas; propriæ vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, vt alienas accendant: seipsos damnationi exponere, vt alios saluos faciant.* Et inferius. *Si accedat mandatum Prælati, vt alijs copiam faciat, confidenter obediat.* Quæ omnia si coniungas, elicies sanè monacho non licere, etiam sub prætextu pietatis, charitatisque operum, monasteria crebro exire, nisi in casu speciali, Prælatique obedientia vrgente. Alioquin excusatio inutilis putatur à viro Sanctissimo, antistiteque celeberrimo.

P. Tho. de Villanou. cont. 2. Dom. 1. Quadrag.

Idem in concione de D. Nic

Idem in concione de S. Dõi.

Ibidem.

5 Idem quoque intentum ex Patribus antiquioribus confirmare libet, vt inde videant deambulantes, vagique religiosi futilem eorum esse excusationem, si sub prætextu charitatis proximorum suas cellas, cœnobiaque relinquant. Ergo S. Ephrem

Syrus

Syrus in tractatu de monacho, & turture, postquam vagam monachorum inconstantiam de vno loco ad alium properantiũ damnauit, sic adstruit. *Neque prætexueritis ô monachi, errore ducti, mandata, & beneficia, curam senum, & hospitalitatem: non enim ab Angelis talia requirit Deus, sed tantumodo vt sẽper laudetur, & honorificetur ab ipsis.* Ac si diceret, nullatenùs sub prætextu piorum operum cellæ quietem ammittatis, cum muneris vestri potius sit in illa laudare Dominum, quam externis aliis operibus incumbere. Addidem D. Hieronymus ecclesiæ lumen, dum Paulinum instruit, Episcopi opus esse saluti aliorum prospicere; monachorum verò non nisi cœnobii claustra sectari. *Si officium* (inquit) *vis exercere Presbyteri, si episcopatus te, vel opus, vel honos fortè delectat, viue in vrbibus, & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris monachus, idest solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Egregiè sanè frigidam religiosorum retundit excusationem, qui sub prætextu salutis aliorum, propriam spernunt salutem, propriam quoque dimittendo cellam, claustrique septa. Hinc Cassianus, antiquorum monachorum mores describens, spiritu acediæ agitari docet tales religiosos, qui cellularum claustra deserentes, pia opera erga sæculares prætendunt. Sic verò loquitur graui, & eleganti stylo de hoc monachorum vitio. *Honestas, ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesque infirmorum, vel è minus, vel longius positorum. Quædam etiam pia, ac religiosa dictat officia, illos, vel illas parentes debere inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari. Illam religiosam, deuotamque Deo fœminam, omni præsertim parentum præsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à proprijs parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari. Magisque o. ortere in his operam pietatis impendi, quam infructuose, & sine vllu profectu in cellula residere.* Hæc Cassiani verba adeò vera sunt, vt se ipsis prodant vitium, & defectum illorum regularium, qui sub prætextu similium bonorum operum, cellæ quietem; clausuramque spernunt; vt, vel hinc tales agnoscant, non charitatis calore, sed acediæ stimulis agitari superfluos discursus, visitationesque intendentes. Hinc etiam Anthiocus monachus in homiliis, quæ in Patrum Bibliotheca habentur, ea referens, ob quorum suggestũ monachi monasteria egredi solent, illud affert.

S. Ephrẽ de mona. & turture

D Hiero. in ep. ad Paulin.

Cassi de spi. aced. l. 10. c. 2.

Quod

Quod id fiat ob publicam vtilitatem procurandam, aut certè infirmos, vt interuisant. Abs dubiè indicans sæpè sæpius excusationem hanc diaboli suggestu prouenire: ac perinde reiiciendam esse à monachis sui instituti zelatoribus. Anth. 2 to Biblio. hom. 26.

6 Porrò quantum sibi damnum monachiſmi professores asciſcãt, ſub falſo prætextu charitatis, pietatiſue cœnobiiclauſtra deſerentes, apotiſſimum exemplum ex Vitis Patrum ab Vmberto relatum, & in apothegmatibus 8. tom. bibliothecæ adductum, ſatis declarat. *Cum tres facti fuiſſent monachi, elegit vnus litigantes ad pacem reducere; alter infirmis ſeruire, tertius quieſcere in ſolitudine. Primus autem tædio victus venit ad ſecundum, & conferens cum eodem de ſtatu ſuo, inuenit, & ipſum præ tædio deficientem, & concordantes venerunt ad tertium narrantes ei tribulationes ſuas, & quærentes quid ipſe profeciſſet, & implens ſcyphum cum aqua turbata dixit eis: Reſpicite. Et reſpicientes in aqua nihil viderunt. Tunc poſuit ſcyphum, & dimiſit aquam quieſcere, & cum quieuiſſet, dixit eis: Reſpicite. Et tunc reſpicientes viderunt vultus ſuos. Et dixit: ſic eſt, qui eſt in medio horum, præ turba non videt peccata ſua, cum autem quieuerit in ſolitudine, cognoſcit illa.* Exemplum hoc manifeſtè ſatis exponit, quietem conſcientiæ, ſui cognitionem, & alia huiuſmodi bona impediri maximè ſi monachi clauſtra egrediantur, etiam ſub vmbra charitatis, vel pietatis. Quod intellige, ceſſante obligatione præcepti, aut obedientia ſuperioris. Vmb. l 2 de modo Predic. c. 23. 8. to. biblio. in apotheg. l. 2. de quiete.

7 Libet etiam exemplum aliud proferre, de monacho peregrinationis cauſa pia loca viſitante, monaſteriumque, cui erat addictus, relinquente. Caſum per hæc verba refert Ioannes Nider Dominicanus ex Gaufrido ſuper Apocalypſim, & Vincentio in ſuo ſpeculo hiſtoriali. *Honorabilis quidam Ioannes nomine ſacerdos Eccleſiæ Lugdunenſis, propoſitum concepit Ordinem Ciſtercienſem in monaſterio regulariſſimo intrare: mutato autem propoſito in eius recompenſam limina S. Iacobi viſitauit. A quibus domum propriam rediens fatigatus ex itinere in cubiculo obdormiuit. Cui Chriſtus cum Apoſtolo Petro, & Iacobo apparuit. Petro autem librum tenenti Chriſtus iubet, vt aperiat. Erat autem ſcriptus aureis literis nomina prædeſtinatorum continens. Et cum Petrus legeret nomina plura, & ad Ioannem veniret prædictum, dicit Chriſtus. Tolle, tolle, dele eum, dele: quia meum futurum promiſerat, & reſiliit à promiſſo. Accedens autem Iacobus orabat. Domine, meus eſt peregrinus, ne de-* Io Nid de fruct. reli. tra. 3. c. 12

leas

leas, eum obsecro. Cui Dominus: Meus (inquit) non peregrinus: sed ciuis esse debuerat. Nonne maius est ciuem meum esse, quam tuum peregrinum? Et iterum Iacobus. Ne quæso pijssims, eum deleas, obsecro, fide iubeo pro eo, quod propositum exequetur. Et Dominus: Quando? Cui Iacobus, infra quindecim dierum spatium. Et tunc Ioannes euigilauit, & solotenus prostratus, pro fideiussione B. Iacobo gratias egit cum lachrymis dicens. Faciam prorsus B. Iacobe, quod me spopondisti. Post fletum igitur iterũ obdormiens vidit Christum, & præfatos Apostolos, ac Petrum ad Christi iussum de libro legentem ita. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Iterum euigilans ante dies promissionis mox monasterium bonæ vallis intrauit. Vbi primus Abbas effectus, & post Ecclesiæ Valeriæ Antistes, in vita, & morte, multis coruscans miraculis. Ex quo casu, diuinaque visione liquidò manifestum fiet, plus Deo placere religiosum loci sui septa tenentem, quam peregrè abeuntem, deuotionis etiam causa, dummodo præceptum superioris absit. Ac proinde admittendam non esse excusationem foras exeundi religiosis, qui sub ementito prætextu charitatis, pietatis, aut religionis etiam, cœnobij sui claustra deserunt.

8 Alij forsan tertiò sunt, qui ex eo licentiosam sibi exeundi extra cœnobia, permittendam esse facultatem, velint, quod inuisendorum, consolandorumue parentum, fratrum, aut consanguineorum, causa, exeant. Sed hanc excusationem reiiciendam esse, & quid de illa sentiendum D. Basilius, sic instruit. *Illud etiam tenendum est, vt nequaquam quouis prætextu, visendorum, conueniendorumque fratrum crebrò è monasterio velimus egredi. Siquidem diabolicum istud quoque commentum est, quando huiusmodi artificio vti aduersarius solet, ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemue religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo nos, voluptatum illecebris illectos, varijs, ijsque instabilibus cogitationibus facere obnoxios, studet.* Concinnè satis hic depingit Basilius futilem excusationem hanc esse, & à Satana in cor monachi immissam, vt eum voluptatum illecebris obnoxium reddat. Rursus alibi, easdem visitationes consanguineorum damnans, sic addit. *Nam supra hoc, quod illis nullam vtilitatem exhibemus, insuper, & nostram vitam tumultibus, & turbatione replemus, & peccatorum occasiones attrahimus.* Alibi quoque sic. *Eoque promouet, vt habitum religionis, tantum instar statuæ circumferamus, illi nullo pacto virtutum studio*

D. Basi. in constitut. mon. c. 8

Idem q. fusis disp. 32. Idem in const. mõ. c. 21

studio correspondentes. Alio quoque loco, sic admonet monachum de huiusmodi visitationibus consanguineorum. *Si mortuus es cum Christo à cognatis tuis secundum carnem, quid rursus inter ipsos conuersari cupis? Si verò quæ destruxisti propter Christum, rursum ædificat propter cognatos tuos, transgressorem te ipsum constituis. Ne igitur ob cognatorum tuorum necessitatem recesseris à loco tuo, nam discedens è loco, fortassis ex aquo discedes à moribus tuis.* Basilij mentem assecutus videtur Hieronymus, qui in regula collecta per Lupum, sic habet. *Quanti monachorum, dum patris, matrisque miserentur, suas animas perdiderunt.* Quibus verbis mors spiritualis monachorum, egressui è monasterijs propter patrem, aut matrem tribuitur. Quod expositisse videtur Isidorus, dum de summo bono scriptum reliquit. *Multi monachorum amore parentum, non solum terrenis curis, sed etiam forensibus iurgijs, inuoluti sunt, & pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.* Benè ergo, consultè satis, lepideque nimis, sanctus ille Franciscanus monachus Aegidius, cuidam volenti fieri religiosus dixit. *Vade ergo prius, & occide omnes cognatos tuos.* Ac si diceret, si propter illorum curam mors tibi spiritualis imminet, satius tibi erit, eos spiritualiter, per obliuionem scilicet, interficere, quam ab illis, misere occidi. Ad quod meo videri, non incongruè affertur illud Deuteron. 33. sic dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Hoc intellige spiritualiter, & mysticè de monachis.

In ep. ad Chiſonē.

D. Hier. in reg.

D. Isid. de sum. bon. l. 1.

Hist. San. Fran. p. 1.

Deut. 33.

9 Extat circa hoc memorabile Machetis Abbatis factum, qui postquam quindecim iam annos in solitudine exegisset, & ad eum patris, matris, amicorumque literæ ex Ponti Prouincia delatæ essent, eas non modo non lectas, sed ne resignatas quidem, ne vel inani eum gaudio lætarent, vel infructuosa tristitia afficerent, igni statim comburendas tradidit. *Ite*, inquiens, *inanes cogitationes patriæ, pariter concrememini; ne me ulterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.* Legatur Cassianus lib. 5. cap. 32.

Cassianus.

10 Quis verò credat dulcissuum Bernardum, in hoc puncto sterilem fore, qui in omni negotio spirituali, secundum se præbet? Ergo sermone quodam hæc habet, circa expositionem verborum Christi: *Quid mihi, & tibi mulier?* Bernardum attendite. *Vt quid ergo fratres, vt quid sic respondeat? Vt igne propter nos,*

D. Bern. ser. 2 de mut. aqu. in vin.

vt conuersos ad Dominum iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illum non impediant exercitium spirituale. Quandiu enim de mundo sumus, debitores non esse conflat parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus. Quod, & confirmat exemplo cuiusdam eremitæ, propinquitatis huiusmodi iura etiam infraterna necessitate denegantis. *Vnde* (inquit) *legimus fratrem quendam in eremo conuersantem, cum ad eum carnalis frater, auxilij gratia aduentaret, respondisse, vt adiret alterum fratrem eorum, cum ille vtique iam obijsset. Cumque admiratus, qui venerat, responderet, quia ille obijt; eremita se quoque obijsse respondit.* Concludit ergo Bernardus. *Optimè ergo nos docuit Dominus ne soliciti simus super propinquos carnis nostræ, plusquam religio postulat, quando ipse matri, & tali matri respondit: Quid mihi, & tibi mulier, &c.* Ecce Bernardum clarè docentem religionem propinquis præponendam esse. Ac proinde, clausuræ amorem maiori pretio apud regulares habendum, quam inordinatum parentum, & aliorum affinium affectum.

Idem.

11 Si verò Patres isthæc de monachis egredientibus extra cœnobium, propter parentum, vel consanguineorum aliquala commoda dixerunt, quid sperabamus dicturos de illis, qui suimet solam consolationem carnalem quærentes, domos propinquorum visitare contendunt? De his audiatur Ioannes Trithemius monachus, & ipse de monachorum perfectione benemeritus. Homilia quadam sic loquitur ad intentum. *Qui domos parentum circuit, & epulis delectatur proximorum se non considerat monachum. Qui dormit in domo cognati sui, quærit solatia: & qui declinat religiosorum conuentus, pernicioſam sequitur libertatem. Monachus in domo patris, & matris, quasi agnus in medio luporum, & quasi lepus qui venatorum circumdatus est canibus. Si monachus es, si Dei seruus, & miles, quid facis in domo parentum?* Grauia sanè verba, & à religioso quouis ruminanda, nedum amorem parentum, cognatorumque sectatur, propriæ professioni, & statui vale dicat. Vnde sanctimonialibus, religiosisque fœminis, quæ cognatorum communicationem auidius solent appetere, hæc intimat Hieronymus Sauaronola Dominicanus in opusculo de tribus votis. *Abeant hæ, quæ huiusmodi sunt ad legendum Sanctorum Patrum vitas, & reperient, quod nec filius propriam matrem, nec frater sororem, nec soror fratrem videre volebant. Dicente Saluatore: Non veni pacem mittere,*

Tritem. hom. 12 de mon.

Sauaron. in opusc. de trib. vot. c. 3.

mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suum, & inimici hominis domestici eius. Tandemque Magdalenam quandam Comitem Mirandolanam, habitum Monialis susципere volentem, sic admonet. *Itaque charissima in Christo Iesu filia, statim vt intraueris religionem, debes relinquere omnes tuos existentes foris; itaut non solum nolis eos amplius videre, sed nec illorum recordari. Dicit enim Pater æternus, Audi filia, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Hęc ergo omnia sibi dicta putent religiosi omnes, & domum patris obliuiscentes, solum Patrem, qui in cælis est, cellæ ambitu quærant. Nec sub prætextu, parentes, vel consanguineos inuisendi, claustri tecta deserenda esse, vllatenus proponant.

12 Quartò præterea, forsan alii religiosi erunt, qui ex eo nimiam euagationem, & egressum extra conuentus sibi licere putent, vt cordis anxietati, tristitiæque medeantur. Iis tamen ex diametro opponitur Cassianus collat. 24. cap. 5. cuius titulus, & intentum sic se habet. *Quod euagatione corporis, grauetur magis, quam releuetur cordis anxietas.* Vnde inter alia verba illius capitis hæc sunt maximè notanda. *Hi ergo, qui nec dum possunt, vel norunt voluntatem suarum instigationibus reluctari, cum intra cellam fuerint anxiati; si progrediendi sæpius libertatem, sibi remissa districtionis lege, concesserint: acriorem aduersus se pestem, hoc vt putant, remedio, suscitabunt. Sicut gelidissimæ aquæ hausta vim internarum febrium, quidam reflringere se posse credunt, cum vtique accendi ex hoc ignem illum conflet, potius quam sedari; siquidem momentaneam illam à leuationem multo grauior consequetur afflictio.* Ecce quomodo nullum leuamen, ex inordinata egressione extra cœnobia regulares accipiant, ex mente Cassiani, nec etiam cogitationum tumultibus, vitiorumque adumbrationibus, aliisque animi anxietatibus, medeatur monachus foras progrediendo. *Si enim* (Sancti Ephrem Syri verbis vtor) *Dum in nostra residemus, atque quiescimus cella, vitiorum cogitationibus, rerumque adumbrationibus obsistere nequimus, quomodo non magis, faciliusque capiemur, si in alienigenarum manubias nos ipsos coniecerimus?* Inepta ergo, prorsusque insipida excusatio monachorum est, dum ob animi torporem vitandum, egressum è cœnobiis prætendunt. Ad idem Bernardus, seu author sermonis ad fratres de monte Dei. *Qui animi ægritudi-*

Cassianus

Ephrem parænes. 44

Bern. ad fratr. de mont Dei Senec.ep. 28: Socrates.

nem contendit expellere de loco in locum procedendo, quasi qui vmbram suam contendit euadere fugiendo. Optimè quoque Seneca. *Licet vastum traieceris mare, licet, vt Virgilius, terræque, vrbesque recedant, sequuntur te quocunque perueneris vitia.* Et Socrates à Seneca relatus. *Quid miraris nihil tibi prodesse peregrinationes, cum te circumferas? Premit te eadem causa, quæ expulit.* Vnde merito hæc omnia monachis vagis (si qui sūt) tædii auferendi, seu mitigandi causa, dicere possumus. Cum enim huiusmodi tædium, animiue tristitia, ex propria immortificata voluntate ortum ducat, abs dubiè ex vago circuitu, inquietaque deambulatione medelam non accipit; sed augmentum, vt ex Cassiani verbis adductis innotescit.

D. Basil. in cōst. mon. c. 8

13 Ast tandem rationibus istis conuictus, quis dicat, cum monachi clausuræ votum, non emiserint, non est cur ad illam obseruandam astringantur. Sed certe aliud est quotidiana, circumuagaque deambulatio monachorum, aliud verò honesta, prudens, regulataque egressio è monasterio. Primum prohibet ratio, abhorrent Patres, nosque in præsenti detestamur? Secundum vero, vtpote rationi consentaneum, nedum damnare; sed potius approbare volumus, verbis D. Basilii fidentes. *Neque vero tamen propterea perpetuo est tanquam in custodia permanendum: sed quandocunque, & res poscit, & conscientia non reprehendit, libere est, fidenterque prodeundum.* Ecce monache, non tibi perpetua cellulæ clausura præcipitur; *Sed quandocunque res poscit, & conscientia non reprehendit.* Res tamen, nunquam quotidianam, & continuam tibi egressionem poscit; nec conscientia, si recta est, hoc tibi vnquam approbare potuit. Vt verò, quando res poscat, & conscientia non reprehendat, scias, regulam tibi viuam præscribo, legem scilicet, seu superioris voluntatem, qui tibi tempus egrediendi designabit. Sed proh dolor! quia vt testatur S. Ephrem Syrus: *Sunt nonnulli, qui prætextu obedientiæ, propriam quoque perficere concupiscentiam quærunt, secundum hominem veterem.* His similis eris, ò religiosè, si necessitatem mentitam prælato proposueris, si ab illo importunis precibus licentiam exeundi obtinueris, si ipse ob tui superbiam, iram, animumque rebellem, talem tibi facultatem inuitus concesserit. Satius tibi erit, si honestissima, vrgentissimaque causa non vrgente, cellæ clausura contentus viuas, te solo, in Domino gaudens; Senecam auscultans dicentem. *Audeo te tibi credere. Vide quid de te sperem: non inuenio, cum quo malim te esse,*

S. Ephrem paræn. 44.

Senec. ep 10. ad Luci.

quam

quam tecum. Vel saltem sanctorum religiosorum, cum quibus commoraris societate gaudeas, nullam aliam expetere velis; Xenophontem audiens affirmantem. *In periculis fouet spem bonorum societas*. Xenobhō. in lib. de Cyro.

14 Si verò necessitas exeundi, præceptum Superioris, vel aliqua vrgens causa, monachum è cella extractum, per vicos, & plateas ciuitatis, aliquandiu ambulare cogat; tunc ex Patribus antiquis, grauissimorumque religiosorum, huius etiam nostri sæculi, exemplo, modum excipiat. Basilium audiat ista loquentem. *Si ita contigerit te iuxta circunflantiam negotiorum aliquando è cella proficisci, armatus pectore timore Dei, & inserta in manu charitate Christi, deuictisque per omnem continentiam, voluptatum incursibus, statim necessitate expleta, resili*. Ecce modum, ecce normam è Basilio. Vel audiat Petrum Damianum in suo apologetico, sic loquentem. *Si occasionis articulus accidat, vt egrediendi necessitas imminere videatur, non mox ad vagandum se leuiter proruat, non ad sæculi vanitatem affixus, mundo animus concalescat: sed morosè, & grauiter intra se deliberet dicens: Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos?* Si placet tandem Esaiæ Abbatis inter bibliothecæ Patres numerati tom. 2. orat. 3. consilium accipiat. *Si in ciuitatem, aut vicum processeris, oculi tui deorsum aspiciant, ne boues tibi in cella suscites*. Multa ad hoc intentum legi in Nazianzeno oratione de pace. Multa quoque in aliis facile obuia sunt. Solum addam ex Basilio adducto, quo animo quoque affectu, ac iucunditate, religiosus reditum ad conuentum expetere debeat. *Velocibus* (inquit) *alis vtere ad reditum, velut innocens quædam columba ad aream, quæ te emisit, transfugiens. Sicque persuadens tuis cogitatibus, contingere tibi non posse in vllo alio loco salutarem requiem*. Hæc faciendo, religiose sancte, vives; dicens cum Hieronymo. *Viderint quid alij sentiant. Vnusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est*. D. Basil. ser. 2. exercit. Pet. Dam de cōtep. sæcu. c. 22 Esai. Abb. Nazianz. orat. 1. de pace Basi. vt su. D. Hierō. ep. ad Ru.

15 Tandem in hoc capite illud adiungam, quod scilicet, vna ex præcipuis causis, quare religiosus, nimiam euagationem fugere debeat; ea sit, quod incauta, indecens, vagaque monachorum deambulatio inter sæculares vilipendium, contemptumque monachismi generet.

16 Nec circa hoc curo de improborum hominum sensu, qui omnia in malignitatem vertunt, qualis fuit Erasmus, qui teste

Alberto

Albertus Pius l. 5. de mon.

Alberto Pio, lib. 5. de monachis eos accusabat, inquiens: *Vndique offendi, eorum aliquos in vehiculis, aliquos, in nauibus, in vijs, &c.* Quia vt ipse Albertus dicit. *Id efficit, tum eorum multitudo, tum munus illis iniunctum, non quippe prorsus, secedendo ab hominibus, vitamque tantummodo contemplatiuam ducendo, quemadmodum monachi incolæ deserti primo instituti sunt, sed etiam partim ad actiuam, & ad ea munia peragenda, quæ ad populi procurandum salutem pertinent.* Erasmo ergo, & similis farinæ nebulonibus prætermissis, pios rectes aduocabo, qui causam nostram tueantur.

Cantic. D. Ber. in ser. par.

17. Habet id Bernardus in paruis sermonibus. Exponens namque illud Canticorum: *Dentes tui sicut grex tonsarum*, per *Dentes* religiosos intelligit, ex eo inter alia, quod risus, & contemptus sint signa cum videntur. Sic vero loquitur. *Dentes clausi sunt, ne videantur: sic, & nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum, quia nihil turpius, quam monachus per vrbes, & castella discurrens.* Ecce risum, & contemptum religiosi status, ex nimia monachorum deambulatione.

Rusbr. in tabernac. fœd. c. 123

Habet idem piissimus Rusbrochius per hæc verba. *Alij fratres hinc, inde, obambulant; alij visitatum eunt filios suos, seu filias spirituales, quod vtilitatis quidem, aut parum, aut nihil habet; sæpe verò etiam dedecus ingens, ac ignominiam parit.* Habet id etiam commune proloquium. *Nimia consuetudo parit cõtemptũ.* Si enim sæculares, religiosos omnes passim, & singulis momentis cernant, eos mundo nondum mortuos, sed viuentes probant: sicquæ facilè aspernantur, quos solo habitu à se dissitos conspiciunt. Huiuscemodi autem causam optimè tradidit Trithemius

Trith. ho. 12. de mo nach.

hæc dicens. *Tot monachorum sunt iudices, quot inspectores adesse videntur. Omnium oculi sæcularium in monachos suspiciunt. & sanctitatem, quam illos audiunt professos, in operibus exquirunt. Plus offendit monachus in vno temerario verbo, quam homo sæculo deditus in decem millibus. Quantumlibet enim leuis, & scurrilis homo videatur mundanus, monachorum tamen insolentiam aquanimiter tolerare non didicit: quoniam omnes clausirales, non quales sint, sed quales esse deberent, rustica simplicitate credit. Vnde malum verbum, aut factum, apud illos, monacho ad damnationem ascribitur, quod mundano homini ad veniam imputatur. Nec immeritò.* Cum igitur religiosi, omnes famæ, & honoris integerrimi zelatores esse debeant: *Prouidentes* (vt inquit

inquit Paulus) *bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*; qualiter inter sæcularium choreas, vrbium strepitus, oppidorumque concursum, bene se habebunt? *Omnis vita* (inquit Augustinus, vel auctor nomen eius ostentans) *religionis professa, integritatis debet famam sentire, ne quem expectat corona virtutis, pudoris damno feriat.* Pigeat ergo sanctum probumque regularem, suæ saluti, bonæ famæ, authoritatique religiosæ derogare, claustra monasterii, sine vrgentissima causa egrediendo. Auctor l. de bono ditcipl.

16 Libet vltimo in calce huius capitis, Guillelmi de Peraldo verba in tractatu de professione monastica, transcribere. Ea enim aliquot mala continent, quibus religiosi vagi irretiri solent. *Stella de cælo cadit, cum monachus cælestem conuersationem deserens ad sæculum redit. Abel, egressus in agrum occisus est: sic claustralis innocens, cum à claustro in mundum regreditur, morte culpæ occiditur. Coruus cum ab arca regressus est, ad illam non est reuersus; cadaueribus enim est illectus: sic aliquando monachus de monasterio egrediens, & per mundum discurrens, amore carnalium delitiarum, capitur, & retinetur. Egressa Dina filia Iacob curiosè, vt videret mulieres regionis illius, rapta est, & corrupta. Dina ratione sexus infirma, significat claustralem mente infirmum, qui de claustro egrediens, dum mundi concupiscibilia curiosè considerat, amore eorum, rapitur, & corrumpitur. Semei, dum mansit in Ierusalem, vixit; postquam verò exijt de Ierusalem ad requirendum seruos suos, occisus est: sic monachus, qui dum esset simplex claustralis, & in claustro remaneret, vita gratiæ vixit; postquam verò administrationem, quam ambierat, obtinuit, occasione eius per mundum discurrens, mortem culpæ incurrit. Piscis extra aquam positus moritur: sic monachus extra claustrum moram faciens, facilè corrumpitur.* Vtinam hæc legant, perlegant religiosi omnes, & amore cellæ, clausuræque regularis affecti, extra monasterium occasiones peccandi non quærant. Guillelm. de Peral.

Et sciant casu quo euagandum quandoque è monasterio sit non indiscriminatim omnibus, sed peritioribus, & moribus probatioribus id potiori iure competere posse. Prout noster ille Nicolaus Gallicus *cap. 7. suæ Sagittæ Igneæ* iam relatæ sic expressit. *Ecce Dominus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, cum Religionum multitudinem in horto militantis Ecclesiæ plantare vellet, alios cum Maria in solitudine, alios cum Martha in ciuitate proinde collocauit. Viros quoque scientia præditos, in* Nicolaus Gallicus.

scripturarum studiosè sententijs occupatos, ac moribus sufficienter dotatus, in ciuitate constituit, vt populo verbi sui sollicite pabulum ministrarent. Simpliciores verò, cum quibus esset secreta eius sermocinatio, ad solitudinem transmitti disposuit cum prophetâ, qui dixit. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Nimiâ cum sæcularibus communicatio religionum obseruantiæ nocet.

CAP. IX.

1 EA quæ superioribus capitibus diximus, de regulari clausura religiosorum tenenda, vanaque euagatione extra cœnobia vitanda, eo tendunt vt in scopum, & finem; vt nimiam cum sæcularibus necessitudinem, communionemue regularibus interdicant. Si enim Patres, alijque doctores, & sancti, tanto animi conatu, monachis extra monasterium deambulationem vetant, ideo faciunt, vt nimiam illis familiaritatem, & coniunctionem cum sæcularibus prohibeant. Certe, si vrbes, & oppida hominibus vacua forent, quasi eremi essent: vnde nequaquam ad eo accessum Patres precluderent. Cum verò contra sæcularibus, improbisque hominibus plena sint; non mirum, quod adeo anxiè, & obnixè, monachis clausuram, claustrique obseruantiam præcipiant. Cuncta ergo, quæ duobus capitibus præce dentibus allata fuere, præsenti deseruiunt instituto: specialiora tamen alia in medium prodncamus, more nostro Patres in testes vocando.

2 Adest primus S. Hieronymus, qui sæpè sæpius sæcularium hominum consortia religiosis hominibus interdicit. Pauca subiungam. Ad Paulinum sic loquitur. *Obsecro itaque te, vt quoniam sanctæ sororis tuæ ligatus es vinculo, & non penitus expedito pergis gradu, siue hic, siue ibi, multitudines hominum, & officia, & salutationes, & conuiuia velut i quasdam catenas fugias voluptatum.* Et infra clarius. *Sæcularium, & maximè potentum consortium deuita. Quid tibi necesse ea videre crebrius, quorum contemptu monachus esse cæpisti?* Item ad Rusticum, sic admonet monachos

D. Hierō. ep. ad Pau

monachos. *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Hæc, & alia ex Hieronymo obuia sunt legenti. Idē in ep. ad Rustic

Secundus est Sanctus Nilus *in Ascetico* contra monachos negociatores, sic inuehens. *Nos vero carissimi, qui studio virtutis incitati, vitæ, mundique cupiditatibus renunciauimus, nobisque Christum sequendum proposuimus, quid rursum sæculi negocijs implicamur? Cur quæ bene destruximus reædificamus? Cur ea, quæ non decet, exercentes, malis consilijs vtimur, & vanitatum studio animos infirmiorum incendimus, & simplicioribus viam ad auaritiam patefacimus?* S. Nilus

3 Audiatur Bernardus, ex quo innumera ad intentum elici valent, pauca tamen seiungam, alijs ad alium locum remissis. Ergo homilia 4. super missus est, sic sentit de communicatione monachorum cum sæcularibus. *Video alios, quod non sine dolore, videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negocijs, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores, sub prætextu quoque communis vtilitatis, verba vendere diuitibus, & matronis salutationes.* Rursum quoque. *Ita ne mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerant: modo circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias, principūque familiaritates assecuti sunt?* Ecce quam finistrè sentiat Bernardus de monachorum communicatione cum sæcularibus. Idem quoque Pater, monialem quandam, quæ volebat congregationem deserere, forsan, vt sæcularium communionem admitteret, sic admonet de periculo. *Agnosco filia, agnosco, vtinam, & tu mecum agnoscas serpentis virus fraudolenti dolum, versipellis astutiam, si sola ouicula vmbras penetras, præda vis esse lupo. Sed audi me filia, noli te seperare à grege: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Hæc, & alia D. Beruardus. Ber ho. 4. sup. miss. Idem ad monialē.

Potuerunt hi Patres in hac doctrina antiquiorem Hilarium sequi *in psalm.* 118. sic loquentem: *In cælestem scientiam eruditus es, quid tibi cum terrenis operibus, & gestis? Auis effectus es, cur non in elemento naturæ tuæ moraris? Volucres enim cæli nuncupantur. Non iniustè ergo illis in possessione terrenæ habitationis insidiæ sunt. Sæculo renunciasti: quid tibi cum sæculi rebus? quid quæris captus in sæculo? quid quæris iniuriam laquei in regione non tua? Dic potius & vtere ipse tu voce Psalmista dicentis* S Hilar. in psal. 118.

ipſa; Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. *Natura auis eſt, vt non niſi cum volant, requieſcant. Tu autem iam factus es columba, volando requieſcis; ideſt, in cœleſtem te ſedem, & cognitionem à laqueis terrenis fidelis anima efferendo.* Hæc Hilarius aurea ſanè.

4 Petrus quoque Damianus Cardinalis Illuſtriſſimus, monachuſque celeberrimus ſic ſentit de nimia monachorum cum ſæcularibus familiaritate, in epiſtola quadam ad Abbatem, & monachos. *Errat, pater, errat, qui confidit ſe ſimul, & monachum eſſe, & curiæ deſeruire. Quam male mercatur, qui monachorum præſumit clauſtra deſerere, vt mundi valeat militiam baiulare. Vndis erutus ſanus eſt piſcis, non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat. Vocamur, attrahimur, ſed vt viuamus alijs, moriamur nobis. Amat venator ceruum, ſed vt ſibi faciat cibum perſequitur capras, lepuſculos inſectatur, ſed vt ipſe bene ſit, illa nihil ſint. Amant homines, & nos, ſed non nobis: ſibimet diligunt, in ſua nos vertere delicias concupiſcunt. Quos nimirum dum proſequimur, quid aliud, quam monacho noſtro, qui latebat intrinſecus, repudium damus. Mox enim ad ſummam tendentis vitæ ſtatus euertitur, rigor eneruatur diſciplinæ, atque ſilent ij cenſuræ diſſoluitur. Et ad effluendum quidquid libido ſugeſſerit, ora laxantur.* Vet. Dam l. 2. ep. 17.

Lepidè ſatis depingit Damianus qualiter mors ſpiritualis monachorum ex nimia cum extraneis communione procedat, ſimulq. quam neceſſarium ſit talem communionem deteſtari.

5 Adſtat, & Seraphicus Doctor Bonauentura, qui, vt bonus monachorum pater, monachis ipſis, quantum poteſt fieri: ſæcularium, extraneorumque conſortia vetat. Primò enim in epiſtola quadam ad miniſtros Prouinciales directa præcipit illis, vt religioſos, *familiaritates ſæcularium querentes arceant ad ſolitudinem*. Quia vt inquit, *inter cauſas, tur ſplendor Ordinis obſcuratur, Ordo exterius inficitur, & nitor conſcientiarum interius deformatur, occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula prohibet; ex quo ſuſpiciones, infamationes, & ſcandala plurima oriuntur*. Satis inſinuans, quam prauè ſentiendum ſit de nimia regularium cum ſæcularibus familiaritate. Inſuper in quæſtionibus ſuper regulam, inter ſigna perfectorum religioſorum illud ponit, *ſi à ſæcularium frequentia ſe ſubtrahant*. Rurſus alio loco inter cauſas diſformationis religionum, quibus (vt ipſe inquit) *ſtatus religionis deficit, vt non ſolum fiat deterior, ſed etiam quaſi deſperabilis, quod vix vnquam, niſi Deus ordinet aliter reformetur*,

D. Bonau. in ep. quadam.

Id. q. 18. in regul.

Idē q. 19

tur, ponit: *frequentiam interſæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & teporis, &c.* Clariora ſunt hæc, quam deſiderari poſſint. In ſoliloquiis verò ſic loquitur. *Grauis, & nimis periculoſa eſt mundana conuerſatio, quia ſecundum Bernardum periclitatur caſtitas in delitijs, humilitas in diuitijs, pietas in negocijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam ſæculo.* Et rurſus. *O anima debilis, & infirma, quæ tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad ſurgendum, an ignoras, quod ſicut difficile eſt arborem iuxta viam poſitam, fructus pulcherrimos, uſque ad maturitatem ſeruare; ſic difficile eſt hominem iuxta ſæculum viuentem, iuſtitiam immaculatam, uſque in finem conſeruare.* Hæc Bonauentura, pauca autem ex Chriſoſtomo mendicans, ex quibus, & aliis inferius adducendis, optimè noſcitur ſanctus hic Doctor, cauſæ, quam intendimus patronus. Idē in ſoliloq. c 2. Idem.

6 Venerabilis etiam Thomas de Campis doctrinę ſpiritualis præclarus magiſter, non ſemel, ſed ſæpius, conſortium cum ſæcularibus, religioſis interdicit. In dialogo nouitiorum, nouitium quendam monachum, circa veram religionis obſeruantiam inſtruens, hæc habet. *Ad cautionem tuam animaduerte, quæ dico, ſi non vis decipi in via Domini, ſi intendis proficere, & in bono perſeuerare, fuge conſortia hominum ſæcularium, caue occaſiones tentationum, vt non videas, nec audiás, quæ mundi ſunt; ne corpore aſſociatus eis, etiam mente inquineris.* Et infra, ſalubertimam regulam tradit, quæ ſi religioſorum omnium animis inſita eſſet, ad perfectionis apicem omnes euolarent. *Fuge, tace, quieſce, abſcondere, elongare, ama neſciri, diſce mori, luge præterita, ſperne præſentia, meditare futura. Hæc breuis regula maneat in memoria tua, & docebit te vincere omnia terrena.* Inferius quoque ſic proximius ad intentum. *Noli affectare familiaritatem extraneorum, qui habitum geris deuotorum, ſed per contemptum mundanorum, diſce ſcandere ad ſocietatem ciuium ſupernorum.* Alibi quoque ſic habet. *Quædam omninò fugere debes, vt fabulas leues, & ſæculi rumores, homines ſæculares, mulierum allocutiones, iuuenum familiaritates, amicorum viſitationes, hoſpitum ſalutationes, quia iſta diſtrahunt mentem, & maculant conſcientiam, & qui talibus delectatur ab internis bonis minoratur.* Rurſus in dialogo nouitiorum, ſic nouitium monachum monet. *Relinque notos, & amicos, parentes, & uicinos, ut Chriſtum inuenias, & Angelorum ſocius poſtmodum fias.* Hæc, & alia Th. Cāp. in dial. no uit. c. 4. Idem ibid. Idem ibid. Idem l. 1 de diſcipl clauſt. c. 5. Id. in dial. nouit.

pius hic auctor ad intentum noſtrum, clarè ſatis dixit.

7 Accedit grauiſſimus Abbas Tritemius de ſtatu monachorum optimè meritus, ſic monachum docens de communicatione cum extraneis. *Amicitiam ſæcularem hominum verus Chriſti monachus non quærit, nec amat, ſed deſpicit. Qui autem familiaritatem diſſimilium multiplicat, paulatim decidet à propoſito ſanctitatis. Maledictus homo claudicalis, qui ponit in hominibus confidentiam ſuam, & receſſit à Domino cor eius. Non quæras amicitias hominum, ſed cura, ut inuiſibilium conſequaris conſortium Angelorum. non conueniunt monachos frequentes amicitiæ mortalium, per quas, & vigor mentis diſſoluitur, & uariæ occupationes ingeruntur.* Hæc in Trithemio inuenire potui ad noſtrum propoſitum.

Trith. hõ. 12. demõ.

8 Libet præterea diuinam reuelationem, noſtri temporis profetiſſæ Beatæ Tereſiæ, ſuper hoc intentum à Deo factam, referre. Anno igitur 1579. in Veſperis Pentecoſtes, dum maximũ ſibi à Deo collatum beneficium recoleret, in ſpiritu ſuſpenſa, à Deo audire meruit modum, & formam, qua nouiter ab ipſa inſtituta familia Patrum diſcalceatorum, magis in dies creſceret. Modus verò à Deo præſcriptus, ſanctæque Virgini intimatus, quatuor continebat documenta. Ex quibus tertium illud erat. *Quod parum cum ſæcularibus agerent, & hoc propter bonum ipſorum animarum.* Verba Sanctæ Tereſiæ ipſius ſubſcriptione roborata, hiſpanè, ſunt hæc. *Que tratаſen poco con ſeglares, y eſtopara bien de ſus almas.* Video documentum iſtud experientia comprobatum. Patres enim diſcalceati, tantæ Virginis proles, hoc, & aliis adiumentis inter Eccleſiæ religiones, ſic lucent, vt pluribus aliis, ſanctitatis, & perfectionis monaſticæ, exempla præbeant. Reuelationem autem iſtam cælitus immiſſam fuiſſe, confirmat ſimilis alia facta magno illi Arſenio, qui in palatio Imperatorum exiſtens, audiuit hanc vocem. *Arſeni fuge homines, & ſaluaberis.* Factus verò monachus hanc audiuit. *Arſeni, fuge, tace, quieſce: hæc enim non peccandi radices ſunt.* Referunt hoc inter plures Hieronymus, vel, vt alii volunt Pelagius Diaconus in apothegmatibus Sanctorum. Ex vtraque autem viſione infertur intentum noſtrum, quod ſcilicet nimia communicatio cum ſæcularibus, & extraneis, maximum nocumentum religioſis omnibus afferat.

S. Tereſia in eius vit

Arſenius Autor A. pothegm.

9 Ad id quoque deſeruiunt, quæ alii Patres circa parentum, fratrum, conſanguineorumque conſortium vitandum religioſis intimarunt.

intimarunt. Ex quo, ea, quæ diximus magis roborata, firmaque manebunt. Si enim eos, quos sanguis, naturalisque ratio coniungit, habitus regularis separat; multò magis extraneos alios monachalis perfectio abhorrebit. Porrò quædam Patrum testimonia circa rem præsentem de familiaritate, etiam cum consanguineis, monachis vitanda, capite præcedenti adduximus. Alia modo adiungam, S. Ephrem Syrus ad monachum hæc habet: *Admone parentes, atque consanguineos tuos carnales, ne te frequentent, dum enim illi coram te de tuis loquuntur, distrahunt mentis in te officium: simul uero te etiam incontinentem, sua doctrina, uel exemplo reddent. Verum satis est, semel, uel bis in anno ab ijs uisitari. Si porro inutilem illorum conuersationem penitus præscideris, melius ages.* Hæc Ephrem. D. quoque Isidorus præter adducta capite præcedenti, hæc etiam habet ad propositum. *Vir spiritualis ita prodesse debet suæ propinquitati, ut dum illis gratiam carnis præstare studet; ipse à spirituali proposito nequaquam declinet.* Rursus. *Sicut nostra nobis non est odienda anima, sed eius carnales affectus odio habere debemus, ita nec parentes odio à nobis habendi sunt, sed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere nostro præpediunt.* Subiungit postea, mistice hoc designasse vaccas Philistinorum Dei arcã gestantes, quæ quamuis vitulos lactaneos haberent; recto tamen tramite, neque ad dexteram, nec sinistram declinantes, Bethsames peruenerunt. *Nam sicut illæ* (inquit Isidorus) *pignorum affectibus à recto itinere minimè digressæ sunt, ita, & uir sanctus mundo renuncians, parentelæ obtentu, non debet à bono impediri proposito.* Pulchrè etiam, vt solet D. Bernardus, qualiter monachus circa patrem, & matrem se gerere debeat, sic ostendit. *Sit monachus quasi Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia: nec patrem sibi uocet super terram. Imo sic se existimet, quasi ipse sit solus, & Deus.* Bernardi quoque mentem sebibisse visus est Bonauentura, sic loquens. *Extra cognatos ergo quisque, ac proximos, debet fieri; si uult parenti omnium uerius iungi.* Inferius quoque ex Chrisostomo de compunctione cordis, approbat istud dilemma. *Dico tibi monache quid quæris matrem? aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est gaudet, quia seruis Domino. Si peccatrix, dimitte illam; quia mortua est.* Si dicas peccatrix est, & volo illam conuertere. Contra te habes deuotissimum Thomam Campensem sic. *Quidam sub specie pietatis, inducti sunt ad conuertendos amicos, & cognatos; & dum inter illos morari non timuerunt,*

Ephrem in doct. var. c. 53

Isid. 3. ser. c. 21

Idem:

1 Reg. 6 Idem.

D. Bern. in spe. mon.

Bonau. 3 phar. c. 27

Chrisost. relat à Foha.

Th. Cãp. in dialog. nou. c. 4.

timuerunt, inimici fraude circumuenti, ſuum propoſitum infregerunt. Manet ergo ex his Patribus, vt firma, inconcuſſaque veritas, ſic religioſos deditos ſore fugæ ſæcularium, vt etiam parentes, & propinquos, niſi maxima vrgeat neceſſitas, vitare teneantur.

10 Fauent etiam huic noſtro propoſito de nimia cum ſæcularibus communione religioſis vitanda, quæ alii Patres de monachis dixerunt. Eos namque ſic à ſæculi rebus abſtractos volunt, vt mundo mortuos exiſtiment. Sic, vt ſemper monachi ſæcularibus dicere poſſint Euangelicum illud: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt.* Ad quod intentum optimè Baſilius hæc habet. *A propinquis autem, amicis, parentibuſue, animi affectione, nos tam longè oportet eſſe diſiunctos, quam longè eos, qui iam ſunt vita defuncti, à viuis videmus diſtare.* Et rurſus. *Qui enim verè ſe mundo crucifixerit, is mundo; & omnibus, quæ in mundo ſunt, mortuus eſt.* Clarius S. Ephrem Syrus Baſilio coniunctiſſimus, ſic monachos monet. *Quid nobis, & ſæculo, qui mortui ſumus mundo?* Subſeruit optimè Abbatis Apollo celebris illa hiſtoria, ad fratremque ſuum reſponſio, quam his verbis refert Caſſianus. *Cum ad eam germanus ſuus intempeſta nocte veniſſet, implorans, vt de monaſterio ſuo pauliſper egreſſus, ad euellendum bouem, quem cæno plauſtri eminus inhærere, flebiliter quærebatur, ei eſſet auxilio; quia eum nequaquam ſolus poſſet eruere. Abbas Apollo pertinaciter obſecranti: Cur, ait, iuniorem fratrem noſtrum, quem præteriens propiorem, quam me, habueras, non rogaſti? Cumque ille, eum, mortem olim ſepulti fratris oblitum, & ex nimia continentiæ, ac ſolitudinis inquietate, velut impotem mentis, exiſtimans, reſpondiſſet. Quemadmodum poteram, de ſepulchro eum, qui ante annos quindecim obijt, inuocare? Abbas Apollo: ignoras ergo ait, me quoque ante annos viginti, huic mundo fuiſſe defunctum, nullaque iam poſſe de huius cellæ ſepulchro, quæ ad præſentis vitæ pertineant ſtatum, tibi conferre ſolatia?* Hæc ſanctus hic Abbas ſatis oſtendens, religioſum, poſt profeſſionem ſæculo, ſæcularibuſque hominibus, & negociis, conſanguineis etiam, defunctum fore: ac proinde nullam cum illis communionem, ſocietatemque habiturum.

Luc. 16
D. Baſil. in cõſt mon. c. 21

Ephrẽ parænes. 64
Caſsianus collat. 24. c. 9.

Illud tandem pro coronide adiungendum, pro huiuſmodi nimia cum ſæcularibus communicatione fugienda prudentiſſimè Magiſtros ſpirituales cauere ſolitos eſſe, ne religioſi perfectionis ſtudioſi vllis negociis ſæcularibus ſe implicent. Qua de re Iulius Nigronius

Iulius Nigroniꝰ.

Nigronius integrum tractatum ascēticum edidit; quo id late prosequitur ex iuris communis decretis, seu canonibus, conciliorum diffinitionibus, Religionum constitutionibus, ac Sanctorum Patrum testimoniis. Ex quibus aliqua proferre liceat. Primo Ambrosianum illud. *Etenim, is, qui Imperatori militat, à susceptionibus litium, actu negociorum forensium, venditione mercium, prohibetur humanis legibus; quantò magis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negotiationis abstinere debet?* Ac illud Hieronymi. *Procuratores, & dispensatores domorum alienarū, atque villarum, quomodò possunt esse clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates?* Item quæ Petrus Cluniacensis in epistola ad sanctum Bernardum obiecit. *Contra monasticī Ordinis instituta, causas seculares religiosi tractant; monachi causidici efficiuntur; accusant, & accusantur, testes fiunt, contra Apostolum iudicijs interfunt, atque sub prætextu iuris proprij tuendi, cordibus in Aegyptum reuertuntur.* Illa quoque sancti Thomæ Aquinatis præclara ex opusculo. *Aduersus impugnantes religiones, cap. 2.* vbi sic. *Qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit, quæ illi vitæ congruunt; & qui viuere incipit aliquæ vitæ, illa opera tunc fiunt illi maximè conuenientia, quæ illi vitæ competunt. Vnde Dionysius, cap. 2. Eccl. hierarchiæ ostendit, quod ante baptismum, per quem homo diuinam vitam accipit, non potest exercere diuinas operationes: quia sicut ipse dicit, oportet primum existere, deinde operari. Sed religiosus per votum religionis, sæculo moritur, Deo viuens; ergo per hoc, quod religiosus est, interdicuntur sibi operationes seculares, sicut mercationes, & alia negocia secularia, non autem actiones diuinæ, quæ scilicet hominem in Deo viuentem requirunt.* Item pulchra illa D. Bonauenturæ in suo speculo disciplinæ: *De mundanis sæcularium negocijs expendendis, religiosus temerariè non se debet intromittere.* Et: *Non est militantis Deo, se iterum occasione propinquorum, vel amicorum sæcularibus implicare negocijs, quæ mundo moriens abdicauit. Impius est, qui animæ suæ, pro parentibus suis est crudelis.*

Ambros.

Hieron.

Petr. Cluniacensis.

S. Thom.

Bonauent

11 Ex his autem sanctorum Patrum dictis, factisque relatis, hoc vnum facilè intelligi datur: videlicet eam ob causam, congressum, communionemue cum extraneis, interdixisse monachis, quod ex illorum consortio, non nisi peccata, ansamque, & occasiones peccandi arriperent. Hoc ita, ex eorum testimoniis, comprobatum manet, vt testes alios non desiderem. Aliqua tamen

ad

ad intentum expendenda ſunt. Offert ſe primo Arſenii reſponſio. Interrogatus enim, cur tantoperè acceſſum hominum deuitaret; reſpondit. *Non poſſum cum Deo, & hominibus ſimul eſſe.* Capiton itidem interrogatus dixit. *Vereor ne ex hoc imbecillior ad ſuſtinendos inimici impetus reddar.* Vtrumque refert Marcus Marulus in opuſculo de religioſa viuendi inſtitutione. Id etiam profitetur Hieronymus, dum in epiſtola ad Paulinum dixit; *Multitudines hominum, & officia, & ſalutationes, & conuiuia, veluti quaſdam catenas fugias voluptatum.* D. quoque Baſilius mirè hoc monachorum damnum, ſic deſcribit. *Qui maiorem in modum ſæcularium hominum amicitia delectatur; eaque re aſſiduè cum illis eſſe in colloquijs cupit, is, ex frequenti cum illis ſermone, prauas eorum affectiones in animum facilè inſinuauerit; & mente rurſum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quam erat agreſſus inſtantia operis deſciſcet; & à ſe deinceps, proſcripta vitæ ſpiritualis ſtabilitate, quem ex animo effuderat vitæ prioris vomitum, reſorbebit: atque adeo tandem ſaucius concidet.* Eleganter ſanè magnus Baſilius rem totam peregit. Clarius id facit Caſſianus; loquens enim de monacho cum ſæcularibus cõuerſante, dicit: *Neceſſe eſt, eum inhoneſtum eſſe, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum ſectari, cauſarum, fabularumque occaſiones conquirere.* Concinit egregiè Sanctus ille Ioannes, Climacus vulgo vocatus, ſic loquens. *Qui poſt abrenunciationem eum ſæcularibus verſatur, ſiue iuxta illos commanet: prorſus aut in eoſdem laqueos incidet, aut cor in eiuſmodi cogitatione inquinabit: aut certè, ſinon coinquinatus fuerit, eos, qui inquinantur iudicans, atque condemnans, & ipſe inquinabitur.* Teſtatur idem D. Dionyſius Carthuſianorum decus in præfatione ſermonum de ſanctis ad Religioſos, dicens. *Quid olim fuit filijs Iſraël ruinæ occaſio, Idolatriæ cauſa, niſi cum Amorræis communio? Sic religioſis incitamentum multiplicis caſus eſt, cum ſæcularibus confabulatio, ſocietas, & mixtura.* Sequitur Thomas Campenſis iam adductus, qui conſortia hæc ſæcularium monet monachos fugere: *Quia diſtrahunt mentem, & maculant conſcientiam, & qui talibus delectatur ab internis bonis minoratur.* Inter omnes tamen hos Patres clarius adhuc habet noſtrum intentum B. Thomas de Villanoua: qui ex eo docet Diabolum curare monachum inter ſæculares verſari: *Vt libidine inficiat, curioſitate ſaucier, ambitione inflet, curis ſæcularibus.*

Arſenius Capiton.

Marul. in op. de rel. l. 3. c. 7.

Hier. vtſu Baſil. in cõſt. mon. c. 21

Caſſiã de ſpir aced. l. 10. c. 7.

Climac. grad. 3.

ribus disturbet; & à deuotionis feruore distrahendo, patefaciat; & infrigidet. Hæc B. Thomas.

Th. Villā. cōc. 2. in 1 Dominic. Quadrag.

Accedit grauissimus pro hac re testis Nicolaus Gallicus Ordinis nostri Præsul Generalis à quadringentis fermè annis, qui prospiciens eundem Ordinem, (etsi ex Pontificia dispensatione) Eremos, ac deserta loca Carmeli, Iordanis, Montis Neroi, & Terræ Sanctæ alia reliquisse, ac Vrbes, oppida, & villas, cū gentibus habitare cepisse, in enarrabilibus lachrymis ex monte Ennatrot, quod sibi desertum pro habitatione elegerat, eorum statum sic deplorat *cap.* 2. illius opusculi, quod de hac re conscripsit, *Ignea Sagitta* nūcupati. *Quis dabit capiti meo fontem lachrymarum? vt die, noctuque plorans, gemens, & suspirans, tuum contra eos exceitem plantatorem, qui te de terra solitudinis eradicantes fructifera, in terram salsuginis, & maliti a inhabitantium in ea miserabiliter transplantarunt. Recordare, & suspira, & suspirans recordare quam digna, & quam sancta eras in statu prisſino, ac in oculis omnium mirabilis, & famosa, dum Patres nostros Eremitas sanctissimos in loco pascuæ spiritualis optimè collocatos, super aquam refectionis mirabiliter educatos, nutritiuo non cessabas pabulo saginare. Nunc vero considera (quod considentem te in lachrymarum alueo forsan balneabit) quoniam talis facta es, vt filiorum tuorum, imo præuignorum peccatis exigentibus iam vniuersis, & singulis appareas onerosa. Propter hoc Hieremias planctum suum continuans te alloquitur dicens.* Filii tui inclyti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Consurge Iuda in nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini, leua ad eum manus tuas pro animabus parvulorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium platearum. Et infra *cap.* 5. sic ait. *Audite ergo Eremitæ ab Eremo nuncupati, qui in corde ciuitatis habitaculum elegistis, audite inquam; non quod ego, sed quod propheta protulit.* Vidi, *inquit*, iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, die, ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus. *O quam tuta, & secura existit mansio vestra, quæ tot excubijs vtique sollicitis tam interius, quam exterius, horis, momentis omnibus dignoscitur custodita. Ecce iniquitas super muros diligenter excubans, vt non sit in ea, qui se abscondat à calore eius.*

Nicolaus Gallicus

cuy

Ciuitatis habitatores ambiens circumcingit, vniuersos ſui ſigni charactere cupiens maculari. Sunt etiam, & alii iniquitatis ſatellites in medio, & in plateis Ciuitatis ſimiliter excubantes, quorum vocabula in generali exprimens Propheta contradictionem laborem, iniuſtitiam, vſuram, & dolum connumerat in hoc pſalmo. Sex audiſtis ciuitatis excubias à Propheta generaliter nominari, qui ad ſpecialia forſitan deſcendiſſet, niſi in infinitum vtique numerum proceſſiſſet. Animaduertite fratres quod manſionem veſtram ironicè tutam dixerim, cogitantes inter vos quot, & quales excubiæ, ſed & crudeles inſidiæ, vos in ciuitate ſemper, & vbique circumcingentes muniunt, aſſociant, & ſequuntur. Ecce quomodo in ciuitate circumuallati eſtis. Nunc autem vide quomodo in ſolitudine muro ſuo inexpugnabili circumcingens Dominus armis ſuæ potentiæ ab hoſtium inſidijs liberat, ac defendit. In ſolitudine cæleſtes excubiæ nobiſcum ſtant in acie, in ſolitudine noſtri concives ſuper muros ciuitatis veſtræ in Eremo fundatæ, cuſtodes conſtituti tota die, ac nocte fideliter excubantes, non taſcent nomen Domini collaudare. Ecce in ſecreto ſolitudinis veram ciuitatem, ideſt ciuium vnitatem feliciter obtinemus, & vos ita non contenti aliam cupientes indiuiſionem, quæritis deſtruere vnitatem. Hæc ille, ardentiori fortſan, quam par eſt, ſtylo, cum conſtet Regulares plures inter medias vrbes, cum magno fidelium commodo habitare, ſed eo fine dicta, vt ſuperfluam cum ſæcularibus familiaritatem veris Religioſis fugiendam eſſe demonſtraret.

12 Placuit tamen aliquot ſpecialiora crimina referre, quibus maximè expoſiti manent religioſi cum ſæcularibus familiaritatem nimiam, communionemue habentes. Occurrit primò, quòd eiſdem actibus publicis, ſpectaculis, ludis, hyſtrionicisque exercitiis, quibus ſæculares aſſiſtunt; occaſionem quoque, commoditatemque aſſiſtendi habeant regulares, ſi cum illis conuerſentur. Hæc verò omnia monachis detrimentum magnum afferre, tradidit Ephrem Syrus, ſic dicens. *Diabolicorum ſpectaculorum ſtrepitum, monache, fugito; quoniam in eo Dæmonum eſt deceptio* Hinc etiam, quod agitationibus taurorum (barbarico certè, & gentilico more conſuetis) contra decreta Pontificia, religioſi aſſiſtendi anſam, & occaſionem arripiant. Hinc præterea, quod comœdiis, mimis, ſaltibus, tripudiis, & aliis ſimilibus ludis ſcenicis, mulierumque prophanarum cantilenis, teſtes monachi adſtent, occaſio, anſaque conceditur. De hoc verò, quid

S Ephrem parænes. 1

quid Concilia astruant, Patres sentiant, piique Theologi, & Doctores doceant, longum esset recensere. Aliqua tamen subiungam. Hugo Victorinus hæc habet. *Qui foris spectacula sequuntur, &c. forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas submiserat.* In miscellaneis quoque lib. 1. tit. 198. sic habet. *Vtilius est audire basiliscum sibilantem, quam mulierem cantantem.* Rationem dederat dicens. *Facies enim mulieris sagitta est truculenta, infigit vulnus in animam, & venenum.* Thomas Campensis, sic. *Vanis ludis intenti, crucis Christi signo contrarij, & à sanctorum societate, moribus, & actibus sunt valde remoti. Qui quasi insani gaudent in varijs mundi spectaculis, in psalterijs, & citharis, in tubis, & organis, currunt, & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum bonum suum constituunt in ludis, & gaudijs præsentibus.* Hugo de anim. l. 1 c 4. Th Cāp. 3. p. ser ad nou. ser. 1

Postea autem, quid sentiendum sit de monachis hæc facientibus, vel qui facientibus assistunt, sic subiungit. *O quam longe sunt isti à summo bono, à Dulcedine Dei, à melodijs Angelorum, à semitis Iustorum, à sanctitate religiosorum, & à spirituali gaudio deuotorum. Veniet, veniet, cito mori super eos, antequam sciant, & cessabit omnis ludus, & cantus in domibus eorum.* Idem

Antiochus quoque monachus inter Bibliothecæ Patres relatus, sic habet ad intentum. *Assistere cantillantibus mulieribus, vix æque nobis incommodum aliud occurrit. Monasteria nomine ipso arcent nos, &c.* Manet ergo ex his Patribus compertum, monachis omnibus incommodum magnum afferre, huiusmodi ineptis ludis circunstantes adstare. Ac perinde nimiam cum sæcularibus communionem, vnde tale malum originem ducit, penitus fugiendam esse regularibus. Antioch. 2. t. bibho hem. 18.

13 Deinde ex hac superflua monachorum cum extraneis familiaritate, quis non cernit, vana, scurrilia, iocosa, mundanaque multa, mentem simplicis monachi haurire, quæ illum in oblivionem sui, Deique sæpe sæpius tradant? De hoc etiam Patres loquuntur. Dorotheus sic habet. *Assuescet, oculos non circumferre ad alienas, & vanas res; hoc enim labores omnes monasticos deperire facit.* S. Ephrem, dum de perfectione monachorum agit, hæc scribit. *Non ridiculis vacandum, non verborum multiplicitate gaudendum: non tropis, figurisque verborum frequentibus, non diuersis aspectibus, licet etiam voluptatem minimè suggerentibus, non etiam multiloquio gaudendum, etiam si adstantes re-* Doroth. serm. 21. S. Ephrē de perfe. monach.

Idem ibid *gent*. Rurſus in eodem libro ſic. *Ad verba otioſa noli relaxari, & ad narrationem inordinatas affectiones continentem ne conſederis. Multorum congreſſus oderis, quia confuſionem animi pariunt. Silentium ama, vt in te, magiſtri inſtar, ſit conſcientia. Fuge multiloquium, ne reddaris obliuioſus. Fuge conuiuia, ne fornicator, etiam ſine fœminis, euadas. Superfluas conuerſationes reÿce, ne iudex efficiaris iniquus.* Rurſum etiam. *Monachus conculcatus mundum, cum Chriſto familiariter agit: at rebus mundanis implicitus placere non poterit militiæ præfecto Chriſto.*

Item paulò I

D. quoque Benedictus occidentalium monachorum Pater, in

D.Bened. regula, ſic habet. *Scurrilitas vero, vel verba otioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum aperire os, non permittimus.* Hæc inter alia Patres ad noſtrum intentum.

14 Præterea ex hac nimia communicatione monachorum cum hominibus ſæcularibus, præſertim principibus, & magnatibus, hoc vnum aliud malum, ipſumq; intolerabile naſcitur; quod ſcilicet, monachi ipſi, ſæcularium moribus imbuti, eiſdem terrenis, & prophanis rebus caducis, ſuperfluiſque curis, & ſolicitudinibus diſtendantur, immenſum ſibi damnum, ſanctæque religioni inferentes. De hoc conquæritur S. Bernardus ſeruentiſſi-

D Bern. ſer. 16. in ca. mus zelator religioſæ profeſſionis his verbis. *Ex his, qui religioſè veſtiti, & religionem profeſſi ſunt, nonnunquam audiuimus aliquos reminiſci, & iactare impudentiſſimè mala ſua præterita, quæ v. g. aliquando, vel fortiter, gladiatorio, vel literario geſſere conflictu, ſeu aliud quid ſecundum quidem mundi vanitatem fauorabile, ſecundum verò animæ ſalutem, nociuum, perniciosum, damnoſum. Sæcularis adhuc animi indicium eſt hoc, & humilis habitus, qui geſtatur à talibus, non ſanctæ nouitatis eſt meritum. ſed priſcæ vetuſtatis operculum. Nonnulli talia, quaſi dolendo, & pœnitendo rememorant; ſed gloriam intentione captantes, commiſſa ſua non diluunt, ſed ſeipſos illudunt. Nam Deus non irridetur.* Hæc Bernardus. Hugo quoque Victorinus ſimilia crimina ex ſæcularium contagio monachis ſæpius adhærere, hiſce deſcribit. *Contingere quandoque ſolet, vt monachi, qui curias frequentant, cauſas audiant, iudicia perquirant, & ſi aliquando propriæ cauſæ neceſſitates occurrant, ad curiam ſeculariores recurrant. Nec tantum ſuas, ſed etiam alienas, defendunt cauſas, hoc amant, hoc frequentant; amant decreta conciliorum, non ſecreta myſteriorum. Decreta, non pſalmos ruminant, fiunt*

Hugo 2. de claust. c. 17

oratores;

oratores, in causis; rethoricis vtuntur coloribus. Laudari appetunt, quia pro multis loquuntur. Sed monachus multum loquens, multis displicet. Coniugia copulant illicita; licita quandoque dissoluunt. Quorum non nouerunt patres, atauos nominant; consanguinitatis ordinem narrant; hunc ex illo descendisse confirmãt. De incertis iudicant; testantur sæpissimè quod ignorant, &c.

Iustus 1. t. auct. biblioth.

Iustus quoque Abbas Cisterciensis in sermone ad monachos, qui habetur inter bibliothecæ opera, sic de similibus conquæritur. *Quæ curia, quod consilium, quodue colloquium est, cui monachus noster non interfit.*

15 Quid verò de huiusmodi assuetis monachis sentiant Patres, iam audiamus. D Hieronymus sic consulit Paulinum. *Sæcularium, & maximè potentum consortium deuita.* Glossa quædam à D Thoma relata, sic dicit *Rigida vita, & prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti, videlicet, adulantes.* Magnus Gregorius sic. *Nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere etiam aliquid, vacans laborat?* Amicus eius S. Isidorus Hispalensis hoc. *Qui simul, & terrenis parere curis, & diuinis exerceri studet, vtrumque complecti simul non valent: Nam duas curas pariter inesse pectori humano non posse; & duobus dominis seruiẽtem, vtrique placere, difficile esse, &c.* Et infra. *Nisi prius à secretioribus cordis expellatur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus iacet, nequaquam resurgit. Nam dum se per innumeras sæculi cogitationes spargit, ad considerationem sui, se nullatenus colligit.* Hugo Victorinus post relata, quæ adduximus supra, de monachis conquæstus, quod sæcularibus rebus inhærerent, subiungit postea. *Proh dolor, vbi vera religio? vbi perfectionis integritas? Vbi charitatis inuenitur fundamentum?* Digito indicans hæc omnia nullatenus stare posse, si monachus sæcularibus istis næniis deditus sit. Alibi quoque sic habet, contra curiales istos monachos. *Ordo curiæ, & ordo claustri diuersus est. Ibi sedes in insidijs cum diuitibus, in occultis, vt interficias innocentem: hic audis; Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, vt rapias pauperem, dum attrahis eum: Hic dicis: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hic laus inter innocentes manus. Ibi laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur: hic benedicitur*

D. Hiero. ad Paulin
D. Th. opusc. 19.
D. Greg. 5. mor. c. 6
Isid 3. sẽt. c. 21.
Hugo vt supra.
Ibid. c 16

benedicitur Deus. Si vis eſſe monachus curialis, laudas, quod non debes, defendis, quod non expedit, operaris, quod non licet, loqueris, quod non decet. Ecce monache, quanta tibi mala paraſti, ſi curialis es, aulicorumue numero cenſeris, ex mente grauiſſimi Hugonis. Hinc alter Hugo ſanctus, & Epiſcopus Lincolnienſis, (teſte Surio) cum inita pace inter Franciæ, & Angliæ reges, domum Aruerniam Carthuſiani inſtituti veniſſet, rogatus à monachis de pacis conciliatæ conditionibus reſpondit. *Rumores audire, & referre monachis non licet.* Factis, verbiſque docens, quantum religioſi omnes ab huiuſmodi ſæcularibus rebus aufugere debeant. Hinc etiam Doctor Angelicus S. Thomas in epiſtola ad monachum quemdam, ſic eum monet. *De verbis, & factis ſæcularium nullatenus te intromittas.* Seraphicus quoque Bonauentura eadem mutuatus hæc dixit. *De mundanis ſæcularium negocijs expediendis, religioſus temerariè non ſe debet intromittere.* Alibi quoque, cauſas recenſens, quare religiones in Eccleſia defecerint, inter eas refert multitudinem ſæcularium occupationum. *Quæ corda diſtrahit, affectum deuotionis extinguit, mores alterat, interius occaſiones vitiorum inducit, & ne de ſua correctione, efficaciter cogitent, ſemper noua impedimenta religioſis innectit. Donec tandem conſueſcant ſola exteriora cogitare, & obſcurato conſcientiæ oculo, etiam cum deſunt, occupationum cauſas impudenter quærere.* Optimè etiam Anthiochus monachus bibliothecæ Patribus inſertus. *Rerum alienarum ſatagere curioſius, & quæ ſuperuacanea ſunt, nec vllius frugis moliri, prorſus diſſentaneum videtur, nec conuenire ei, qui Deo contendit, quam maximè eſſe gratioſus.* Omnium tamen breuius, luculentius, & compendioſus Bernardus hæc expreſſit, dum de huiuſmodi externis, & impertinentibus occupationibus, fabulationibusque dixit. *Aurem implent, euacuant mentem.*

Sur. t. 6 in vita Hugonis.

D. Thom opuſc. 68. Bonau. in ſpecidiſc. 1. p.

Idẽ q 19. circa reg.

Anthioch 2. t biblio hom. 34.

D. Bern. ep. 351

De horum Religioſorum ſæcularibus negotiationibus, quid ſenſerit noſtra Magdalena de Pazzi, ex ipſius vita *cap.* 126. ſic habetur. *Similmente le fu moſtrato dal Signore vn'altro eſſaſi, che molto le diſpiaceuano quelle Religioſe, che continouamente ſtanno occupate in traffichi ſecolareſchi, onde ella piena di diſpirito, e di pietoſo ſdegno, diſſe queſte parole.* O queſti traffichi di coſe eſteriori, che hà la ſpoſa di Gesù, e che le tolgono il tempo, e'l modo di poter fare il ſuo vero traffico cõ Dio, piaccia, piaccia à Dio, che non le tolghino al fine la Diuina viſione; *E queſte parole minaccenoli le proferiua con tanta grauità, e maeſtà, che*

B. Magd de Pazzi.

metteua

metteua terrore, e ſpauento in chi l'vdiua.

16. Placuit tandem, quæ pius, & deuotus religioſus, recentior quidem, ſed doctrinæ grauitate venerabilis, circa has ineptas, curioſas, & ſuperfluas curas, & ſolicitudines religioſorum, dixit, huc transferre: pietatem namque ſimul cum veritate redolent. *Profectò indignum admodum eſt, & à vita ſpiritualium virorum alienum, religioſos curiosè verbis inquirere, quos aulicos rex ad aliquas dignitates promouerit, quos nobilium inſignibus affecerit, quos diuitijs auxerit. Indignum eſt tractare, qui ex ciuibus coniugium inierint, qui honoris cauſa, aut primarum ſedium obtentu, contenderint: qui in negotijs, aut magnum lucrum fecerint, aut partas antea opes amiſerint. Videas alios ſedere, & de bellis, de magnatum diſcordijs, de ludis publicis, de ſæculari ambitione, & de alijs huiuſmodi, ſine vlla circumſpectione tractare. Et, ſi non veſtes religioſas videas, ſed ſolos ſermones audias, eos non religioſos, ſed merè ſæculares putabis. Faciſſant à noſtris colloquijs, ò religioſi, tot vana, tot inutilia, tot à ſanctiſſimo noſtro ſtatu diſcrepantia. Et, ſi mundo mortui ſumus, & Deo viuimus, ea, quæ mundi ſunt, relinquamus, & quæ viros decent ſpirituales tractemus.* Alio quoque loco hæc etiam ſcripſit. *Si quærerent religioſi Charitatem, quæ à nobis ipſis incipere debet, non ſuſtinerent mundanorum vana colloquia, non lites ſæculares audirent, non nuptias, & carnalia connubia, ſed ſpiritualia conciliarent. Non admitterent eſſe principes principum, gubernatores populorum, patroni delinquentium, teſtamentorum executores, aduocati cauſarum, quia iſtas diſſenſiones non eflagitat charitas, ſed tædium cellæ, lectionis, & orationis.* Hæc velim religioſi attenderent, & qui huiuſmodi vanis rebus ſæcularium noſcuntur impliciti, penitus reſipiſcant, ſuique memores voti, & profeſſionis, cum Deo potius, Angelis. Diuiſque aliis in Cælo commorantibus, ſuam communicationem exerceant: non verò cum huius ſæculi hominibus, qui nihil niſi ſæculare in cor religioſorum ſeminare poterunt.

Aluarez de Paz de vit. ſpirit. t. 1. l. 5. c. 28

Idemto. 1. 2. c. 8.

17 Denique, ſi quod humanum, & neceſſarium ſæpius eſt regularibus, cum ſæculi hominibus communio, conſortiumue aliquod haberi debeat; neceſſe, vt cum illis ſic ſe geraut, vt, & ipſi ſæculares vtilitatem aliquam ſpiritualem percipiant; religioſi etiam commodum aliquod pro anima ſua reportent. Id docet Bernardus in ſpeculo monachorum. *Si cum ſæculari loquendum eſt, tunc maximè adhibeat cuſtodiam oris ſuo, vt nihil proferat,*

D. Bern. in ſpe. mõ Laur. luſt.

quod

quod non ædificet audientem. Sic in cunctis ſe habeat, vt ædificet uidentes, & nemo dubitet, cum uiderit eum, uel audierit, quin uerè ſit monachus. Optimè quoque Sanctus Laurentius Iuſti-
de diſcip. monaſt. conuerſa. c. 15 nianus, ſic habet ad intentum. *Studeant Chriſti ſerui, ſemper de rebus neceſſarijs, uel de animæ profectibus habere ſermonem. Maximam namque, & indeficientem loquendi materiã inuenient, ſi de miſeria præſentis uitæ, de periculis huius peregrinationis, de uarijs tentationum generibus, de diaboli fraudibus, de uitiorum deformitate, de uirtutum ornamentis, & meritis, de mortis ineuitabili neceſſitate, de pœnis inferni, de Regno Dei, & præmio paradiſi: frequẽtius verò de Dei ineffabili charitate, humano generi per Chriſtum, & in Chriſto exhibita. De huiuſmodi autem, tam pro Dei amore, & dilectione, quam pro audientium ædificatione, & ſuimet profectu, Dei ſerui tractare non deſinant.* Hæc faciendo monachi, non ſolum conſortii ſæcularium nocumentum effugient, ſed etiam, tum ſibi, tum aliis, ſpiritualem afferent vtilitatem. Faxit Deus.

Otioſitas Monachorum religioſam, & regularem vitam euertit.

CAP. X.

1 NIhil magis cum nimia regularium extra cœnobia euagatione, vanoue cum ſæcularibus commercio, coniunctionem habet, quàm ipſorum regularium otioſitas: ſicut enim illa vitiorum omnium ſentina à Patribus cẽſetur, ſic etiam inquietæ deambulationis monachorum, irreligioſæque cum ſæcularibus communicationis, initium, & cauſa reputatur. Idipſum experientia teſtis comprobat; religioſi etenim ſancti, & deuoti, qui ad ſui ſtatus perfectionem anhelantes, ſemper alicui operi incumbunt; durè nimis euagationem extra cœnobia, conſortiumue cum ſæcularibus admittunt. Qui verò contra otioſitati deſeruiunt (ſi qui ſunt) totis neruis, vagam deambulationem, longamque cum extraneis fabulationẽ habere contendunt. Ideo poſt præcedentium capitum doctrinam, iure præſentis materia annectitur. Nec eſt animus, ad errorem Ioann. Vuiclephi, Caluini, & Guillelmi de ſancto amore, ſatis à

mona ſticæ

monasticæ disciplinæ coriphæis, D. Thoma, S. Bonaventura, & Thoma Vvaldensi nostro, reiectum, vel leuiter declinare; isti enim, vt Aegiptii quondam Hæbreos, religiosos omnes ad labores manuum, addictos esse volebant: nos autem solum incendimus sanctam aliquam occupationem monachis necessariam esse, suadere: siue illa externam, siue solum spiritualem operationem contineat. Ergo ex Patribus, vt moris nobis est, intentum roboremus. D. Thom. opusc. 19 c. 5 Bonau. in apol. pau. Th vald. l. 4. doct. fid. c. 22.

2 Adstat primus orientalium monachorum restaurator egregius S. Basilius, cuius in responsione ad 36. interrogationem ex libro regularum hæc sunt verba, otiositatem monachorum reprobantia. *Cum Dominus noster Iesus Christus dicat, dignus est, non simpliciter, neque sine vlla exceptione quilibet, sed operarius cibo suo. Cumque Apostoli præceptum sit, qui fatigari, & laborare nos iubet propriis manibus, quod bonum est, vt sit nobis, vnde egentibus tribuamus: sanè quin studiosius sit laborandum ipsa liquet. Neque enim causa ad inertiam, aut laboris fugam spectante, vita secundum pietatem instituta existimari debet: sed maxima potius subeundi certaminis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantia, vt nobis quoque verè liceat dicere: In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, in siti. Cum non ad corporis castigationem modo, vtilis nobis huiusmodi vitæ ratio sit; sed ad charitatem etiam erga proximum.* Et infra: *Sicut igitur vnicuique ad vitæ sustentationem necessarius est cibus quotidianus; item nihilominus vnicuique in opere faciendo necessaria industria est.* Hæc inter alia ad nostrum intentum subministrat Basilius. D. Basil.

3 Accedit vt solet Sanctus Ephrem Syrus, qui paræsim octauam de opere manuum ad monachos scripsit. Cuius hæc sunt prima verba. *Opus quoque manuum non negligas.* Insuper in libro de perfectione, qua præditum esse monachum decet, sic loquitur ad intentum. *Ne finis monache corpus otiosum, sicuti egit, qui vnum talentum accepit; remissionem quippe cum gratia nactus, & otio indulgens, condemnatusque vt reus, Christi miles euasit.* Et infra. *Si inertes, ac pigri fueritis fratres, iam causam vastationis vos præbetis.* Insuper alibi hoc exemplo, monachis otiositati fugam suadet. *Nonnè si literas disceres, vexationem sustineres? Si opificium aliquod sæculi, nonne laborem subires? Quid propter Deum?* Ac si diceret, si propter literas humanas addiscendas, aut propter familiam alendam, sæculi homines, nunquam S. Ephrem paræn. 8 Idē lib de perf. mon. Idem par. 8.

quam otiositati dant locum, quanto magis Christi discipulus monachus, debet vt Christum addiscat, & animæ alimentum quærat, laboribus semper insistere, otiaque fugare?

4 Magnus quoque Pater Hieronymus optimus adstat testis; cuius ea semper cura fuit monachos monens, vt eos ab exitiosissima peste otii liberaret. Specialiter ad Rusticum monachum, sic loquitur. *Facito aliquid operis, vt te semper Diabolus inueniat occupatum.* Rationemque reddit. *Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & alijs tribuebant refrigeria; quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in vsus tuos cessura non præparas?* Et post pauca aliquot opera exteriora recensens, quibus antiqui illi monachi occupari soliti erant, subiungit. *Scribantur libri, vt, & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur.* Idem Hieronymus alio loco, sic habet. *Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solum non adquirit noua, sed etiam peracta consumit.* Et rursus. *Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit.* Rursumque. *Statue quot horis sanctam scripturam addiscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem, & ad instructionem animæ. Cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua solitudo animæ fuscitauerit, habeto lanam semper in manibus, vel Flaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusi vertantur, aliarumque neta, aut in globum collige, aut texenda compone.* Alia ex Hieronymo inferius afferemus. Ex illis autem luce clarius patefit, ex mente ipsius, religiosum virum, semper bona aliqua occupatione detineri debere.

D. Hier. ep. ad Ru.

Idem ad Demetr.

Idem

5 Iungitur his Patribus sanctus Augustinus, ex quo vnum sufficiat afferre; integrum scilicet librum per 33. capita digestum, de opere monachorum ad Aurelium Carthaginensem episcopum scripsisse. Contendit hic Pater. grauissimis, acerrimisque rationibus, aliquorum monachorum otia taxare; quod ex sacræ paginæ testimoniis, variisque exemplis corroborat; graphicè aliquando, monachos otiosos, & vagos, capitibus tonsos, comatos, & crinitos fratres, (vt ipse loquitur) depingens. In sermonibus etiam ad fratres in eremo commorantes, qui vel Augustini sunt, vel ex eiusdem regula consarcinati, sermo 17. de vigilatione, & otiositate vitanda instituitur: ex quo aliquæ grauiores sententiæ colligi possent. *Vigilate* (inquit) *fratres, otiositatem deponentes in cunctis.*

D. Aug.

Auct. ap. Augustin.

cunctis. *Quid enim otium est, nisi vivi hominis sepultura, vt ait paganus ille sanctissimi Apostoli amicus charissimus?* Et infra: *O fratres mei, semper occupatos vos esse desidero, vt bravium salutis per gratiam Dei recipere mereamini. Hæc fugere cupiens sanctus monachorum pater Antonius clamavit ad Dominum in eremo, & dixit: O samaritane Domine Deus, ô animarum, & corporum verè custos, suscita in me gratiam tuam, & infunde seruo tuo misericordiam, vt in eremo collocatus in tuo conspectu otiosus non maneam. Et audiuit: Antoni cupis Deo placere? Ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito.* Et inferius. *Fuge otium, quod non est, & aperi oculos mentis, & corporis, videbisque singulas creaturas ad officia singula deputatas.* Ac tandem omissis aliis. *Eia ergo, fratres dilectissimi, corona mea, & gaudium meum, omnem otiositatem expellite, semper aliquid boni facite, & quem tædet orare, vel psallere, laborare manibus non desistat.* Plura ad hoc intentum in dicto sermone facilè reperiuntur. Idem. Euseb. Emis.

6 Iunge Eusebium Emissenum, qui vno verbo totam monachi œconomiam, intentumque nostrum concluſit. *Religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, &c.* Hæc ille.

7 Ioannes quoque Cassianus antiquus monasticæ disciplinæ cultor, otiositatem monachis fugiendam, sæpè sæpius inculcat. Ergo totum librum 10. de spiritu acediæ in eo ponit, vt aliquid operis semper illis faciendum iniungat. Specialiter cap. 8. D. Pauli exemplum adducens, qui manibus pro victu laborabat, sic loquitur. *Cum itaque non gratis, qui Euangelium prædicabat, tam sublime, ac spirituale opus exercens, cibum sibi præsumeret, quia nos facientes monachi, quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed nec villa quidem, nisi animæ nostræ solius cura mandatur? Qua fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis, euangelica solicitudine, & prædicatione conflictus, sine opere manuum comedere non præsumit?* Cap. etiam 23. celebrem illam sententiam contra otiosos monachos protulit. *Hæc est apud Aegyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem monachum, Demone vno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.* Capite etiam sequenti grauiter commendat Abbatis Pauli exemplum, qui cum necessaria pro victu haberet, nec commodè posset ea, quæ laborabat, aliis erogare, semper tamen in labore manuum erat occu- Cass. l. 10. c. 8. Idem. c. 23 Id. c. 24

patus, & in fine anni totum igni tradebat. *Interim probans* (inquit Cassianus) *sine operè manuum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere.* Hucusque Cassianus, de quo etiam alia postea.

Isid. 3. sēt. c. 20

8 Ex D. Isidoro Hispalensi antistite hæc contra otium monachorum capere licuit. *Dei seruum; sine intermissione legere, orare, & operari oportet, ne fortè mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat.* Breuis quidem, sed vtilissima Isidori sententia.

D. Ber. de ord. vitæ.

9 Accedit Bernardus mellifluus, similia ferè, ac Isidorus proferens in opusculo de ord. vitæ. *Dei seruum* (inquit) *sine intermissione legere, orare, & operari oportet, ne fortè mentem otio deditam vitia sibi præoccupent.* In apologia etiam ad Guillelmum Abbatem, sæpius, vt credo à monachis relegenda, otiositatis vitium,

Id. in apol ad Guill.

sic reprehendit. *Longas noctes dormitando consumitis, & dies fabulando ducitis otiosos? An dicitis pax, & non est pax? Cur non verecundamini?* In epistola etiam ad fratres de monte Dei, si Bernardi est talis epistola, sic habet. *Nulla vnquam inueniat seruum Dei, non dicam dies, sed hora: nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio; vel in experientia dulcedine, & fruendi gaudio.* Et infra. *Nunquam otiosus sit seruus Dei, quamuis à Deo feriatus sit.* Hæc Bernardus.

Ep. ad fra. de monte Dei.

Hug. Vict de claust. c. 14

10 Hugo quoque de sancto Victore optimè de statu monachorum promeritus, sic loquitur ad præsens. *Si à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ.* Rursus. *Antiquus hostis, quem à lectione, vel oratione vacantem inuenerit, facilè ad vitia rapiet.* Breui sanè compendio rem totam peragit.

Alb. in regu. Carm. c. 15

11 His Patribus accedit D. Albertus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistes, & regulæ nostris Carmelitis traditæ, ex dictis S. Basilii, Ioannisq; Patriarchæ, egregius author, qui in dictæ regulæ cap. 15. hæc habet contra otiositatem monachorum. *Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra, aliquem intrandi aditum ad animas vestras ualeat inuenire.* Et infra. *Audiuimus quosdam inter nos ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via sancta est, & bona, ambulate in ea.* Quæ verba exponens Ioann. Soreth nostræ religionis quondam Generalis Prior, sic quorundam monachorum

chorum sui temporis otia carpit. *Nonne vobis aptissimè his diebus præmissa diriguntur eloquia? Experientia clamante, audiuntur inter vos quidam ambulare inquietè, ideſt de loco ad locum, tota die vagari, & nihil manibus suis operantes, quod vtile sit eis, vel alijs: sed curiosè agentes, ideſt cum quadam superflua, & inutili solicitudine quærentes de alijs. Quid Turca? Quid Sultanus? Quid Rex Portugaliæ agant? Aut quanti sit annona, seu tempus quale annosequenti sit futurum? Et his similia, quibus otiosi, & curiosi animi dignoscuntur. Curiosè namque agunt, qui ad hoc vacant, vt dicere, vel audire aliquid noui possint.* Hæc Sorethus noſter Alberti regulam exponens; simulque mentem suam circa otioſitatem fugiendam, religioſis denuncians. Soreth in expo. reg. Carm. c. 16

12 Audiatur etiam Seraphicus Doctor Bonauentura religioſæ perfectionis feruentiſſimus zelator, qui sæpius otium regularibus fugiendum, accuratè perpendit, in alphabeto hæc habet. *Omne tempus cum Deo vtiliter expendas. Nihil enim prætioſius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum.* D. Bonau. in Alpha.

Alibi quoque sic inſtruit monachum nouitium. *Nunquam debet otioſus vagari, nec rumoribus vacare, & verbis otioſis, nec luſui, & ſcurrilitatibus deditus eſſe; quia hæc faciunt mentem vagam, & inanem.* In epiſtola quoque inſtructoria ad Prouinciales, & custodes de reformandis fratribus sui ordinis. inter causas difformationis religionum, otioſitatem aliquorum regularium connumerat, sic. *Sanè perquirenti mihi causas, cur ſplendor noſtri ordinis quodammodo obſcuratur, ordo exterius inficitur, & nitor conſcientiarum interius defædatur, &c. Occurrit quorumdam fratrum otioſitas, quæ ſentina eſt omnium vitiorum, qua plurimi conſopiti, monſtruoſum quendam ſtatum inter contemplatiuam, & actiuam vitam eligentes, non tàm carnaliter, quàm crudeliter Sanguinem comedunt animarum.* Hæc Bonauentura acerbè ſatis de monachorum otioſitate iudicans, illamque *Monſtruoſum ſtatum inter contemplatiuam, & actiuam vitam* compellans. Idē in ep. Id. in ep.

13 Præterea ſapientiſſimus Dionyſius Carthuſianus, ſic habet ſerm. 7. de Dominica ſeptuageſimæ ad Religioſos: *Simus ingiter timorati, ſemper ſoliciti, inceſſabiliter cuſtoditi, nec aliquod temporis momentum infructuosè pertranſeamus, ſed orando, meditando, pſallendo, contemplando, ſtudendo, ſcribendo, aut aliud quidpiam vtile, præſertim quod à præſidente iniungitur, faciendo, omni hora ſalubriter occupemur.* Et infra. *Nil æſtimemus tam nociuum, tam ſtolidum, vt inutilem temporis deductionem:* Diō. Carth. ſerm. 7

Forſan

14. Forsan tamen inter Patres cæteris accuratius, otiositatē monachis fugiendam, S. Laurentius Iustinianus, non semel, sed sepius notauit. Primò ergo in libro de disciplina monasticæ conuersationis integrum capitulū sub hoc titulo, & scopo edidit.

Laur Iust. de discip. mon. con. c.14

Quod pernitiosum sit seruis Christi collegialiter viuētibus otium, quod magnoperè deuitare debent. Ex hoc ergo capite speciales sententias proferre liceat. *A torpore, & otio cunctis currere debent, & potissimum seruis Dei.* Infra. *Non pretermittendum est, vel breuissimum præsentis temporis spatium sine spirituali fructu.*

Idem

Inferius. *Quid reprehensione dignius, quam ornamenta sumpsisse regalia, & in lutosis operibus tota die versari: Bellica quippe arripuisse arma, & ad prælium recusare accedere propter metum, valdè ridiculosum est. Non tamen minus vituperabile est, mundo, solo corpore, & hominum aspectibus renunciasse, atque in monasterio otiosum ducere vitam. Considera, ô serue nequam piger, & otiose, quod in stadio certaminis positus es. Oportet enim te pugnare, alioquin miserabiliter occideris.* In libro quoque de triumphali Christi agone. *Qui diuini amoris ardet incendio, in bonis actibus semper se occupare cupit, nunc interius, nunc exercetur exterius. Otium abhorret summoperè veluti charitatis inimicum, &c.*

Idem de ago. Chri. cap. 27.

Hæc Iustinianus, nec his contentus, alia protulit, quæ nos infertius congruentiori loco afferemus.

15. Egregiè quoque deuotus author Thomas Campensis ad intentum nostrum, cuiusdam monachi quæsitum, simulque senioris responsum affert. *Frater interrogauit senem: Quod est statutum in Ordine, propace, & deuotione maximè proficuum? Respondit notabile verbum. Seruare à Patribus silentium statutum, vitare tumultus hominum, & otium. Hæc tria in ordine valdè necessaria sunt, Deo, & Angelis accepta; scilicet laborare manu contra otium; amare lectionis studium contra cordis tædium; & continuare orationis vsum contra Diaboli dolum.* Hæc vtinam profiteamur omnes, vt vel sic, concordet vita nostra cū nomine.

Thō. Cāp in vall. lil. c. 18

16. Grauiter etiam grauis author Ioannes Trithemius; & otiositatis vitium reprehendit, simulque fugiendum monachis suadet, Homilia 6. sic habet. *Confistens in cella tua, semper otiū fauctu, quoniam nihil ita vires mentis enervat, sicut otium. Si Deum ardenter amaueris, nunquam vis otiosus.* Homilia quoque 7. sic fatur. *Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent monachi in labore manuum, certisque horis in lectione diuina. Tunc enim verè sunt monachi, si labore manuum*

Ioan. Trit. hom. 6.

Id. hom. 7

manuum

nuum suarum viuant. Rursumque: *Ne igitur monachi, panem verè rerum manducetis otiosi, semper vos aliquo labore honesto, & vtili, oportebit esse mancipatos, quo mens à tædio releuetur obseruantiæ regularis*. Et infra *Monachus, quia miles est regis æterni, nunquam debet esse otiosus*. Rursusque, laboris monachorum normam sic describit. *Labores monachorum ita sunt moderandi, ut nunquam à diuinis vacent colloquijs, sed inter opera manuum in corde meditatio ferueat scripturarum*. Hæc Trithemius, piè satis occupationem mentis, & corporis monachis præscribens.

Pro hac etiam causa strenuè laborauit Iulius Nigronius deuotus author tractatum asceticum de inerti otio fugiendo, fugandoque à quibusuis Religiosis viris, & studiosis Christianæ perfectionis conscribens. Ex quo proinde aliqua ad intentum nostrum habere possumus. Primò ergo in principio prologi loco hæc habet. *Tam acris, & frequens est inertis otij detestatio, qua Philosophi morales, prisci Doctores Christianorum, & cuncti magistri uirtutis, tum religiosos uiros, quibus perfectionis compasande imposita lex est, tum Christianos omnes, quibus anima salutis curæ debet esse, deterrent ab otiando: tam uehemens, & ardens cohortatio eorundem, ad aliquam honestam occupationem in omni parte uitæ, ac temporis retinendam eos extimulat, ut me cupiditas inflammata corripuerit, coegeritque adscribendum tractatum de inerti otio fugiendo, fugandoque strenuè ab omnibus hominibus, quibus æterna salus cara est, nō modo perfectio uirtutis inoptatis*. Deinde in sequentibus ex Hugone Cardinali affert illa. *Stultus est otiosus, quia non declinat uitanda; stultior quia non desiderat appetenda, nec colligit merita: stultissimus quia cumulat, & thesaurizat sibi æterna supplicia*. Item illam otiosorum diffinitionem ab eodem Hugone allatam. *Vobis nihil proficientes, proximis non subuenientes, Deo non seruientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes, in posterum non prouidentes*. Ac illud Cyrilli Alexandrini pro religiosis optimum consilium. *Consultissimum est operari, ne alijs sis oneri, alienos sudores in priuatam tuam utilitatem conuertens, cum possis tuis laboribus uiduæ, & pupillo subuenire, ijsque qui ex fratribus sunt infirmiores*. Illamque pulchram Chrysostomi in otium inuectiuam. *Otium malitiæ pars est; immo uero non pars, sed causa, & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium. Itaque cauendum ne stultè quæstiones istas indagemus: nempe quem sit habiturus locum, qui nihil bonifecit. Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum*

Iul. Nigro.

Hug. Car.

Idem.

S. Cyrill.

Chrisost

malum facere. Dicas enim uelim; si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret; immo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret; sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum, quæ seruus hero suo præstare debet, faceret: non flagellares illum, vt peruersum? Præterea Basilianum illud. Quo modo non odio prosequendum
S Basilius otium, quod formica, & ape peiorem efficit hominem, qui vtique initio suæ conditionis positus in paradiso est, vt operaretur, & custodiret eum? Insuper, & Ambrosianum illud. Non otio, non
Ambros. somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus otij; immo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem. Et alibi. Non dormientibus, non otiantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est.
Anselm. Anselmum quoque monachos quosdam admonentem. Otiositatem quoque sicut rem inimicam animarum vestrarum à vobis excludite; & vnusquisque consideret, quia de singulis momentis vitæ nostræ reddituri sumus Deo rationem. Ad hæc Petrum Blesen-
S Blesensis. sem Episcopum quemdam sic instituentem. Nullum tempus feriatum habeas, sed semper, aut orationi, aut lectioni, aut alij honestatis studio te impendas. Et post. Ad hæc replico, semper sis in exercitio Scripturarum, nullumq; tempus te inueniat otiosum.
Maffæus Otium sine litteris est viui hominis sepultura. Et maximè in sequentibus verba Petri Maffæi Sancti Ignatii vitam describentis, quæ talia sunt. Otium, & omnium vitiorum fomitem, ac seminarium in primis oderat. Itaque duos, tresue rei familiaris adiutores, cum adianuam alieno tempore confabulantes è superiore loco aspexisset, illicò iussit aceruum lapidum in proximo situm, in summam adium contignationem sine cunctatione transferre. Eosdem tertio post mense, cum ibidem iterum otiantes animaduertisset, illam ipsam lapidum congerim, vt in eundem locum referrent, unde asportauerant, imperauit; amicè insuper admonens, nihil in Dei famulatu periculosius esse desidia. Plura tandem ad intentum in hoc Authore lector reperi.

17 Nec mirum, patres tanto conatu, monachis otii fugiendi doctrinam tradidisse: adeò enim malum, nociuumque rationali naturæ censetur otium, vt, & Ethnici, Paganique philosophi, solo rationis ductu, id antea intimauerint. Xenophon in libro de
Xenophō Euripid. republica Lacedæm. Permulta ab otiosis, & absurda patrari solent. Euripides aiebat. Idem est otiosus, & malus ciuis. Cato.
Ouidius. Nihil agendo homines, male agere discunt. Ouidius. Ignauum

corrum-

corrumpunt otia corpus. Catullus. *Otium reges prius, & beatas perdidit vrbes*. Menander apud Stobæum. *Homo sanus otiosus miserior est, quam febricitans, & infirmus, nam corruptio animi, quam corporis miserior est*. Quintilianus declamat. 4. *In fascinus otiosus ardor erumpit*. Lucanus lib. 4. *Variam dant semper otia mentem: nam qui propria non curat, vel attendit; ad superuacanea, & aliena necessario se extendet*. Ex quibus omnibus merito intulit Patritius. *Otiosi, & ignaui homines venenum sunt ciuitatis, proni ad libidinem fiunt, & bonis inuident, aliena appetunt, denique seditiosi, & turbulenti euadunt*. Merito etiam adducti Patres, vt tantum malum à delitioso paradiso Dei, religione scilicet monastica, procul relegent, tam concordi, constantique omnium assensu, otiositatem opprobriis affecerunt, eamque a religiosis procul abesse curarunt.

Catullus. Menand. Quintil. Lucanus Patrit. l. 1 de instit. Reipub.

18 Ex dictis autem, dicendisque constabit, eam ob causam, Patres tam sollicite, & obnixè monachis otia interdixisse; quod putent; totam passionum, criminum, vitiorumue colluuiem ex otiositate manare. Id ostendunt Ephrem, Hieronymus, auctor apud Augustinum, Hugo, Bonauentura, Iustinianus, & alii iam relati. Sed specialius alii intentum concludunt. Ex quibus Ioannes Cassianus sic loquitur. *Qui secretur otium replebitur paupertate, vel visibili, vel inuisibili, quia necesse est otiosum quemquam, & diuersis vitijs inuolutum teneri, & alienum semper existere à contemplatione Dei*. Multa ad hoc propositum ex eodem omittam. Loquatur Hieronymus. *In desiderijs est omnis otiosus. Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem. Ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti, diuaricet pedes suos*. Indicat Hieronymus, omni vitio expositum esse otiosum, sicut meretricem omni viro. Clarissimè inter alios S. Augustinus, vel qui nomen eius præfert in opere ad fratres in eremo. *Per otiositatem fratres, rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus; per hanc, eremum sæpe exire tentamur; per hanc accendimur frequenter ad luxuriam; per hanc, animamur ad superbiam; per hanc, ducimur ad mundi gloriam; per hanc, tentamur delicatè pasci; per hanc, suffocamur prætiosè vestiri; per hanc, ad superfluam dormitationem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum conuentus destruit; partens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans inter eos zizaniam,*

Cass de acc. c. 21. Hier in ep. ad Rustic. Auct. ap. August. ad frat. in er. ser. 17.

generans inter eos homicidia, & omnia, quæ sunt opera carnis. Quid ergo dicis, ô frater? Quid otiosè agere poteris, nisi opera carnis? Nunquam quis ciuis cælorum erit, si otiositatem amauerit. Omnia hæc, & veritatem continent, & spiritum Augustinianum redolere videntur. Accinit egregiè os aureum Chrysostomi sic. *Otium malitiæ pars est; imò vero non pars, sed causa, & radix; omnem quippe malitiam docuit otium.* Bellè etiam Laurentius Iustinianus. *Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solum non adquirit noua, sed etiam adquisita consumit. Sanctæ enim vitæ ratio, processu gaudet, & crescit; otio autem, & cessatione torpescit, & deficit.* Nec plura testimonia quæram: res enim apud omnes comperta est, otium malorum omnium sentinam originalem esse.

Chrisost. hom. 16. in ep. ad Ephesios.

19 Specialius tamen specialiora aliquot crimina referam, quibus monachi otio dediti expositi manent; quibusque aliquando irretiri, experientia forte comprobabit. Vnum est; vagamunda, vanaque egressio extra cœnobia, satis in superioribus improbata. Otium etenim, si quandoque in monachis reperitur, ad inutilem, & superfluam deambulationem extra claustra cogit. Id ostendit auctor apud Augustinum iam relatus, illis verbis. *Per otiositatem rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus; per hanc, eremum sæpe exire tentamur, &c.* Hoc ipsum tradit Cassianus, id comprobans exemplo cuiusdam monachi otio dediti, qui non modò egressum sui è monasterio quæritabat, sed quod peius est, ad simile vitium prouocabat alios. *Hoc enim*, inquit, *exemplum de istiusmodi genere hominum, pro incipientium cautione, dixisse sufficiat, quo pateat euidentius, quanta mala otiositas in monachi mente parturiat.* Omnium tamen clarius, & enucleatius Antiochus monachus inter bibliothecæ Patres relatus, qualiter otiositas, seu accedia monachum gyrouagum, & inquietum efficiat his verbis, nec inelegantibus demonstrat. *Tali suggerit Dæmon cogitationum intemperiem, nempe, vt alio emigret, & quia tempus omne, & labor omnis, vacua sibi erunt frugis bona, & inania, ni se ad alia conferat loca. Is tandem nihil dissimilis comperitur virgulto deserti, quod vbi aliquantulum interquieuit, rursus huc, illucque, aspiratione ventorum perpellitur. Aut certè, quemadmodum planta procerior, & exolescens, genitali loco emota: ita & monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem referet. Quemadmodum item nubes nullo aquæ humore concreta, venti agitatione percellitur: ita monachus spiritu*

Auctor, apud Aug. vt supra.

Cassian. lib. de acced. c. 10

Antio. ho. 26. 2. t. bibliot.

ritu agitatus accedia, nullam habet solidam requiem. Hæc ille. Nec est cur plura afferantur, cum experimento conclamante, constet, gyrouagos, seu deambulatores monachos, otiositatis morbo laborare, nec alicuius bonæ occupationis detentos negotio.

20 Deinde otiosos monachos (si aliqui tales sunt) gulæ, & ventris crapulæ expositos esse, plures Patres confirmant. Ex quibus auctor Augustinus nomen ostentans iam adductus, sic. *Per otiositatem, fratres, tentamur delicatè pasci.* Rursus. *Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum cõuentus destruit, nutriens in eis gulam.* Clarius Cassianus libro iam adducto. *Mens otiosi nihil aliud cogitare nouit; quam de esca, ac ventre, donec inuenta quandoque sodalitate cuiusquam viri, vel fœminæ, æquali tepore torpentis, rebus eorum; ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ, se valeat enodare.* Eadem ferè, quæ Cassianus, Sanctus Laurentius Iustinianus mutuata habet, dicens. *Otiosi mens nihil aliud cogitare nouit, quam de esca, aut ventre, & qui otiosa mente perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum, vitam ducit.* Vnde concludit. *Quisquis sobrietatem Deo offerre festinat, magno sibimet debet moderamine præesse, vt non ad culpam caro per otium transeat.* Abs dubio pro comperto habens, religiosum otio deditum, gulæ, & ventris crapulæ seruum esse. Clarissimè etiam Antiochus monachus iam adductus, hoc vnum curæ esse monacho otioso adstruit, vt ventrem impleat, tempusque prandii, & comestionis expectet, hisce. *His adde: Dæmon illi esuriem suggerit tempore prolixiori sustinendam. Ad eum modum supinus ille, ac securus boni operis, scopum vnum expectat, nempe horam sumendæ alimoniæ.* Rursus. *Hæc eò facit, vt horas deterat, ac temporis fallat prolixitatem. Atque audito primum signifero, & indice prandij, quam alacer, quam promptus eò prouolat?* Hæc Antiochus. Hæc, & isti, quibus satis clarè intentum nostrum elucidant, habemusque compertum, otiosum monachum, gulæ quoque, & crapulæ vitio expositum esse.

Auct. ap. Aust vt su.

Cass. l. 10. de acced. cap. 6.

Laur. Iust. de sobrie. c. 4

Antio. vbi supra.

21 Adhæc castitatis violatio inseparabilis comes otiositatis monachorum, a Patribus habetur. Hinc auctor apud Augustinũ iam relatus. *Hæc est illa otiositas pessima, quæ sanctorum conuentus destruit, pariens in eis luxuriam.* Et rursus. *Quid otiosa agere*

Antioc. vt supra.

agere poteris, nisi opera carnis? Rursusque. *Per otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam.* Hinc ad castitatem seruandã, pro antidoto, otii fugam suadent Patres. Quod insigni exemplo describit D. Hieronymus, narrans, monachum inhonestè tentatum; laboribus, & persecutionibus fatigatum, carnis flammam extinxisse. Ipsius verba transcribam. *Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine, flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgis, atque conuitijs insectaretur hominem, & postirrogatam iniuriã primus veniret ad quærimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium. Quid multa? Ita annus ductus est. Quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret. Fapè (inquit) viuere mihi non licet, & fornicari libeat?* Certè, si monachum istum otiosum, & desidem sinerent, absdubiè luxuriæ laqueis, irretirent; quia tamen laboribns oppressum fatigabant, ideo à carnis tentationibus immunem fecerunt. Hinc etiam pulchrè D. Laurentius Iustinianus. *Semper aliquid agendum est, ne mens distracta per desideriorum campos, suis capiatur concupiscentijs.* Hinc quoque Thomas de Campis, sic docet. *Valet maximè ad castimoniæ decus promerendum sobrietatis virtus, quæ laborare manibus prædicat; occupari semper in Dei opere adhortatur; quoniam otium, & delitiæ prædones sunt castitatis.* Quid plura? Adeo certum, compertumque omnibus extat, otium parentem esse luxuriæ, vt ethnicum Ouidium non latuerit res. Inquit.

D. Hierõ. epist. ad Rustic.

Laur. Iust. in lig. vit. de sobr. cap. 4. Thom. de Cam. ser. 5. ad fra.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.

Ouid de remed. amoris

Nec dubitent ergo religiosi omnes castitatem cum otio non cõpati posse; insidiatur enim otium inimicabiliter, animæ, corporisque munditiæ.

Est, & aliud malum, quod ex præfata monachorum otiositate oriri solet, vt vel propter ipsum solum fugiendum iure deberẽt Religiosi cuncti assiduis occupationibus assistere. Illud porro est, quod prædicti otiosi plerumque vanis conuersationibus, inutilibusque sermonibus distenti plurimum à monastica perfectione deuiare conspiciantur. Hinc plura ex Patribus contra has impertinentes

tinentes collationes insurgentibus haurire possumus. Sed illud non prætermittendum, quod Cass. *lib. 5. renunciant. cap. 31.* ex Machete monacho sic refert. *Hic idem senex otiosarum fabularum Diabolum esse fautorem, ac spiritualium collationum impugnatorem semper existere, his declarauit indicijs. Nam cum fratribus quibusdam de rebus necessarijs, ac spiritualibus disputaret, eosque videret Letheo quodã sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere, otiosam repentè fabulã introduxit. Ad cuius oblectationem cum eos euigilasse confestim, atque erectas aures suas habere vidisset, ingemiscens ait. Nunc vsque de spiritualibus loquebamur, & omnium vestrum oculi lætali dormitione deprimebantur, at cum otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominanti excussimus. Vel ex hoc ergo perpendite, quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator, aut quis huius infructuosæ, atque carnalis insinuator existat. Ille enim esse manifestissimè deprehenditur, qui malis adgaudens, vel istam fouere, vel illam impugnare non desinit.* Hactenus Cassianus. Ex cuius narratione habemus Dæmonem insinuatorem otiosarum, infructuosarumque fabularum esse: quod in nostrorum temporum recreationibus illum conari mihi persuasissimum est. Confirmat meam positionem visum S. Dominico exhibitum, permittente Deo. Etenim visus est Dæmon in aula locutioni pro honesta recreatione deputata exultare, gestire, cachinnis in gentibus bacchari; magnum quæstum eo se loco facere asserens, è peccatis oris, atque linguæ: quem quæstum postea perderet in Capitulo, vbi culpæ patefiunt humili confessione publica, & impositis à Priore pœnis eluuuntur. Ante S. Dominici tempora Sanctus Cæsarius, hanc prauam Dæmonis lætitiam in hoc genere agnouit, & indicauit suis in exhortationibus quibusdam dicens. *Certum est, quod quando ea, quæ ad sæculum pertinent, loquimur, aut nimijs murmurationibus, ac obtrectationibus nos mordemus, ille horas nostras Deo subtrahi, & sibi gaudet acquiri.* Cæterum Diabolum pelli, aut certè audaciam eius retundi, ac reprimi hostilem impugnationem per sermones spirituales tempore recreationis, discimus ab ea visione, quæ magno viro de senioribus facta est, quæ sic refertur in eorum vitis. *Aliquando quamplurimi sedebant fratres, & simul loquebantur inter se de sanctis scripturis, quæ ad salutem pertinent animarum. Stabant autem circa eos S. Angeli lætantes, in hilari vultu considerantes. Delectabantur enim de eloquijs Domini. Cum autem*

Ioã. Cassiã. lib. 5. renunciant. c. 31

Hist. Ord. Prædicat. l. 1. c. 47.

S. Cæsarius hõ. 6. ad monac.

Vitæ Pa-

aliud

aliud, quodcumque loquerentur, statim Sancti Angeli recedebant longius, indignantes contra eos. Veniebant autem porci sordidissimi, & volutabant se inter eos. Dæmones enim in specie porcorū delectabantur super superflua, & vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns, abijt in cellulam suam, & per totam noctē cum grandi fletu, & ululatu gemebat miserias nostras. Exhortabatur ergo sanctos Patres per monasteria, & commonebat fratres, dicens: Cohibete à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus animæ generatur. Refert eādem visionem Ioannes Subdiaconus, addens, quod cum repetebant fratres spiritualia colloquia, redibant Angeli, & eos lauabant, quos porci polluerant. Colloquia spiritualia sanctos Angelos accersunt: horum aduentus, ac præsentia Dæmones fugat, qui vel introducunt vaniloquium, vel certè continuant introductum. Igitur rectè dictum est sermonibus spiritualibus Dæmonem vaniloquii suaforem, auctorem, & altorem extrudi. Hæc porro ex Iulio Nigronio *in tract. de recreat. Religios.* mutuatis verbis accepi, vt vel ex eis nouerint Religiosi cuncti colloquia bona, pia, aut spiritualia miscentes Angelos bonos pro sociis habere, vaniloquia vero otiosè sectantes, non nisi cacodæmonum consortia promereri.

Io. Subdiacon. l. 1. de contemplat. §. 3

Iul. Nigrō in tract. de recreat. Relig.

22 Cum vero hæc ita sint, mirabile sanè, & pluſquam mirabile erit, ſi aliqui ex religioſis reperiantur, qui otioſitati, vel leuiter inſeruiant. Quis enim tantum malum a Regularibus proſequē dum credat? Quis vitiorum ſentinam, peccatorum parentem, omniumque ruinam virtutum, toto cælo a religioſorum animis abeſſe non putet? Sed, proh dolor, non paucos in religionibus repertos, qui otij ſub ſtemmate vixerint, Patres arguunt, reprehēdunt ſancti, & hæretici inimici noſtri, plenis buccis inclamant. Ne tamen inter ſanctos, pioſque religioſos, ſanctis, pijſque laboribus ſemper addictos, otioſi iſti (ſi qui iam ſunt) obtegantur, ſicut lupi veſtimentis ouium; neceſſe erit, otioſorum ſigna, notaſue, quibus ab aliis ſecernuntur, in medium afferre, vt dum ſe viuis coloribus depictos agnoſcunt, ad bonam frugem redacti, ſemper alicui bonę ſanctęque occupationi, animum, corpuſque addicāt. Ergo quæ ſigna, aut notas Patres de otioſis monachis protulerunt, in medium proferam. Ex quibus Caſſianus otioſum monachum ſic depingit: *Horrorem loci, faſtidium cellæ, fratrum quoque, qui cum eo; vel eminus commorantur, tanquam negligentiū, ac minus ſpiritualium, aſpernationem gignit, atque contemptū.*

Cas. Tit. 10 de acced. c. 2.

Ad

Ad omne quaque opus, quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem. Non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque se proficere conquæritur, atque suspirat. Absentia, locique posita magnificat monasteria. Loca etiam illa magis ad profectum utilia, & saluti congruentiora describit. Consortia quoque ibidem fratrum suauia, & plena spirituali conuersatione depingit. E contra vniuersa, quæ habentur in manibus, aspera, & non solum ædificationem nullam esse in fratribus, qui morantur in loco; sed ne ipsum quidem victum corporis, absque ingenti labore queri. Ecce, sancti religiosi, signa, quibus otiosos monachos inter vos forsan commorantes, agnoscere poteritis. A fructibus eorum cognoscetis eos. Clariora tamen signa otiosorum regularium depingit optimè S. Bernardus in ser. de septem oneribus. *Si videris monachum in claustro residentem, huc, illucque respicere, oscitare crebrius, manus, & pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere: postremo, quasi quibusdam stimulis agitatum, de loco in locum, de auditorio in auditorium; cursitare; sub onere Dumæum suspirare non dubites.* Hoc est, crede eum esse otiosum, & desidem. &, si id non fateatur, crede superbum. Forsan Clarius Seraphicus S. Bonauentura, otiosi religiosi mores, signaque denotat, hisce verbis. *Non curanda curat, necessaria negligit, & sui oblitus aliena considerat, notat, & explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat sollicitus ad scrutandum, & honestate postposita, id ab inuitis, & celare forsan volentibus, inuerecundè requirit. Locis sibi non concessis, congregationi, & collocutionibus fratrum, se ingerit non vocatus. Cum eum abesse putaueris, adest impudens lateri, adest auri, vt nec secretum valeas occultare sermonem. Obseruat angulos, vagis circumspicit oculis, hæret ad singula, quæ occurrunt. Communes obsidet transitus, superuenientium, & forensium gaudet occursu, rumoribus, & sæcularibus verbis audiendis, & referendis intendit. Res sibi non deputatas curiosè reuoluere non quiescit, literas etiam alienas, si casu apertas inueniat, inspicere non veretur.* Graphicè sanè, concinnè, & spiritu diuino actus hæc retulit Bonauentura. Adeò enim veritati consonant dicta, vt non nisi à simili spiritu pronunciari possent. Nec minus verè, enucleatèque Antiochus monachus, loco iam addicto, otiosi, & accedioſi monachi opera, signaque quibus ab aliis dignosci potest, describit sic. *Circa horam sextam, velut ex insidijs Dæmon assilit monacho, tædiosam, ac formidabilem agoniam illi incutiens, vsque adeo, vt locum odorit, verbis autem*

D Bern.

D. Bonau 2. p. spec. c. 5.

Antioch. vt supra

autem fratres ipsos inuisos habeat, quibus cum viuit. Ad opus quodlibet, ad diuina scripturæ lectionem, nescio quam illi ingerit insuauem, & biulcam oscitationem. His addes: esuriem suggerit; tempore prolixiori sustinendam. Ad eum modum, ac securus boni operis, scopum vnicum spectat, nempe horam sumendæ alimoniæ. Interim tamen sumpto in manus libro, legit nonnihil, quem, & ordine suo locat. Mox oculorum aciem intendere incipit, inque fenestras propius defigit. Quiddam rursus legit, deinde suos admetitur, & enumerat quaterniones. Plicato mox libro obdormiscit, Somni aliquantum vbi decerpsit, rursus assurgit experrectus. Hæc eò facit, vt hora deterat, ac temporis fallat prolixitudinem. Hæc Antiochus. Hæc, & Patres, otiosi monachi vitiosa signa describentes, vt & qui tali noxa conspiciuntur affecti, & sibimet verecundè prospiciant, & ab aliis, piis, sanctisque religiosis, qui diu noctuque Deo semper laborant, noscantur discreti.

23 Restat modò solum, vt a tali lue, talique nota, quilibet religiosus abesse festinet. Regulæ propriæ, proprioq. modo viuendi, semper bonam aliquam operis occupationem iniungenti, aptare se curet. *Lapidē amussim applicandum, non ad lapidem amussim*, aiebat Plutarchus. Quod est dicere ad intentum. Regularē quem libet ad legis voluntatem otium prohibentem, aptandum esse, non è contra, legem ad propriam voluptatem trahendam. Amasis (Herodoto teste) legem apud Aegyptios condidit, vt singuli apud Prouinciarum præsides, quotannis, redderent rationem proprii laboris. Quod, & Solon Athenienſibus præcepit. Sciat ergo religiosus quilibet, Deo, & superioribus, redditurum rationem, iugis, & sanctæ occupationis. Attendat tandem, quæ ad ipsum loquitur pius, & sanctus Laurentius Iustinianus per hæc verba. *Animaduerte, O serue Dei otiose, O quisquis es, qui ad seruitium positus, negligenter dies tuos peragis, quia decurrente tempore, pariter tu quoque lætho appropinquas. Cum verò extremus aderit dies, cum suprema mortis hora, te de corpore exire compellet, tunc (& vtinam non sero) cognosces, quanti æstimare debueras præteritum, quod absque vllo spirituali profectu inaniter consumpsisti tempus.* Et infra. *Quomodo potes in medio tot periculorum, tam crudelium inimicorum, & tantarum insidiarum, conflitutus, securus esse? Otiosum namque te intuens aduersarius irruit super te, & nullo illi renitente, vinculis suæ malignitatis te tenēs astrictum, ducit te quo vult.* Inferius sic. *Omnia, quæ omnipotēs creauit, siue in cælo, siue in terra, iniunctum sibi a Deo exhibent mini-*

Plutarch.

Herodot.

Laur. Iust. de discip. monast. conuers. cap. 14.

ministerium, & tu, ò tepide, qui Angelicam vitam ducere, crederis, qui sanctitatis habitum induis, qui cælestia contemplari debes, qui laboribus pauperum, & eleemosinis egenorum sustentaris, vis esse otiosus? Suspice Cœlum, & Solis, ac Lunæ, Stellarumque infatigabilem cursum contemplare. Terræ arbusta, herbarum germina, cælorum volatilia, terrarum reptilia, aquarum pisces; & omnium genera iumentorum, quadrupedum, & serpentium, diligenter attende. Et si quæ videris ab ingenita lege natura, vel ab impositio conditoris ordine, aliquantulum declinare, edicito. Hæc omnia coram vniuersitatis Domino, aduersum te, testimonium dicent. Nihil enim de operibus naturæ otiosum reperies, & tu solus vis ab opere vacare, qui plus cæteris ex debito iustitiæ astringeris? Inferius quoque. *Vt quid manum sub axilla tenens, maximam tuæ vitæ partem otiosè consumis? Proh pudor, quotidie sedes per monasterij claustra, per angulos domus vaniloquia tractando, & inutilia, atque pernicioſa cogitando. Discurris huc, illucque, nunc clamitando, nunc ridendo, nunc otiosa peragendo. Non aduertis, ò miser, quod inertia tua; & infructuosa conuersatio, scandalum generat fratribus pro te laborantibus?* Hæc si puro corde, & animo auscultarent regulares omnes, nullus, absque dubio, otiositati, desidiæ, accediæue operam daret: sed omnes suæ vocationis memores alicui operi incumberent. Vtinam Deus omnium nostrum adaperiat oculos. Nunc ad alia procedamus. Idem. Idem.

Litterarum exercitium Religionum perfectioni proficuum, reformationique vtilissimum esse.

CAP. XI.

1 PAtres relati capite præcedenti, dum otiositatem fugiendam monachis prædicant, præcipuè laborem corporalem illis intimare videntur. Sed vt ibi vidimus, dogma hoc iampridem, Theologi contra fatuos hæreticos exsibilarunt. Cum quibus incunctanter affirmandum est, externum manuum laborem, monachis, non esse sub præcepto, necessarium: mentique Patrum abundè satisfieri, si exercitiis spi-

ritualibus, functionibusque mentis, & quandoque corporis, iugem occupationem impendant. Quia verò inter ista non infimum locum tenent litterarum exercitia, operè pretium duximus, post otii monastici detestationem; litterarum diuinarum studium commendare. More ergo nostro loquantur Patres.

2 Primus sit S. Ephrem Syrus sæpius à nobis adductus, & asserendus: ex eo enim plurima pro reformatione regularium excipi valent. Multa etiam contra monachorum inertiam, & pro sacris studiis conscripsit. Parenæsi 1. sic loquitur. *Initium bonæ vitæ monachi est cognitio Dei: ignorantia autem de Deo, monachi mentem excæcat.* Et rursus. *Exercitatio monachi sit meditatio scripturarum.* Rursus quoque. *Iners autem est monachus, qui in his versatus non fuerit.* Alibi quoque clarius sic habet. *Qui mundi istius præceptores, atque interpetres agunt, studiosè in lectionem sapientiæ, quæ non est, incumbunt: cum sapientia mundi stultitia sit coram Deo. Quanto magis meditari nos decet, atque perdiscere ad salutem animarum nostrarum, eloquia Dei?* Hæc tibi, ò religiose, contra inertiam, & ignorantiam, profero ex Ephrem.

S. Ephrem parænes. 1.

Idē pa. 16

3 Astat magnus Pater Sanctus Hieronymus, qui sicut inter totius orbis sapientes, sapientissimi nomenclaturam accepit, sic quoque a monachis, & inscitiam penitus ablegandam censuit. In Epistola ad Florentium sic loquitur. *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Idem ad Rusticum. *Sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis; multo tempore discе, quæ postmodum doceas.* Rursumque. *Si Clericatus te titillat desiderium, disce, quod possis docere.* Præterea ad Paulinum monachum, seu prologo bibliorum, qui totus est in monendo Paulinum ad studium sacrarum litterarum; inter alia hęc habet. *Oro te frater charissime, inter hæc viuere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nonne tibi videtur iam hic in terris regni cælestis habitaculum?* In regula quoque monachorum collecta per Lupum de Olueto sic habet. *Crebrius lege, & disce quamplurima, & tenente te codicem, somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* Ibidem quoque post pauca. *Post sanctas scripturas, doctorum hominum tractatus lege; eorum dumtaxat, quorum fides nota est; quoniam eruditio timorem creat, imperitia confidentiam. Illorum igitur tractatibus, illorum delectetis ingenijs, & libris, quorum pietas non vacillat.* Et circa finem. *Quid enim eruditione melius? Quid suauius disciplina*

Hierō. ad Floren.

Idē ad Rusticum.

Idem ad Paulinum

Idē in regula.

plina? Quid dulcius Domino? Sit autem conuiuium Christus; lectio Christus; cogitatio Christus. Quæ enim potest esse vita sine scientia scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam? Hæc ex Hieronymo excerpta commendant satis religiosis, diuinarum litterarum exercitia. Ibidem.

4 Clemens Alexandrinus stromatæus adstet, ex quo breuem, perlucidamque sententiam, pro causa, quam tueor, excipere valui. *Iam verò* (inquit) *tempus est, vt Græcis ostendamus, esse solum verè pium; ac religiosum, eum, qui est cognitione præditus.* Ecce sanctè religiose, vt verè pius, ac religiosus dicaris, quod sis scientia præditus, a te expectat Clemens. Clem. l. 7. stromat.

5 Albinus quoque Flaccus grauis, & antiquus author, Carolique Magni magister, monachos de eruditione sacrarum litterarum sic instituit, ad monachos Iuuauensis Ecclesiæ loquens. *Armate vosmet ipsos scientia veritatis, sententijs euangelicæ authoritatis, vt resistere valeatis contradicentibus veritati.* Rationem verò sic subiungit. *Quomodo pugnat inermis? Vel quomodo docere potest, qui discere noluit? Spiritualis sunt diuitiæ, sapientia in corde.* Clarè hisce verbis, quam vtile sit sacrarum litterarum exercitium monastici status professoribus indicans. Idipsum autem opere impleuit: Eboraci namque in Anglia sacras litteras palam docuit. Quò ad ipsum audiendum ex Frisia S. Ludgerus concessit, tantumque profecit: vt ad suos reuersus Frisiorum Apostoli nomen meruerit. Alb. Flac. Annalia Fris. & author vitæ S. Ludger.

5 Sanctus etiam Anselmus Cantuariensis Antistes in suo illo celebri carmine de contemptu mundi, sic monachis suadet sacrarum litterarum studia.

A studijs sacris tempora nulla vacent.
Vtilibus semper studeant, & rebus honestis:
Res est segnities perniciosa nimis. D. Ansel. in carm.

Breuiter, & succinctè, quantum malum ex ignorantia monachis eueniat, exponit.

7 Accedit Angelicus Doctor, qui, sicut religionis perfectionem cum summo studio sacrarum litterarum coniunxit, sic etiã, faciendum aliis religiosis intimauit. Primò ergo in opusculo 68. quendam, qui ipsum S. Thomam de modo salubriter studendi consuluerat, sic admonet. *Tale à me super hoc traditur consi-* D. Thom opusc. 68.

lium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire: quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Et infra. *Ea, quæ legis, & audis, fac vt intelligas, de dubijs te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere; Altiora te ne quæsieris. Ista sequens vestigia, frondes, & fructus in vineâ Domini Sabaoth vtiles, proferes, ac produces.*

Idem op. 19. Ecce modum studendi, & ipsarum litterarum studium satis ab Angelico Doctore commendatum, viro religioso, qui ipsum de hoc puncto consulebat. Insuper in opusculo 19. quod est validissimum propugnaculum, pro Mendicantium Ordinibus, contra Guillelmum de sancto amore, & Sigerium quendam, Parisienses Magistros, multipharie sacrarum litterarum vsum religiosis vtilissimum tradit. Specialiter cap. 2. multis Sanctorum Patrum testimoniis, & exemplis confirmat, licere religiosis munus docendi. Et cum ad illud, addiscendi studium necessarium sit; prorsus etiam scientiarum exercitium illis consentaneum esse demonstrat. Sicque concludit. *Monachis maximè docere, & studere competit.* Ideoque in eodem cap. adstruit, posse religiosum ab aliquibus obseruantiis regularibus abstinere, *vt vtilitati communi vacet docendo.* Adhæc cap. 15. eiusdem opusculi, affirmat, imitatores Iuliani Apostatæ esse, *qui religiosis studium interdicunt.* Additque. *Eis præcipuè litterarum studium competit.*

Idem.

Idē S. Th. Quod non modo de sacris litteris, sed, & de sæcularibus scientiis etiam, dummodo ab illis, quæ nociua sunt resecentur, ex mente Hieronymi, & Augustini intelligit, his verbis. *Item, quod non solum studio litterarum sacrarum, sed etiam studio litterarum sæcularium laudabiliter vacare possint religiosi, expressè habetur per Hieronymum in epistola ad Pamachium monachū.*

D. Hier. *Si adamaueris captiuam mulierem: scientiam scilicet sæcularem, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, atque illecebras crinium, atque ornamenta verborum, cum vnguibus seca. Laua eam prophetali nitro, & tunc requiescens cum illa dicito: Sinistra eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis. Ex quo patet, quod, & monachis liceat sæculares scientias addiscere, dummodo ea, quæ ibi reprehensibilia inueniuntur,*

D. August. *secundum regulam sacræ Scripturæ resecentur; Item Augustinus in 2. de doctrina Christiana dicit. Philosophi, qui vocantur, si qua forte vero, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis*

iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vendicanda. Hæc omnia S. Thomas ex Hieronymo, & Auguſtino pro litterarum ſtudio religioſis commendando protulit; quæ non ſolum ſacrarum, ſed, & humanarum, etiam ſcientiarum, ſi rectè exerceantur, patrocinantur cauſam.

8 Accedit Seraphicus Bonauentura, qui in ſua illa pharetra, tota fermè ex Patrum dictis compacta, ex mente Auguſtini, & Bernardi, religioſorum ignorantiam, & deſidiam ſic carpit. *Rectè dicimus eorum animos, qui nullis diſciplinis eruditi ſunt, nihilque bonarum artium hauſerunt, ieiunos, atque famelicos eſſe.* Et poſt hæc. *Quando excuſare ignorantia poſſit hominem, qui ſe magiſtrum infantium, & doctorem inſipientium profitetur? Ignorans vtique ignorabitur, & multos ignorare faciet, & ignorari.* En quid ſentiat Bonauentura ſanctus de inſcitia regularium. D. Bonau. in phare. l. 3. c. 29

9 Venerabilis præterea Thomas de Campis, inter piiſſimos myſticæ Theologiæ Patres iure cenſendus, circa ſtudium, & lectionem ſacrarum litterarum, ſic admonet clauſtrales. *Tria ſunt omni religioſo neceſſaria; ſine quibus non poteſt diu ſtare in bona vita. Hæc ſunt; oratio, lectio, & operatio. In iſtis omni die ſe exercere debet, & ſemper in aliquo horum occupari.* Et infra. *Lectio debet eſſe quaſi oratio, & antequam legas præcedat oratio. Lectio ſacra ignorantiam noſtram erudit, dubia ſoluit, errores corrigit, bonos mores inſtruit, facit cognoſcere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad feruorem, incutit timorem, recolligit mentem, recreat faſtidioſum animum.* Iſti ſunt ſacrarum litterarum fœtus, quos ex illarum contubernio religioſus acquirit. In opere etiam. quod Vallis liliorum vocatur, ſic loquitur ad intentum. *Quod multi habeant multa dubia, non eſt culpa, nec vitium ſacræ ſcripturæ, ſed cæcitatis mentis eorum, & negligentia ſtudij in ſacris libris, qui continent æternæ ſalutis neceſſaria documenta. Igitur canonicas ſcripturas libenter lege, & expoſitiones Doctorum cum diligentia aduerte, & intelligere ſtude.* Alia ibidem pius iſte author. Th. à Cāp de diſcipl clauſt. l 5 Id. in vall lil. c. 21.

10 Accinit adhæc grauis author Ioannes Trithemius, qui in libro exhortatorio ad monachos ſæpius illis exercitium ſacrarum litterarum, neceſſarium eſſe docet. Serm. 4. ſic loquitur. *Monemus quod monachus in diuinis ſcripturis debet eſſe ſtudioſus, vt ſciat, quid eum ſancta mater Eccleſia iubeat credere, ac poſſit omnes errores fidei contrarios præcauere.* Clarius idem intentum proſequitur hom. 4 cuius ſcopus, & titulus eſt *De lectione, & ſtudio* Trit. ſer. 4

Idē hō. 4: *& studio diuinarum scripturarum ;* Vbi inter plurima alia hæc quoque. *Vos itaque fratres mei, si Dominum Iesum in toto corde vestro veraciter diligitis, si complacere illi super omnia, vt veri milites desideratis, si denique ad perfectionem vitæ monasticæ cupitis proficere, in lectione diuinarum scripturarum, debetis vos semper, cum affectione feruida occupare.* Et infra. *Vos autem maximè decet fratres, diuinas scripturas, quotidie legendo, & discendo. reuoluere: quibus, & tempus copiosum, ab occupationibus feriatum conceditur, & locus, raritate occurrentium, satis conueniens offertur. Idcirco vos hortor, & moneo, si vestram salutem diligitis, vt diuinas lectiones in manibus semper habeatis, quatenus omne tempus, quod vobis post orationis cultū, sine labore permittitur, ad sacræ scripturæ studium expendatur.* Insuper monachos litterarum sacrarum studia spernentes, stultos, & perditissimos petrones, stultissimosque tenebriones vocat, acerrimisque increpat verbis addens. *Nihil infælicius monacho indocto, qui studium sanctarum scripturarum, vel negligit, vel contemnit, quia nunquam potest in vera cordis tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propria contra monasticæ conuersationis integritatem, externis, mentem, & inutilibus occupare.* Tandemque concludit. *Quanto monachus in perdiscendis scripturis fuerit studiosior. tanto minus, carnalium voluptatum ardoribus inflammatur.* Hæc cum aliis grauis author Trithemius protulit, quibus clariora proposito nostro nec desidero.

Id:m. 11 Libet præterea his Patribus adiungere, quæ Ioannes Nider Dominicanus, circa id, quod comprobare intendimus, scripta reliquit; concinnè namque subseruiunt. *Octaua radix perditionis religiosæ est studij religiosi omissio, quæ iam mendicantium Ordines, eos comparando ad præterita, multum tendere facit ad occasum. Percepi idipsum ab ordine possessionatorum, & à viris optimæ conscientiæ, se non diu reformatos esse mansuros, nisi studium apud se resuscitarent. Habet igitur locum hodie in vtrisque illud Osee 4. Conticuit populus meus, eo quod non habuit scientiam; quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et infra. *Litteratorum enim virorum carentia in monasterijs; litteratis secularibus ingressum vetat; Ordinis prælatos reddit contemptibiles; vitiosos nescit corrigere; nec iuuenes credere, sicut oportet, suis rectoribus.* Hæc author iste, magis vere, quam eleganter, litterarum exercitium, monachorum,

Io. Nider tit. 2. c. 17

reforma-

reformationi, neceſſarium eſſe ſuadens.

12 Tandem, quæ Guillelmus de Peraldo vir doctus, & pius, circa monachorum ſtudia, damnaque ex regularium inſcitia orta, dixit, in medium producam. *Negligentiam lectionis in multis monaſteriȝ multa mala ſunt ſecuta. Primum ſubſecuta eſt inde cæcitas ignorantiæ, quæ inter maculas prima numeratur, propter quas à Deo miniſterio aliquis repellitur.* Rurſus. *Negligentia lectionis in multis monaſteriȝ collocauit monachos in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi. Quomodo immunditia caueretur, vbi quid eſſet immundum non agnoſcebatur? Quomodo præcepta regularia obſeruarentur, vbi non intelligebantur? Quomodo ſemitam religionis tenere poterant, qui cæci erant? Difficilius eſt enim tenere ſemitam, quam viam latam, & publicam.* Rurſus quoque. *Ex defectu ſapientiæ contigit in multis monaſteriȝ, vt ibi non ſanaretur, qui infirmus intrabat, vel qui infirmitatem incurrebat: ſicut enim ſalus eſt, vbi multa ſunt conſilia; ſic erit mors vbi nulla conſilia. Item ex eadem cauſa contigit, quod paruuli, qui intrabant monaſteria illa, non proficiebant; imo pro defectu cibi, ſpiritualiter peribant. Si enim petebant panem, non erat qui frangeret eis; vnde pro eſurie, & ſiti anima eorum in ipſis defecit. Ex eadem etiam cauſa contigit, quod illi, qui in monaſteriȝ impugnabantur, vincebantur, cum non haberent gladium ſpiritus, ſcilicet verbum Dei, quo hoſtes maximè inuiſibiles ſuperantur. Ex eadem etiam causa conſecuta eſt in monaſteriȝ ſimoniaca corruptio, tam in receptione monachorum, quam in inſtitutione Prælatorum. Item ex eadem causa contigit, vt monachi carnales delitias quærerent, cum ſpirituales non haberent. Anima enim rationalis nobiliſſima eſt creatura, & ad æternas delicias creata, ſine deliciȝ eſſe non poteſt. Item ex eadem cauſa contingit, vt in monaſteriȝ, de rebus maximis cura minima, & de rebus minimis maxima cura haberetur. Corpora procurabantur ſplendidè, & non curabatur de animarum refectione. Si ammittebatur aſina, quærebatur, & ſi peribat anima, non reputabatur.* Tandem ſic. *Monachi, qui ſunt in monaſterio, vbi deeſt ſapientia, ſunt veluti cæci iuxta foueas magnas, quas non cauent, quia non vident.* Hæc inter alia auctor iſte grauis, paucis a me mutatis, vel interiectis, de inſcitia monachorum, ignorantiaque quorundam regularium dixit, vt, vel ſic agnoſcant omnes, litterarum peritiã vtiliſſimam eſſe religioſorum cætui.

Guillelm. Perald. in ti. de prof. mon. 3. p. c. 3.

Idem.

Idem.

13 Quis tandem de re certiſſima, vel leuiter dubitare poterit,

cum constet ecclesiæ primates Patres, monachos fuisse, simulque litterarum, humanarum etiam, studiosissimos. Hoc ex ipsorum testimoniis, vel aliorum pro ipsis, liquidò innotescet.

Rufin. lib 11. hist. De Gregorio Nazianzeno, & Basilio sic Rufinus. *Diuina volumina non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & authoritate, commentando peruolebant.* De sancto Ephrem Basilij coætaneo, præclaroque eremi cultore, sic loquitur Gregorius Nissenus eiusdem Basilii frater. *Omnem, & antiquam & nouam scripturam, assiduo studio, studiosè versauit, accurateque ad verbum est interpretatus. Et ab ipsa procreatione mundi, vsque ad postremum gratiæ librum, quæ abdita, quæque arcana, ac recondita erant, spiritus adiutus lumine, commentarijs illustrauit.* De magno quoque Hieronymo in eius legenda sic habetur. *Quanquam variè morbis, doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda, pijs laboribus, & perpetua lectione, ac scriptione superabat.* Hac de causa latinam bibliorum versionem consignauit Ecclesiæ. Hæbreas (vti Cato Græcas) litteras in senectute perdidicit; Bethleem, & loca sancta adiit, & veteres omnes græcos, latinosque commentatores, teste *S.* Augustino, legit. Sed quid de eodem Augustino referam? Quis vnquam discernere potuit, in quo, num in monasticis perfectione, num in sacrarum litterarum studiis magis profecerit? Audiatur ipse. *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas, ab ineunte ætate, vsque ad decrepitã senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio, conarer addiscere.* En Augustini votum circa sacrarum litterarum studia. De sancto, ac venerabili Beda Benedictino monacho loquatur ipse. *Ego septenis monasterium ingressus, ibi tota vita, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiã disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper, aut discere, aut docere, aut scribere dulce fuit.* Quid de sanctissimis Patribus, Chrysostomo, Gregorio, Cyrillo, Ildefonso, Anselmo, Bernardo ex antiquioribus, & ex recentioribus, Thoma, Bonauentura, Alberto, Bernardino, & aliis dicam? Nisi statum religiosum, monasticumue, sacrarum litterarum studiis coli, perfici, & augeri, opere ipso demonstrasse. Sicque nullum sanè mentis fore credam, qui diuinarum litterarum studium perfectioni religiosæ obesse, contradicat. Solum id hæretici effutiunt, qui cum sua dogmata à monachis euerti sciant, litteris orbatos,

Greg. Niss. in vita S. Ephrem.

Legẽda D. Hieró.

D. August ep ad Volus.

Beda in hist. Angl.

orbatos, perciaque destitutos vellent; Catholici verò nec in somniis tale delirium patiantur.

14 Ast nobis vehementer obiicient, bonarum litterarum quidam osores, Patrum plures, antiqui, & noui æui, ipsarum litterarum studia monachis reprobasse, verbis, factisque interdixisse. Celebre est illud D. Hieronymi, quod habetur 16. q. 1. *Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium.* Celebre quoque illud Augustini 8. confess. cap. 6. *Surgunt indocti, & rapiunt regnum Dei, & nos cum nostris litteris demergimur in profundum.* De sancto quoque Benedicto narrat S. Gregorius, quod cum Romæ liberalibus litterarum studiis traditus esset, à tali exercitio, quantocius pedem retraxit, ne in immane præcipitium totus iret. Addens. *Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus.* Auctor etiam est Cassianus Theodorum monachum sanctum, rudem quidem, sed diuino lumine peritum, dicere solitum. *Plus in vitijs extirpandis, quam libris euoluendis operæ ponendum esse.* Ad hæc Hugo Victorinus sic inuehitur in monachũ studiis litterarum deditum. *Tu monache, semper ieiunijs, & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? Simplicitas monachi, philosophia eius est.* Sanctus quoque Bernardus in sermone de tentationibus monachorum inter eas reponere videtur exercitium litterarum: sic enim docet. *Scimus monachi officium esse, non docere, sed lugere.* Et quod magis est, seipsum litteris, & lectioni addictum lamentatur, istis verbis. *Væ mihi, quia ista dico, & ista non facio.* Et infra. *Plus diligo lectionem, quam orationem. Verumtamen nihil aliud me docet diuina scriptura, nisi religionem amare, vnitatem seruare, charitatem habere. Ego autem miser, & miserabilis, citius curro ad lectionem, quam ad orationem: libentius volo legere, quam missas auscultare. Expectat me aliquis volens de necessitate sua mihi loqui; ego verò libri aliquem accipio lego in eo, & legendo amitto fructus charitatis.* Petrus quoque Damianus insignis auctor, Cardinalis, & monachus, totam epistolam 17. in eo consumit, vt Ariprandum monachum a litterarum studiis penitus amoueat. Demum Sanctus Aegidius B. Francisci comes quondam dicebat. *Sufficit scientia bene, beateque viuendi.* Quibus omnibus ea, quæ superius diximus, de litterarum exercitiis, euerti radicitus videntur.

D. Hier. in cap. ad Riparium
D. Augustin.
D. Greg. 2 dialog.
Cass. l. 3. de instit.
Hugo de claust. an. l. 3.
S. Ber. ser. 64
Idem in medit. c. 7
Pet. Dam.

15 Maximè id secundò stabiliri posset; quia si litterarum exercitium monachis necessarium est, ideo necessarium est, vt insciția, ignorantiaue euertatur. Hanc verò potius per oratio-

nem tolli suadent Antonii, & Pauli antiquiores monachi, qui sine litterarum, gymnasiique concursu doctissimi euaserunt. Et ex recentioribus Franciscus vterque, Assisius, & Calaber, Francus Senensis, Didacus Complutensis, & alii, qui scholasticorum concursus abhorrentes, perfectissimi monachi euaserunt, nec indocti, mysticæ solum Theologiæ studio, quod orationis mentalis exercitio habetur. Quin ex Marci Maruli verbis idipsum comprobare libet. *Hor montis Nitriæ Abbas litteras non didicerat, & oblato sibi libello, cum orasset, legere cæpit: neque minus doctrinæ illi, vnius, aut alterius horæ contulit oratio, quam alijs, multorum annorum studium.* Quam etiam vim habuisse Sancti Romualdi orationem in eodem loco idem Author describit. *Romualdus Abbas Ordinis Camaldulensis, cum ad Sutrij montis monasterium deuenisset, & ibidem missam celebraret, aliquamdiu in extasi raptus stetit. Post hæc, Psalmorum meruit effici expositor, quorum paulo ante, nec lector quidem satis idoneus fuerat. Dum enim ipsum Dei Verbum, quod tunc manibus contrectabat, intentius, aut etiam attentius considerat, sanctorum verborum percipere meruit anagogem, latentemque sub littera sensum. Plurimorum annorum studium ad tantum diuinæ eruditionis profectum nunquam illum extulisset, ad quantum die vna Christi perduxit contemplatio.* Accinitque Hugo Victorinus dicens. *Ad sacræ Scripturæ cognitionem, opus est intima compunctione, magis quam profunda inuestigatione; suspirijs, quam argumentis, crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus; lachrymis, quam sententijs; oratione quam lectione; gratia lachrymarum, quam scientia litterarum; cælestium contemplatione, magis quam terrestrium occupatione.* Si ergo ob vitandam ignorantiam, litterarium exercitium in religionem inducimus, facilior nobis demonstratur via, oratio nempe: ac proinde iustum videtur, scientiarum vsum à Christi schola, quæ est monachalis professio, relegare.

Marc. Marul in op. de religioso vivendi instit. l. 2. c. 2.

10 Id tandem non incongrue corroborant, a viris probatis exempla relata; quibus, nociuam esse regularibus scholasticam exercitationem, conuinci videtur. Mirabile in primis est, quod ex actibus S. Francisci graues auctores adducunt. Frater Ioannes de Stracia, tempore Sancti Francisci, ex Ordine ipsius minister erat Bononiæ, vir doctus, & litteratus. Absque licentia tamen S. Francisci Bononiense ordinauit studium. Ob quod talem ab ipso Francisco increpationem meruit accipere. *Tu vis*

destruere

destruere Ordinem meum. Desiderabam enim, & volebam exemplo Domini mei, fratres meos, magis orare, quam legere. Quin rediens Bononiam dira maledictione prædictum Ioannem affecit. Qui statim infirmari incipiens, & decumbens, ad Sanctum Franciscum misit, vt retractaret maledictionem. Cui respondit: Quod illam iam confirmasset Dominus Iesus in Cælo, vt esset maledictus. Accidit quoque, vt subitò quædam gutta ignea, & sulphurea, de alto, supra corpus infirmi caderet, quem, & lectum, in quo iacebat perforauit: sicque miser maximo cum fœtore expirauit postea. Tremendum hunc casum Fr. Antonius Perez Benedictinus ex libro exemplorum Patrum retulit. In libro quoque Corona Virginis nuncupato, & per Fratrem Mauritium de Villa probata compositio, hæc habentur in prologo. *Cum frater quidam valde religiosus tempore D. Innocentij IV. super quendam ligatum Dæmoniatum deuotè oraret; cœpit clamare per os eius. O quot mala mihi facitis vos Prædicatores, & Minores? sed breui nos vindicabimus de vobis. Cum eum frater per crucifixum adiuraret, vt diceret, quomodo? Coactus respondit: Duo de magnis principibus nostris exierunt contra vos. Vnus, vt prælatos, & principes concitet contra vos. Alius, vt vos mutationibus locorum, & ædificiorum, & librorum, & opinionum impediat, & perturbet.* Ecce quomodo perturbatio librorum, & opinionum, quæ litterarum exercitium comitatur, effectus dicitur principis Dæmoniorum. In eo iem quoque libro sermone 3. exemplum quoddam affertur, quod absdubio intentum istud roborare videtur. Auctoris en verba. *Exemplum etiam de illo scholastico Parisiensi, qui apparuit magistro suo post mortem, habens pallium suum schedulatum multis sophismatibus, & plenum multis syllogismis. Et quærente magistro quomodo sibi esset? Dixit, quod cappa illa plus ponderabat, quam aliqua turris mundi, & quod intus indicibiliter vrebatur. Tunc magister eius dixit, cum deuotus mori visus sis, quid hoc est? Ille dixit: Vis ne modicum experiri? Extende manum tuam. Quod cum fecisset; ille scholaris distillat vnam guttam sudoris in manu ipsius magistri. Et statim cum magno dolore manus eius erat perforata. Et ipse scholaris euanuit ab oculis eius. Tunc magister dixit:*

Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis:
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et intrans religionem Clareuallensem, arctam egit pœnitentiam. Hæc iste author. Ex illis verò satis clare elici videtur intentum.

Ant. Perez in Bibl. f. 1m.

Corona Virg. in prolog.

Ibi. ser. 3.

ac perinde inutilia videri, ea, quæ in fauorem litterarum, pro regularibus, superius adduximus.

17 Verum enim verò, quæ nos attulimus, vt studia scientiarum in religionibus inserantur, solidiora, robustioraque sunt. Quæ verò in contrarium obstant, leuidensia, lanea, testaceaque, reputari debent. Ea enim, vt puto, tantum conuincunt, ea litterarum exercitia, in quibus religiosi, non Dei honorem, & gloriam, sed solummodo humanam opinionem, vanumque sæculi applausum desiderant; vana quoque, inutilia, immo, & noxia reformationi esse. Et propter hanc causam munus docendi, religiosis interdicia Hieronymo, & Bernardo adductis. Optimè quoque ab Hugone loco iam citato per hæc verba. *Si tamen Doctor esse desideras, audi quod facias. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ docere habent homines.* Solum ergo inhonestum, vitiosum, vanumque scientiarum studium in religiosis carpi dignum est, vanas etenim, vaniloquas, loquaces, arrogantesque litteras penitus a religiosis, tamquam pestifera dogmata relegandas censemus. Scientiam inflantem superbi solum sæculares amplexentur: ædificantem tamen doctrinam monachi etiam prosequantur. Primos accubitus in mensis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, pharisæi quærunt. Regulares tamen, humilitate, paupertateque Christi retenta, sciant Christum, & hunc crucifixum. Contentiosam, altisonam, tubisque concrepantibus proclamatam scientiam, vt pestem exhorrescant. Quisecus sciunt, a Domino per B. Brigittam sic corripiuntur. *Hæc est sapientia eorum, loqui pulchre, & agere male: simulare se meum, agere nequiter contra me.* Et alibi de quodam religioso tali morbo vanitatis infecto, sic loquitur idem Dominus. *Melius est illi ad salutem cum deuota simplicitate orando legere Pater noster, quam de tam subtilibus, propter vanum mundi nomen sophisticè disputare.* Et rursus. *Ille religiosus loquax non desiderat medicinam, qua stercus scientiæ vanitatis est in ore eius.* Ergo tria maximè necessaria sunt regularibus, vt litterarum vsus, & exercitium, tam ipsis, quàm religioni, commodum, vtilitatemque afferant. Quæ omnia ordine solito, ex sanctorum Patrum, grauissimorumque auctorum mente comprobare libet.

Hugo vt supra.

S Brig l. 1. reuel. c. 56

lib. 6 c. 77

lib. 5. c. 90

18 Primum ergo, & generale documentum, monachis sacrarum litterarum studiosis, præ oculis habendum, illuderit, vt semper orationem, & studium sic coniungant, vt sibi vicissim succedant;

succedant, mixtim tractarentur, & alternis vicibus exerceantur: hoc monet Hieronymus. *Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Et in regula monachorum per lupum collecta, idem subindicat. *Tunc scriptura vtilis est, cum absque Christo non discitur; cum sine patre non probatur, cum sine Spiritu sancto, &c.* Absdubiè docere volens, Dei præsentiam, quæ per orationem habetur, iure cum studio litterarum admisceri. Idem imitatur Sanctus Athanasius in exhortatione monachorum dicens: *Orationes sola intercapedo legendi intercidat.* Ad idem D. Bernardus. *Dei seruum sine intermissione legere, & orare oportet.* Ecce mixtionem. Clarius in speculo monachorum. *Post lectionem est orandum, & si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quam saporem. Est autem scriptura sacra puteus Iacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur. Nec semper ad oratorium est eundum, sed in ipsa lectione poterit contemplari, & orare.* Ecce modum studendi, tibi, ò monache à Bernardo præfixum. Idem facit Anselmus in suo carmine, sic.

D. Hieron. ep. ad Iouin.

Id. in reg.

Athanas. D. Ber. de ord vitæ Idem.

Distinctisque legant spatijs, operentur, & orent.

D. Anſel. in carm.

S. quoque Nilus Abbas in suis pæraenetibus. *In labores, & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inueniet Diabolus.* Rursumque in cap. 57 de oratione. *Sies Theologus, verè orabis, & si eris Theologus, & verè orabis, Theologus verè eris.* Ac si diceret, tunc religiosum bonum Theologum euasurum, cum Theologiam, cum orationis exercitio attemperet. Idem, vtputo, sibi volebat Bonauentura, cum dicebat. *Stude semper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione.* Clarius hoc habet Thomas Campensis. *Lectio debet esse quasi oratio, & antequam legas, præcedat oratio.* Et infra. *In qua operatione oratio præeat, oratio intercurrat, oratio totum finiat.* Bellè quoque, & dilucidè Ioann. Trithemius hom. 7. *Labores monachorum ita sunt moderandi, vt nunquam à diuinis vacent colloquijs, sed inter opera manuum, in corde meditatio ferueat scripturarum, quæ posteaquam in odorem spiritus mentem perduxerit, mox in orationem deuotissimam commutetur.* Clarius tamen Aluare zde Paz doctus Iesuita, sic habet. *Religiosi, qui litteris vacant, lectiones, quas audiunt, priuatum studium, quo occupantur, disputationes, quas ineunt, & cætera ad litteras*

Nilus 5. t. biblioth.

Bonau. in Reg nou c 2. Th Cā. Li. 5. disc. c. 3 Trithem.

Paz de vita spirit. Lec 3.

ad litteras pertinentia, ab oratione incipiant, oratione interrumpant, in oratione definiant, &c. Infra quoque. *Breues orationes in principio, & medio, & fine studij litterarij fundantur.* Ecce modum studendi, ecce intentum, ecce mixturam exercitii litterarii cum oratione.

19 Omnium tamen clarius, simplicius (vt solet) & humano ingenio varietate gaudenti congruentius, S. Vincentius Ferrer. Hispanię, & grauissimæ Prædicatorum familiæ decus, qualiter religiosus omnis, lectionem, seu studium cum oratione, alternantibus vicibus, seu permixtim exercere debeat, his verbis exposuit. *Nullus quantumcumque pollens ingenio debet omittere ea, quæ possunt cum ad deuotionem excitare: imo qui legit, & studet debet ad Christum inflectere, cum ipso loquendo, & ab ipso intelligentiam postulando. Sæpe dum actu studet: à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clausis, se in Christi plagis abscondere; & iterato se ad librum conuertere. Etiam quandoque debet à studio surgere, & in cœlum flexis genibus, aliquam ignitam orationem, cum breuitate ad Deum fundere, vel cellam egredi, Ecclesiam, claustrum, vel capitulum circumire, secundum quod Christus confert, & aliquando oratione formata, vel informi, per gemitus, & suspiria, de ebullitione cordis diuinum auxilium implorare, vota sua, & desideria altissimo præsentando, & Sanctorũ ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoque agitur, sine psalmis, & sine quibuscumque orationibus externis formatis verbo; quamuis hoc aliquando initium sumpserit, vel ex aliquo versu psalmi, vel loco alterius scripturæ, siue alicuius sancti, nobis interdum Deo inspirante interius. Cum autem ille feruor Spiritus transierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam reuocare, ea, quæ paulo ante studueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus. Quo facto, iterato ad studium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & sic alternando commutes. Nam per huiusmodi commutationem in oratione, maiorem reperies deuotionem, & in studio intelligentiam clariorem.*

D Vincẽ. de vit. spir. c. de sõno &c.

Omnia hæc sanctus, & religiosissimus Vincentius, ideo à me sigillatim transcripta, quod credam; facillimum, vtilissimumque modum studendi, & orandi, religiosis omnibus; his verbis expræfum. Nec aliquem putauerim, huiuscemodi exercitio addictum, qui breui spatio, doctus, & spiritualis non euadat. Nec mirum, quia vt Bonauentura quondam dixit. *Lectio dat materiam, & quasi semen bonæ cogitationis, oratio rigat, & adperfectum*

D Bonau de infor. nouit. p. 2 c. 4.

tum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam. Nullus ergo adeo hebes, rusticus, aut tardus ingenio, inter regulares inueniri potest, qui huiusce modi exercitium amplexus, non breui sufficienter doctus, gnarus litterarum, & mysticè sapiens, euadat.

20 Hoc ipsum quoque ex cælesti reuelatione per Angelum facta B. Antonio antiquissimo monachorum Patri innotuit. Cassum verò ex S. Ephrem verbis capere possumus. *Sanctus Antonius olim in eremo constitutus, ac torpori, variisque cogitationum tenebris obnoxius, sic ad Deum locutus est. Domine cupio saluari, & non me sinunt cogitationes improbæ: Quid in tribulatione mea agam? Et quo pacto salutem consequar? Paululumque foras digressus, vidit quendam Antonius sedentem, & operantem, ac deinde cessantem ab opere, & orantem, rursusque confidentem, & catenas operantem, atque iterum opus suum relinquentem, atque orantem. Erat autem Angelus Domini ad dirigendum, instituendumque Antonium missus. Audiuitque Angelum sibi dicentem: Sic fac, & viues.* Hoc ipsum religiosis studentibus agendum puto; itaut orationis, studiique permixtum exercitium, alternantibus vicibus, semper exequantur. Hinc etenim æternam vitam in veræ studiositatis præmium habebunt. Et hæc de primo documento regularibus litterarum studiosis necessario; nunc ad alia procedimus. S. Ephrem in enarra. ss. Patr.

21 Secundum documentum illud sit, in eo præcipuè monachum studentem curam præstituram, vt id, quod studet, scit, legit, aut docet, in finem charitatis, amorem Dei, & proximorum dirigat. Id Patres docent, dum illud Pauli præ manibus versant. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Ad quod Ambrosius hæc. *Tunc scientia magna est, & vtilis, si charitate humilietur, vt amplius crescat. Temperatur enim a dilectione, vt non satis mera sit, & inebriet scientem, vt se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat, ita, & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata.* Ad idem D. Augustinus. *Scientia ad finem charitatis adhibita multum est vtilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est.* Idem docuit Angelicus Doctor, cum enim contra religiosum æmulos defendendum statuisset; licere religiosis studium litteratum, obiiciens sibi illud Pauli. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Subiungit. *Ad illud quod obijciunt, quod scientia inflat, dicendum est: quod est intelligendum, quando scientia est sine charitate. Vnde glossa ibidem dicit, scientia inflat, si sola est* 1. Cor. 1. D. Ambr. D. August epi. 119 S. Th. op. 19 c. 11.

est. Et infra. *Addite ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia. Vnde in illis, qui charitatis operibus insistunt, minus est periculosa scientia.* Alibi quoque loquens de deuotione, & scientia sic habet. *Dicendum, quod scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo consideret de seipso, & ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quod huiusmodi quãdoque occasionaliter deuotionem impediunt. Et in simplicibus, & mulieribus deuotio abundat elationem comprimendo.* Addit tamen Sanctus Doctor. *Si tamen scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur.* Idem dicam de charitate, quod si ad illam scientia religiosorum dirigitur, augebitur deuotio, & spiritualis dulcedo; sin vero; solum inflatio vanitatis adquiritur. Vnde D Bonauentura. *Cum charitas ædificando non erigit, scientia inflando pertinet.* Moxque. *Scientia cauenda est, ne inflet. Ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem, quia charitas ædificat, & non permittit inflari scientiam.* Optime quoque Laurentius Iustinianus. *Cui præsto est scientia plurima, & sacra legis intelligentia perspicua, desitque illi bonitatis operatio, virtutum experientia, Dei, ac proximi fragrantia, parum sibi, & cæteris proficit.* Ergo vt intentum satis euidens concludam; religiosi omnes, litterarum studiis addicti estote, verumtamen condimentum charitatis apponite, ne scientia vestra insulsa, & insipida inueniatur. Dilectione Dei, & proximi feruete. *Hic phisica, quoniam omnes omnium naturalium causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam, cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diligantur; hoc est, Deus, & proximus. Hic logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicæ salus, &c.* Hæc Ioannes Niderus quondam ex Augustino retulit.

2.2.q.82 a.3.ad 3

Pona.l.4 pharet. c. 45.

Laur Iust. de inst. & reg pr.c.6

Nider li 3 de fruct. relig.c.10

22 Sit præterea tertium documentum pro studentibus in religionibus apprimè, & quam maximè necessarium; vt scilicet omnia eorum studia, humilitate fundentur, humilitate erigantur, humilitate proficiant, humilitateque totum suum incrementum accipiant: &, vt vno verbo dicam curare debent religiosi, vt totam, quam addiscunt scientiam: humilitatis, & modestiæ sapore sic condiant, vt vanitatis, curiositatis, inanisue gloriæ, cute detracta, acceptabile Deo fiat sacrificium. Hoc ex Patribus facillimè comprobatur. Ex quibus Ambrosius. *Quem fructum habebit, aut*

Ambrof. epi 84.ad demetr. 2

hit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides! &c. Ac si diceret: Nullum. Optime etiam Bernardus; quærens enim quo fine scientia adquiri debeat, sic inquit. *Quo fine? Vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, & proximi.* Et subiungit. *Sunt namque qui scire volunt, eo fine tantum, vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profectò non euadent subsannantem satyricum, & ei qui eiusmodi est decantantem.*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, v. causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Pulchrè etiam Bonaventura ex mente Gregorii, sic habet. *Cum summa cura prouidendum est, ne accepta scientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat.* Quod adeo necessarium est, vt vera sapientia, & ad æternitatem proficua, non nisi per humilitatem haberi possit. Docet id D. Augustinus ad Dioscorum. *Non aliam ad capessendam, & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam, viam munitas, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est prima humilitas; secunda humilitas; tertia humilitas; & quoties interrogaret hoc idem dicerem. Itaque sicut Demosthenes, in eloquentia, pronunciationi, primas, secundas, tertias, dedit: ita ego in Christi sapientia primas, secundas, tertias, dabo humilitati.* Hæc forsan de causa D. Bernardus sermone quodam dixit. *Necesse est, vt cognitio sui ipsius præcat scientiam nostram.* Quia, scilicet, humilitas necessaria est, ad veram scientiam maximè religiosis viris, adquirendam. Ad quod pulchrè etiam Bonaventura. *Castitas, & humilitas sunt pedisequæ sapientiæ, iuxta visionem Gregorij Nazianzeni: Si vis me, quæ sum sapientia, serua pedisequas meas. Munditia ergo cum humilitate est principalis columna sapientiæ.* Et in alphabeto boni monachi sic. *Zachæe frater descende de altitudine secularis scientiæ, & dise in schola Dei viam humilitatis, &c.* Quin, vt intentum concludam, illius religiosi scientia, quæ humilitate, & modestia, aptata, temperataque fuerit, plus Ecclesiæ, Ordinique confert, quam plurium, aliorum, qui insolenter, superbe, vanè, aut inani gloria capti, scientias adquisierint. Grauis, & pii religiosi hæc sunt verba.

D. Bonau. l. 4 phar. c 45

D. August

Ber. serm. 37. in Cāt.

Bonau. t. 1 de lumin. Eccl. ser. 2

In alphab lit. Z

Paz t. 1. de vi. spir l. 2. c. 33 *Magis iuuat Ecclesiam Dei vnus religiosus, qui sanctè, modestè, & circumspectè scientijs fluduit, quam mille, qui insolenter seipsos, & suum honorem quarentes, litteris vacauerint. Plures ille vna concione feruenti conuertet, quam isti mille sermonibus.*

23. Ex his ergo manifestè liquet, perditissimam esse illorum regularium conditionem, (si qui sunt, quod non credam) qui huiusce modi documenta spernentes, ad inanem hominum gloriam aucupandam, aliquemue honoris gradum adipiscendum, non ad Dei honorem, studiis litterarum vacant. *Horum studia* (inquit Bernardus, vel quidam eius spiritum sapiens *vana sunt, nugigerula, verbosa, contentiosa, curiosa, ambitiosa, etiam sanctum animum, vel iam perfectum dissipant; & corrumpunt.* Plures illorum forsan, linguosi, loquacesque concionatores, seipsos, non Deum, prædicantes, euadent. *Arrogantes isti* (inquit Gregorius) *cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant, si hanc eos occultam habere contingat. Nusquam quippe suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt.* Et rursus. *Hanc partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat, quam ostendat, quia nimirum omnes elati, scientiam habere non appetunt, sed ostendere.* Et infra. *Non enim loquendo curat, quid prosit, nec studet, vt malum, quod cernit, corrigat, sed bonum, quod sentit, ostendat,* Nec mirum sanè, quia, vt bene Bonauentura loquens de scientia istorum. *Est fluuius torridus, exsiccans flumina gratiarum: fluuius turbidus obfuscans splendores intellectuum; fluuius tepidus tepefaciens amores affectuum; fluuius turgidus tumefaciens expressiones affatuum.* Isti erunt vt in plurimum, scioli pauca scientes, & multa præsumentes, semidocti, aut semiliterati, ac perinde animarum seductores, vt Sancta Teresia docuit, & experientia monebit. Demum, vt vir doctus, & pius disertè dixit. *Scientia istorum* (si aliqui tales sunt) *est scientia arrogans, & procax, & inuerecunda, seipsam exagerans, nouitates consectans, magistros, ac præceptores parui pendens, & aut minus subtiles, aut nimis scrupulosos accusans. Est scientia libertatis amans, observantiæ inimica, relaxationis cupida, quæ disciplinam fugit, mortificationem timet, seniorum monitiones auertatur; regulas, vt non seruet, interpretatur. Est tandem non sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Et rursum. *Est scientia superba, & ambitiosa, quæ in teneris annis, & in principio religiosæ vitæ, iam ad primas sedes, ad cathedras, ad pulpita, & ad relationes aspirat. Est scientia inuida laudis alienæ, ac condiscipulorum*

Autor de vita solit. ad frat de mõt. Dei

Greg. a 3 mor. c. 10

Ibidē c. 9.

Ibidē c. 11

D. Bonau. t. 1. in principio

S. Teresia c. 5

Paz de vita spir. t. 1 l. 2. c. 33

Idem.

pulorum ingenio, & profectibus mœrens, quæ opinioni, ac laudi prouectiorum inuidet, subtilitatem, & diligentiam æqualium contemnit, minorum imperitiam, & ruditatem irridet, & sola ab omnibus laudari, & in vniuersorum ore versari studet. Est scientia curiosa animis, nihil quærens, nisi quæ intellectus intemperantiæ satisfaciant, & ostentationi; ac plausui deseruiant, non quæ fratrum saluti proficiant, Quid tandem de istis dicam? Certè nō aliud, nisi illis forsan euenturum, quod cuidam Religioso ex reuelationibus S. Brigittæ accidisse nouimus. Dicebat quidam religionis cuiusdam, quam sciens non refero, Religiosus. *Ego addiscere volo, artes liberales, & scientiam, adhoc, vt ex illa, honorem, & dignitatem aliquam habere valeam.* Christus Dominus de hoc, & similibus ad S. Brigittam respondit. *Iudicabuntur ad pœnas infernales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere.* Lib. 7. reuel. c. 20

Ex ijs forsan vnus erat quidam magnæ æstimationis, cui us vitia Beatissima Virgo Maria in quadam reuelatione ad S. Brigittā *l. 3. c. 22.* sic expressit. *Quid vides in isto, qui astat reprehensibile? Respondit illa. Quod rarissimè dicit Missam. Cui Mater: non est ideò iudicandus. Sunt enim multi, qui factorum suorum memores rationabiliter abstinent, & non minus mihi sunt accepti. Sed quæ vides in eo alia? Et illa. Quod non habet vestes à B. Benedicto institutas. Cui Mater. Contingit multoties, quod consuetudo quædam inchoata, & omnes, qui sciunt eam esse malam, & imitantur reprehendendi sunt, qui vero ignorant instituta laudabilia, essentque libenter contenti de abiectioribus, si non consuetudo longinqua præualeret, tales non sunt faciliter, & improbè iudicandi. Sed audi, & indicabo tibi, quod in tribus alijs reprehendendus est. Primo, quod cor eius, in quo Deus quiescere deberet, est in pectore meretricum. Secundò, quod dimisit modicum suum, & concupiscit multa aliena, promisit abnegare seipsum, & sequitur totam propriam voluntatem. Tertiò, quod Deus creauit animam suam pulchram, quasi Angelum, & ob hoc deberet habere Angelicam vitam, sed modo anima eius habet imaginem illius Angeli, qui per superbiam à Deo apostatauit. Hic apud homines magnus est, sed qualis apud Deum, nouit Deus. Ipse enim Deus est, sicut ille, qui clausum aliquid habet in pugno, abscondit illud ab alijs, donec aperit pugnum. Sic Deus infirma eligit, & coronas eorum in præsenti abscondit, donec vnicuique reddet secundum opera sua.* S. Brigitta

24 E conuerſo tamen illorum regularium ſtudia, quæ, oratione concocta, humilitatis, & charitatis ardore digeſta, ad Dei honorem (prout multi faciunt) ordinantur; & ipſis ſtudentibus proficua, Eccleſiæ quoque, & religioni ſalutaria eſſe conſpiciuntur. Dei regnum cumulant, Diabolique poſſeſſionem diripiunt. De iſtis Gregor. *Sancti partem ſuam reputant, ſi intus quidem ipſi de ſapientia gaudeant, foris autem alios ab errore compeſcant. Neque à ſe, ita loquendo exeunt, vt gaudium mentis in oſtenſione ponant diſſertæ locutionis, ſed bonum ſcientiæ in cordis ſecreto meditantur.* De iſtis etiam D. Bernardus, vel author ad fratres de monte Dei vbi ſupra. *Studia hæc litteratoria non ſunt, non cauillantia, non diſputantia, non garrula, ſed ſpiritualia, pacifica, & humilia, humilibuſque conſentientia. Quæ, etſi foris exercentur, intus potius aguntur in ſpiritu mentis, vbi renouatur homo de die in diem.* Et infra. *Studia hæc ſilentium amant, quietem deſiderant cordis, in labore corporis paupertatem ſpiritus, & pacem in exterioribus preſſuris, & bonam conſcientiam in puritate cordis, & corporis.* Abſque dubiè etiam de iſta iſtorum ſcientia loquebatur D. Laurentius Iuſtinianus dicens. *Vtilis eſt ſcientia, cum perducit ad ſapientiam, cum diuinitatis radios oſtendit, cum Verbi præbet notitiam, cum ad cœleſtia contemplanda animum attollit, cum ad Deum quærendum, & poſſidendum omnia cordis interiora inflammat.* Tandem hæc iſtorum regularium ſcientia viuis coloribus depingitur, à pio, grauique, ac religioſo moderno, hiſce. *Eſt ſcientia modeſta, & humilis, quæ ſui contemptum, proximorum conuerſionem, & Dei laudem concupiſcit. Diligenter ſtudet, ita vt ſuo tempore valeat poni ſuper candelabrum, ſed ipſa, ſi Deo ita viſum fuerit, magis cupit latere, & eſſe ſub modio. Eſt charitatis plena, quæ de profectu diſcipulorum gaudet, illos amat, illos reputat, illos laudat, & ſi doctiores, aut ingenioſiores habeantur, non mœret, ſed vehementer exultat. Eſt ſapiens, eſt diſcreta, & plena prudentiæ, non eſt violenta temporis depræda trix, ſed ſuis horis contenta, alias liberrimè orationi, & muneribus obedientiæ concedit. Eſt ingenua, ac verecunda, & circumſpecta, quæ non libertatem, ac priuilegia, non exemptiones affectat, ſed in id ſemper tendit, vt regulam diligenter ſeruet, & teneat diſciplinæ cenſuram. Eſt denique ſapientia deſurſum deſcendens, &c.* Hæc, & alia, quę ſciens omitto, boni, perfectique religioſi (quales multi ſunt) ſcientiam meretur. His, & potioribus digna eſt præconiis, his gaudet epithetis.

D. Greg. vt ſupra c. 10

D. Bern.

Laur. Iuſt. de caſt. con. c. 14

Paz vbi ſupra

thetis, ac denique est vera scientiæ Dei participatio, angelicæ imitatrix, humanæ conditionis consolatrix optima. Vtinam omnes hac peritia frueremur. Concedat id nobis Deus Opt. Max. vt quilibet Hieronymianum illud verè fari possit. *Sic fludeo tanquam semper victurus, sic viuo tanquam cras moriturus.* Hieron. ep. 11. ad Acheru.

Plures exempti, & priuilegiati in Religionibus obseruantiam regularem euertunt.

CAP XII.

1 INterea mala, quæ ex inordinato, vanoue, aut superbo scientiarum, aut litterarum vsu, euenire possunt, & forsan sæpe sæpius euenient; illud in primis censendum venit, quod non pauci religiosi, sub alicuius litteraturæ, scientiarumue peritiæ prætextu, super omnes alios extolli cupientes, exemptiones, priuilegia, immunitatesque in ipsis religionibus quærant. Hoc ante nos expertus videtur D. Gregorius magnus, dum in suo pastorali dixit. *Sæpe dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate disiungit, & quo plus sapiunt, eo à concordiæ virtute dissipiscunt.* Hac de causa, postquam de recto sacrarum litterarum vsu regularibus permittendo, sermonem habuimus placuit nunc de ipsorum exemptionibus, immunitatibusque differere. Hoc igitur capitis huius intentum erit; videlicet: multitudinem exemptorum in religionibus magna non perurgente causa, immunitatibusque, seu priuilegiis, quo ad obseruantias regulares, fruentium, reformationi religionum obstare, regularemque obseruantiam euertere. Hoc quidem cum grano salis intellectum, (ne Sanctissimarum quarumdam religionum legibus, vsui, laudabilique consuetudini obuiam ire videamur) ex Patribus, morem solitum seruando, comprobare decet. D. Greg. 2 past. c. 13

2 Audiatur primus magnus Basilius, qui in sermone de institutione monachorum, inuidiæ, odiique materiam, ac seminariũ appellat, quod inter monachos, aliosque regulares, inæqualitas ista sit priuilegiorum, immunitatum, & exemptionum à communibus obseruantiæ regulis. Hæc Basilius. *Vbi æqualitatis defraudatio est, inuidia, odiique materia, ac seminarium extitit, iis, qui defraudantur.* Vnde concludit. *Quemadmodum igitur Deus promiscue* D. Basil ser. de instit mon.

promiſcuè omnibus lucem impartitur, ſic imitatores Dei, charitatis ipſorum radium aqualiter communicare omnibus debent. Ecce Baſilium, de hac cauſa ſic ſentientem.

3 Accedit Sanctus ille, egregiuſque monaſticæ perfectionis zelotes Ephrem Syrus, ex quo pauca quædam, nec tamen inutilia, excipere valui. Adhortatione prima ad monachos, hæc habet. *Aequalitas inter monachos extirpat ſuperbiam, & humilitatem ipſis familiarem reddit.* Quibus clarè denunciat ſingulares exemptiones monachorum, ſuperbiam nutrire, & humilitatem extenuare. Vnde quondam ſic admonet monachum. *Frater, dignus es habitus ſancto indumento monaſtico? Ne extollaris aduerſus ſpectantes. Non enim videri aliquem primum eſſe, virtus eſt.* Attendat hæc monachus, nec velit primus inter fratres per priuilegia videri. Audiat, & ſequentia. *Vide frater, ne forte dum vis primus ſupra fratrem tuum eſſe, minimus inueniaris in futuro ſæculo. Tuncque audias, quod audiuit prædicus ille ambitioſus, qui vritur igne illo inextinguibili: fili recordare, quod receperit bona in uita tua. Scriptum eſt, quæ alta ſunt hominibus abominabilia ſunt coram Deo: Numquid oblitus es dicentis; Qui cupit inter uos magnus fieri, ſit ueſter miniſter. Cogita ergo, quod mortuus ſis mundo.* Hęc, & alia pius hic Pater, priuilegia, ſingularitateſque quorumdam regularium damnans, æterniſque pœnis, cum diuite epulone adiudicans.

s. Ephrem paræn. 1

Idem parænn. 17.

P 4 -18

4 Ex Chriſoſtomo etiam, qui os aureum eloquentiæ iure vocatur, aliqua, nec incongrua, propoſito noſtro, inducere poſſumus. Laudat S. Doctor monachos, & cœnobitas, propter æqualitatis vitam, ſummamque conuenientiam quo ad omnia, in ipſis repertam; ac proinde reprobare videtur inæqualitatem ex huiuſmodi priuilegijs, & exemptionibus ortam. Chriſoſtomus ſic loquitur. *Nullus ibi* (inter monachos, & cœnobitas) *paupertatẽ exprobrat. Nullus diuitijs honeſtior eſt. Inde id, quod omnia perturbat, & peruertit, meum, & tuum penitus eliminatum eſt. Cuncta quippe illis communia ſunt, menſa, domus, indumentum, & quod ſanè mirabilius eſt, vnus etiam idemque animus omnibus eſt. Omnes eadẽ ſunt nobilitate nobiles, omnes eadem ſeruitute ſerui, eadem libertate liberi. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, unæ delitiæ, unum deſiderium, una ſpes omnibus ineſt. Nulla ibi inæqualitas, cæterum ordo ſummus, & moderatio, & conuenientia, & ineffabilis concordiæ ſeruandæ diligentia, iugis, atque perpetua lætitiæ materia, &c.* Hæc Chriſoſtomus ad intentum.

Chriſoſt. 3 de ſacerd

5 Ac-

5 Accedit etiam S. Mediolanensium antistes Ambrosius, qui in epistola ad Demetriadem Deo sacram Virginem, tum ipsam, tum moniales omnes, monachosque singulos, qualiter vitium singularitatis in exemptionibus, & priuilegijs religionum affectandis, fugiendum sit, sic admonuit. *Prima humilitatis ratio, in communis uitæ versatur officijs; quibus, & diuina clementia conciliatur, & societas humana connectitur.* Expendat hæc religiosus, &, si sibi diuinam clementiam conciliandam quærit, *in communis uitæ officijs* se exerceat, exemptiones ab illis non ambiendo, Inferiusque. *Pulchrè, & mirabiliter a plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ se, & extra omnem conflituit dignitatem, & mauult apta esse iniurijs accipiendis, quam idonea repellendis.* Carpit hisce verbis Ambrosius pessimam illorum conditionem, qui ideo dignitates, priuilegiaq; in religionibus appeterent, vt ab iniuriis accipiendis immunes redderentur & ad vindicandam aptiores, cum vtrunq; sit superbiæ magnum argumentum. Inferius quoq; *Inter omnes igitur hominum lapsus, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior, quam superborum ruina.* Quorum Ambrosi? illorum certe: *Qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri.* Inferius ad huc: *Hæ superbia a Diabolo sumpsit exordium.* Lege, religiosę sanctę totam istam epistolam Ambrosij; inspicieſque clarè, qualiter excellentias, immunitatesue appetere, piorum animum, sanctorum præcipuè, offendat.

D. Ambr. ep. 84 ad Demetr.

Idē ibidē

Idem.

6 Audiatur præterea S. Præsul Augustinus, qui de monasterijs loquens hæc habet. *Seruetur ibi paritas æquabilitatis, constantia charitatis, & quando forte ventus ex ista parte, qua patet, irruerit, sit ibi cauta gubernatio.* Ac si dicat, vt religionis perfectio non corruat, necesse est religiosos ipsos æqua biliter connecti, & æqua charitate cōfoueri. Vt enim subdit. *Si naues in portu bene sibi applicentur, non sibi colliduntur.* Proculdubio indicans, rixas, sectioneſque monachorum, quibus *sibi forsā colliduntur*, ex imparilitate priuilegiatorum posse oriri, qui cum omnibus præesse cupiant, necesse est ab alijs contradictionem, & repulsam pati. Vnde idem Augustinus alibi verba illa: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, dicit excitasse monachos, & monasteria in orbe. *Ista* (inquit) *uerba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, ita in cantico, quia in intellectu etiam, monasteria peperit. Ad hunc sonū excitati sunt fratres, qui habitare in unū concupierūt. Iste uersus fuit tuba ipsorū.*

D. Augustin. in psal. 99

Idē in psl. 132

Vt

Vt hinc animadvertamus regulares, ad hunc finem præcipuè ad religionem vocatos fuisse, vt in vnum viuentes, non priuilegia, non exemptiones, non immunitates, prærogatiuamque supra alios quærant; sed humili æqualitate contenti, communibus obseruantiis degere cupient, si veri, vel saltem perfecti monachi esse desiderant. Vnde sic subiungit. *Qui ergo sic viuunt, vt vnum hominem faciant, vt sit illis vna anima, & vnum cor: multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur monos, ideſt, vnus solus.* Quare monachos illos, qui singularitatibus gaudent, nomine monachorum, indignos videtur existimare Augustinus. Idē ibidē

7 Adstipulatur Ioannes Cassianus, qui non solum huiusmodi singularitates, priuilegiaque monachorum damnat, sed etiam vanitatis, gloriæ, atque vanæ ostentationis signa esse, clarè demonstrat. *Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur, vsumque, & communem, vt vanitatis, & gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat.* Idque exemplo sanctissimorum monachorum clarius confirmat dicens. *Nec quemquam ex his, quos merito scientiæ, ac discretionis en tuisse peruidimus, vel quos ad imitandum, gratia Christi, velut splendidissima luminaria omnibus præloc auit, esu panis, qui apud eos vilis habetur, ac facilis, abstinuisse cognouimus.* Ecce Cassianus, non modo singularia priuilegia monachorum damnat, sed nullum verum, & sanctum religiosum fuisse dicit, qui similibus prærogatiuis fraeretur. Cass. l. 5 c. 13

8 Astat præterea D. Gregorius Magnus, qui in epistola quadam ad Ioannem Subdiaconum Rauennæ, grauissimis verbis admonet, vt peculiaritatem, singulariaue priuilegia, & exemptiones à quibusdam monachis compescat, tanquam pestem monasteriorum. Verba Gregorii sunt hæc. *Hoc autem prædicto fratri, & coepiscopo nostro, omnino dicere stude, ut peculiaritatem à quatuor, aut quinque monachis monasterij studiosissimè compescat; & hoc ipsum monasterium à tali peste mundari festinet.* D. Greg. l. 10. ep. ind. 5. ep 22

Rationem reddit. *Quia si illic peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec charitas, in congregatione poterit permanere.* Ecce singularia priuilegia pestem religionis a D. Gregorio nuncupata: hinc que iure optimo, regulares similia priuilegia ambientes, pestiferos religioni, ex mente ipsius, quodammodo appellare licet. Nec sui oblitus idem Pater, huiusmodi rei causam tradit in Moralibus. *Omnes namque homines natura æquales sumus.*

sumus. Si igitur hoc à mente deprimimus, quod temporaliter acceſſit, inuenimus citius, quid naturaliter ſumus. Manu ergo humillimæ conſiderationis deprimendus eſt tumor elationis. Si enim apud ſemetipſam mens deſcendit de vertice culminis, citius planitiem inueniet naturalis æqualitatis. Quæ omnia magis vrgent religioſos omnes, qui non ſolum æquales ſunt natura, ſed profeſſione, regula, habitu, conuictuque communi. Adhuc tamen congruentius propoſito noſtro hæc habet in epiſtola quadam. *Si in rebus ſæcularibus ſuum cuique ius, & proprius ordo ſeruandus eſt, quanto magis in eccleſiaſticis diſpoſitionibus, nulla debet eſſe confuſio, ne ibi diſcordia locum inueniat; vnde pacis debent bona procedere. Quod hac ratione ſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur.* In quibus non modo æquitatem, quoad fieri poteſt in Eccleſiaſticis perſonis obſeruari petit, ſed & hoc congruere dicit; *ne ob id diſcordia locum inueniat.* Idem 2.11 Mor.c.11. l.12.ep.c. 31.

9 Audiatur præterea Seraphicus Bonauentura, qui ſicut noſtro ſeculo nequam proximior fuit, ſic quoque cæteris clarius hoc vitium à religionibus extirpare contendit. Primò enim in pharetra ſua verba D. Gregorii ſuperius adducta repetit, & approbat: *Si peculiaritas* (inquit) *à monachis habetur, nec concordia, nec charitas, in congregatione eadem poterit permanere.* Ecce ſingularia priuilegia, exemptioneſque monachorum à Bonauentura reprobari, vt nociua charitati, & concordiæ religionis. Contra tamen, monachi perfectionem in communibus obſeruantiis ſitã eſſe, alibi ſic docet. *Optima religioſi perfectio eſt perfectè communia quæque conuentualia ſeruare.* Et in alphabeto ſpirituali ſic. *Qui communia ſectatur, & ſingularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet.* Hinc etiam idem pater alibi monachum monet. *Sequi conuentum ſine murmure deſtructi corporis, & communem Ordinis rigorem cum cæteris tenere.* Rationem ſic ſubiungit. *Quia qui poſt te ad Ordinem veniunt, non attendunt, quid ante eos laboraueris, ſed ſolum accipiunt, quale eis exemplum præferas in præſenti, in laboribus, vigilijs, in cibis, & alijs obſeruantijs Ordinis; in quibus vellent ſibi ſeniores ſuos præire. Alioquin, aut ſcandalizantur de ipſis, aut imitari eos incipiunt, parcendo corpori pluſquam expediat.* Ecce monachi, qualiter, nec propter antiquitatem in Ordine, nec propterea, quod plurimum in eo laboris perpeſſi ſitis, vos à communibus obſeruantiis velit Bonauentura excuſatos. D.Bon.l.1 pharet.c. 32. In ſpec.di ſc.p 2.c 2 In alph. l. 16. In inſor. nouit.c 9.

10 Iungatur his Patribus S. Ignatius noſtri ſæculi decus, &

Iesuiticæ familiæ orbi celeberrimæ, anteſignanus, qui feruenti zelo obſeruantiæ regularis cupiens ſuos vigere, interea, quæ illis commendata reliquit, hoc vnum eſt: vt penitus ſingularitates, priuilegiaque in religione abiiciant. Vnde ingredientem Societatem interrogari præcipit. *An contentus fuerit eodem atque alij modo in collegio agere, nullíſque priuilegijs, aut prærogatiuis minimum omnium, qui in eo fuerint anteire.* Non ergo rectis oculis aſpicere viſus eſt Sanctus hic Pater priuilegia, exemptioneſque multorum regularium, à communibus, & ordinariis regularis diſciplinæ documentis.

D. Igna. c. 7 exa.

11 Nec iure omitti poteſt Eccleſiæ iubar, noſtræque religionis ſingulare ornamentum, Sancta Virgo Tereſia de Ieſu. Quæ inter cęleſtia alia documenta, fratribus, & monialibus Carmelicolis tradita, hoc vnum de ſingularitate priuilegiorum, & exemptionum fugienda, ſæpius inculcauit. In documentis ſic habet. *Huia ſiempre la ſingularidad, quanto le fuere poſſible; que es gran mal de la communidad.* In libro quoque ab ipſa conſcripto de itinere perfectionis, ſolicitè curat paſſiones huiuſmodi, quibus religioſi appetunt peculiares exemptiones honoris, & reuerentiæ, vel ratione antiquitatis, vel maioris laboris in religione, reprimendas, & coercendas eſſe. Poſtea ſic concludit. *Eſtos penſamientos, ſi vinieren, es menester atajarlos con preſteza: que ſiſe detienen enellos, o los ponen en platica, es peſtilencia dedonde nazen grandes males en los monaſterios.* Tandemque leges iſtas graduum, dignitatum, & exemptionum in religione; Diabolicum inuentum compellat, dicens. *El Demonio inuenta las honras en los monaſterios, y pone ſus leies, que ſuban, y baien en dignidades, como los del mundo.* Hæc Hiſpano ſermone à tanta Virgine conſcripta referre malui, quam ſi latina redderem, ſpiritu ſapientiæ, quo redolent, orbarem. Ex his tamen, luce clarius infertur; quam prauè, ſiniſtrèque de priuilegiis, exemptionibuſque inordinatis regularium, ex mente ſanctæ Virginis, aliorumque Patrum ſentiendum ſit.

S. Tereſa in docum Monialiũ.

S. Tereſa de itinere perfect. c. 12.

Ibid. c. 36.

12 Aſt præſidium magnum ſibi forſan putant amatores huiuſcemodi immunitatum in religionibus habere, eo quod à plurimis, ſanctiſſimis, religioſiſſimiſque familiis regularium, vſu, conſuetudine, legeque approbari dicant. Hinc plures Magiſtri, Doctores, Præſentati, Licentiati, Baccalaurei, Iubilei, Lectores, Emeriti, ſimileſque, iſtis, vel aliis nominibus decorati, in multis religionibus cernuntur. Quod non contingeret ſi priuilegia,

gia, exemptioneſue regularium religioſo ſtatui, vel leuiter derogarent. Nec id rationi, & æquitati diſſonum vllatenus æſtimari debet. Vt enim prudens quidam, grauis, doctus, & diſſertus. *Nihil æqualitate ipſa inæqualius.* Quorſum ergo inæquales meritis religioli, æqua lance præmiorum decorandi erunt? Ad idem Antiſthenes Reipublicæ ruinam dicit. *Probos, & malos ſine diſcrimine degere.* Optimè etiam Socrates rogatus. *Quænam ciuitas rectè gubernari poſſit.* Reſpondit. *Ea, in qua inuitantur boni præmijs.* Præclarè etiam Cicero. *In homines moderatio profecto nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorum, ac malorũ.* Alexander quoque rogatus. *Quam rempublicam maximè probaret: eam* (inquit) *in qua fortibus viris, ac meticuloſis; congrua vtriſque redduntur.* Denique Theophraſtus rogatus. *Quidnam vitam humanam conſeruaret.* Reſponſum dedit. *Beneficientia, honor, & pœna.* Quæ omnia, aliaque, tum ex humanioribus, tum ſacris litteris depromptu facilia, æquum, & conſentaneum rationi eſſe huiuſmodi ſingularia priuilegia ſingularibus concedere, ſuadere videntur.

Antiſten. Socrates. Cicer. 5. de nat Deor. Plutarch. in l. 10.

13 Verumtamen hæc, & his ſimilia, probant quidem aliquando, & aliquibus occaſionibus, *ſummum ius* regularis obſeruantiæ *ſeruandum non eſſe.* Neque enim omnia poſſumus omnes, neque pares viribus natura cunctos effecit. Ergo hæc omnia duo ſatis ſuadent. Primum eſt: quod vbi infirmitas, debilitas, ſenectus, vel ſimilis alia neceſſitas vrget, ab obſeruantia regulari aliqualiter diſcedere monacho liceat. *Neceſſitas enim caret lege.* Et optimè Hugo Victorinus. *Non negat religio, quod requirit neceſſitas naturæ, prohibet tamen, quod appetit ſuperfluitas.* Et benè Caſſianus. *Diuerſum eſſe refectionis tempus, modum, & qualitatem, pro impari corporum ſtatu, vel ætate, vel ſexu.* Et Sanctus Baſilius. *Ita amplectenda à nobis continentia eſt, vt eam cum viribus corporis commetiamur.* Et infra. *Quamobrem conuenit vnumquemque, nec naturæ ordinem, neque præſcriptos, à natura opifice limites tranſilire, potiuſque in his continere ſe, & corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque prouidere, ne ipſum, dum grauius, quam par eſt, præmit, opprimat.* Secundũ eſt: quod in eis rebus, quæ, vel ad Ordinis obſeruantias, vel ad regularem diſciplinam tuendam, non ſpectant, inæqualitas aliqua exemptionum, priuilegiorumque regularibus permitti poſſit. Vt enim benè D. Laurentius Iuſtinianus. *Sciat paſtoris prudentia ſingulis impertiri, quod cuique magis proficuum eſt; alio-*

Hugo de clauſtro anim. l. 2 c. 19 Caſſianus D. Baſil. in conſt. c. 5 Laur. Iuſt. de diſcipl. monaſt. cenu c. 9.

quin non ſine ſuo præcerit damno. Curet quoque ſolerter qui præſidet, æqua diſcretionis lance, & non propria affectione, vel paſſione, ſingulorum dijudicare itinera. Rationem ſubiungit eodem capite. *Non enim omnia vno medicaminis genere ſanantur corpora, neque cunctæ animæ, pari inſtitutione purgantur. Propterea inæquali modo, ſicut expedire cenſetur, dirigendæ ſunt, vt in virtutibus creſcãt.* Ad quod deſeruit illud D. Hieron. regula monachorum. *Tantum tibi ieiuniorum aſſume, quantum ferre potes; diuerſus eſt enim hominum ſtomachus, alij amaris, alij dulcibus, alij auſteris, alij leuibus delectantur cibis.* His ergo præmiſſis, quo ad cætera, quæ, vel obſeruantiam regularem redolent, vel neceſſitas ſpiritualis, vel corporalis non contradicit, generalis regula ex patribus deducta habeatur; æqualitatem in omnibus, regulares cunctos habere, adſtrictos eſſe, alioquin (vt Patres innuunt) & charitas violatur, & iuſta quærimoniæ cauſa fratribus conceditur.

Idem

D. Hieron in c. de tẽ per. ieiu.

14 Cum hæc ergo ſic ſe gerant, lamentabilis profecto earũ religionũ abuſus eſſet, in qua plures religioſi, nulla neceſſitate corporis, vel ſpiritus, perurgente, immunitatibus, & priuilegiis huiuſcemodi fruerẽtur, quoad cõmunes Ordinis inſtitutiones: vel ſi ad ſimiles exemptiones ſectandas, totis cordibus inhiarent religioſi. Apud iſtos nõ ordo, ſed inferorũ more, sẽpiternus horror adeſſet, dũ alii hiſce cibis, alii diuerſis vterentur. Abundaret vnus, egeret alius: vnus extolleretur: deijceretur alius: quidam choro, capitulo, & refectorio cogerentur adeſſe; alii verò ab iſtis omnibus immunem, & exẽptam ducerent vitam. Diabolicum hoc eſſe inuentũ ex hiſt. S. Franc. narratũ vidimus. Dum enim Franciſcani ſanctiſſimi in primordiis Ordinis, Comitiis generalibus aſsiſterent: Diaboli quoque comitia inierunt, vt Ordinem Sanctè pullulantem perimerent. Ex quibus vnus, cæteris callidior, deſtructionem Ordinis promiſit, propterea quod plures futuri eſſent, qui huiuſmodi immunitates a regularibus inſtitutis impoſterum ſectarentur. Magnum quoque ſuarum animarum diſpendium perpeti iſtos, ex reuelationibus Sanctæ Brigittæ habetur. Apparuit illi cuiuſdam religioſi anima ſcapulari quodam induta, & mirabiliter in omnibus membris deformata, & (vt videbatur) æternis ſuppliciis deſtinata: cauſam verò tradidit Chriſtus S. Brigittæ. *Quia ſuperbiendo præfert ſe cæteris.* Satis per hoc innuens, propter huiuſmodi irrationabilia priuilegia, religioſum illum æternis pœnis addictum fore. Nec mirum, quia, vt bene Ioannes

Hiſt. s. Franciſci p. 1 l. 1. c. 53.

l. 6. reuel. c. 35

Niderus,

Niderus, de similibus priuilegiatis, qui communem obseruantiam chori, & refectorii fugiunt, proprias cameras, tamquam sæcularium domos habentes, dicit. *In talibus priuatis habitaculis fiunt comessationum ebrietates, & rerum communitatis dispendia, vbi quilibet non communia proprijs, sed propria communibus anteponit. Ibi inepta solatia, chori neglectus, ibi detractiones, & contra prælatum murmura, seminaria ibi inchoantur discordiæ, & conspirationum vitia.* Hæc Niderus. Quæ si vera sunt, non mirum religiosos tales inferni tartara descendere, si talia facere audeant. Ioā. Nid. tract. 1 de lapsureli. c. 17

15 Placet præterea, quæ Ioannes Rusbrochius de aliquibus istorum dixit, in medium adducere. *Inueniuntur solo nomine religiosi, quorum Prior, aut alius, vbi ad refectorium pulsat, tres, aut quatuor ex iunioribus venit: tametsi vnius Ordinis sint omnes. Dominus Abbas cum sua familia manet in domo sua, alij malè habent, & edendis carnibus, ac alijs lautitijs, si quas habere possunt, sua curant corpora.* Et infra. *Bona temporalia, & mundanos honores per plures eorum non mediocriter ambiunt. Et licet quidam ex eis, exiguam dent virtutibus operam; verumtamen, & de ipsis virtutibus spiritales honores expetunt. Edere quoque, & bibere delicate, & curiosum, & comptum ferre habitū libet: nec vlla apud eos, vel esculenta, vel poculenta, vel vestimenta, plus nimio prætiosa habentur, quæ obtinere possint.* Adhuc inferius. *Nemini istos corrigere licet; quippe, qui præsuperbia, sui reprehensionem indignè ferunt. Quod si ob peccata sua quopiam relegandi essent, potentium hominum implorant opem; & si nummos habent, facile etiam, quibuscumque inuitis, à superioribus suis permanendi impetrant facultatem. Si quis inter eos sit pietati deditus, simplex, & timens Deum, & qui Patrum institutа, ac canonem monasticum seruare velit, illum habent contemptui.* Hæc Rusbrochius de quibusdam regularibus huiusmodi priuilegiis præuè fruentibus. Vnde non mirum, vt quemadmodum ex reuelationibus Sanctæ Brigittæ habetur, isti tales ad æterna tartara trudantur. Quod etiam roborari posset ex visione relata capite 5. huius operis, vbi habetur omnes illos religiosos, qui, vt apparet, damnati cernebantur, ex huiusmodi exemptis, & priuilegiatis fuisse. Sic enim ille, qui pro omnibus responsum dabat dixit. *Quod omnes fuerant eiusdem Ordinis religiosi, & pro maiori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaurei, Lectores, & alijs officijs donati.* Ex quibus si vera sunt iam habetur, Rusbr. in taber. fæd. c. 123. Idem Idem. Vt supra. Ant. Sen. in chron.

habetur, inquanto animæ suæ periculo versentur illi, qui sine iusta, & rationabili causa, importuna priuilegia in religionibus appetent, ambient, & quærent.

16 Nec possum non aliquot istorum regularium, qui specialibus prærogatiuis, priuilegiisque in religionibus, sine causa consentanea, & æquissima ratione expensa, perfruentur, vitia, speciatim recensere; quibus aliquandiu, quidam forsan, irretiri noscentur, vel saltem quibus crebrius expositi manent; vt, vel sic ruinam sibi imminere timeant. Primum illud est: quod illorum plures, sub prætextu alicuius infirmitatis: diuersis cibis, alimentisue, ac cæteri ex communitate, vtentur. Hos bene notauit Rusbrochius vbi supra. Optimè etiam notat Bernardus, dum talem priuilegiatum monachum, sic alloquitur. *Puta te quæso monachè esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce obsecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ.* Et infra. *Scandalizatur in tua singularitate frater, iudicans te superstitiosum, tanquam superflua quæritantem.* Carpit optimè quoque istos Hugo Victorinus sic loquens. *Ecce fratres, Diabolus physicam docet. Ecce medicus factus est. De complexionibus loquitur, infirmitates diuersas, si teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, sed vt occidere possit: non vt ægritudines curet, sed vt securius inferat mortem.* Quibus sanè denotat religiosos istos, priuilegiis ineptis abutentes perperam sub prætextu infirmitatis, vel debilitatis prætensæ, religionibus importunos, & sibimet noxios esse. Cum tamen potius obseruantiæ regulari, quam propriæ commoditati addicti esse deberent. Bernardi consilium sibi assumentes, qui ad Fratres de Sancto Anastasio in regione infirma habitantes, sic loquitur. *Scio equidem, quod in regione habitatis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus; sed mementote quis dixerit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: Et cum infirmor tunc fortior sum. Compatior vtique, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multo magis, ampliusque cauenda infirmitas animarum. Propterea minimè competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti.* Et infra. *Hæc omnia gentes inquirunt. Scimus autem, quod qui in carne viuunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde: Sana animam meam*

D. Bern. ser. 30. in Cāt.

Iug. Vict.

D. Bern. ep. 321

Idem.

neam Domine, quia peccaui tibi. Huic sanitati, fratres dilectissimi, operam date, hanc sectamini, hanc seruate, quia vana salus hominum. Ecce sancte religiose, qualiter imprudentem regularem, qui exquisita, & contra suam religionem priuilegia anhelat, istis verbis carpat dulcisluus Bernardus.

17 Placuit ad hoc intentum tremendum casum, à Ioanne Rusbrochio viro pijssimo relatum, in medium afferre, vt qui sub prætextu immunitatis, & priuilegiatæ conditionis, contra regularem institutionem à communibus obseruantijs, præsertim quoad cibum, & potum, (si qui tales sunt) separantur, sciant sibi reseruatam vindictam. En verba Rusbrochij. *Tres gulosi Monachi circa Rhenum in quodam degebant Cœnobio, qui non contenti cibis communibus, esca singulares sibi ministrari volentes, seorsum à fratribus alijs semper edebant. Quorum duo subitanea, ac improuisa abrepti sunt morte, vno præfocato, altero dum se lauaret, submerso in aquis. Vnus autem ex eis socio tertio, videlicet superstiti apparens, ait: se damnatum esse. Interrogatus ab illo, si magna pateretur tormenta; extensa manu, guttam vnam sudoris sui in candelabrum stanneum, vel æneum, quod ibi forte erat cadere permisit: quod momento celerius, perinde, vt seuum, vel cera in ardenti fornace, liquefactum est. Tantusque inde exitit fœtor, vt illius loci monachi tribus diebus à cœnobio abesse cogerentur. Ille autem frater, qui hæc vidit, relicto eo monasterio, Franciscanus effectus est.* Rusbr. in tract. de fid. & iud.

Videant ergo hæc, & contremiscant, qui vana priuilegia, in religionibus affectantes, cibaria extra communem mensam quærerent.

18 Alterum istorum regularium, qui priuilegia inordinata in ordinibus quærent, crimen, satisque commune absdubiè erit, quod ipsi soli; seipsos, tumidi, & elati aliis præferentes, prælaturas, superioritates, similiaue officia in Ordine ambient, itaut simplicioribus alijs, qui tales gradus, exemptionesque non sunt assecuti, quamuis ipsis digniores, & meliores sint omnino præponi studeant. De illis optimè Laurentius Iustinianus hæc prædicat. *Attendunt huiusmodi præsentia, nec futura prospiciunt. Magni æstimant, si præponantur cæteris, si alijs imperent, si honoribus extollantur. Gaudent, iuxta Domini sententiam, vocari ab hominibus Rabbi, & à subditis, vt patres venerari: attendunt quid æstimentur, non quid sint; nec considerant ipsi elatione tumidi, mente fœcati, intentione corrupti, & moribus perditi, quam sit breue ipsorum gaudium, quam formidabilis status, quam fu-* Laur. Iust. de discip. monast. conu. c. 9.

gitiui

gitiui honores. Istorum etiam mores criminosos sic prodit Ioannes Rusbrochius. *Nonnulli sunt in religiosis Ordinibus nequam, astuti, & duplices; & simulant se quod non sunt, & hos sæpius contingit in sublime tolli, aliisque præponi, ac præfici. Tunc verò ipsi se produnt. Haud secus enim, quam si in mundo agant, bonaque cœnobiorum, & honor ab antecessoribus ad ipsos iure, ac successione hæreditaria deuoluta sint, super alios sese efferunt, moxq; sanctitatis obliti, bona temporalia administrant, suumque exercent dominatum.* Rusbr. de tabern. fæder. c. 123.

Dotalibus præterea sic loquitur Dominicanus Nider. *Veniunt ad monasterium de sæculo, vt possint honorari, quia in sua domo, non nisi contemptibiles potuerunt esse. Tales autem laborant, vt postmodum ad loca mittantur ditiora, aut murmurant contra dispensatores rerum temporalium; vi lautiora quærentes. Proprio nomine vocari erubescunt, gaudentes Abbates, Priores, nuncupari, vel similibus titulis insigniri.* Tandemque, vt sciamus quantum sibi detrimenti acquirant isti (si qui fuerint) ineptas exemptiones, immunitatesque sub fine superbiæ, & tumiditatis affectantes, sic concludit. *Huiusmodi pauperibus non Christus promittit regnum, sed infernum.* Nid. tract 3. c. 1

Idem.

19 Quis tandem, vt vela colligam, istorum, qui contra sui ordinis instituta, improba priuilegia affectarent (si qui erunt) crimina recenseat? Cum magna ex parte difformatæ religionis duces conspicerentur. Barbas nutrient sæcularium hominum more, quia hoc decet, inquient, eorum authoritatem, quantumuis iuxta canonem monasticum, eas radi oporteret. Famulos in suis cameris, vel cellis, etiam ex sæcularibus quærent, nescientes Esaiæ Abbatis doctrinam. *Si in monasterio es, & seruum habes, in quem imperium exerceas, habitum affectis contumelia.* Ipsas cameras, & cellas sic ornari curabunt picturis, imaginibusque capsulis, repositoriis, aut scriptoriolis, vt Duci, vel Marchione, quantauis fulgeat dignitate, suscipiendo, aptę iudicentur. Cum Choro assistent, quod earum erit, canere sicut cæteri spernent. Inclinationes etiam, aliasque cęremonias religionis, canone intimatas, vel prorsus omittent, vel saltem magna cernicis elatione facient. Optimè Dacrianus Abbas modum istorum sic prophetat. *Libertatem laxioris vitæ desiderant; a diuino officio, cæterisque actionibus conuentualibus abesse gaudent, delicatum, superfluumque cibum, aut potum; percipere gestiunt; opportunitates nugandi exquirunt; inordinati risus solatia affectant; sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares vsus acci-*

Esai. Abb. orat 4

Dacrian. Abbas in spec. mō. l. 5. bibl.

pere

pere ardent; propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos; cæteraque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, iudicant: sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Deinde illorum habitus sic depingit Hugo Victorinus. *Alij iactando, & ventilando pannos suos, leuitatem mentis suæ ex ipsa habitus sui mobilitate ostendunt. Alij incedentes sinuosso syrmate terram verrunt, & lymbis dependentibus, imo retro consequentibus, caudis insimilitudinem vulpium, vestigia sua obducunt. Bene profecto, vt posquam transierint, pereat memoria eorum, ne sint amplius in recordatione in terra viuentium.* Hugo in dial. noui. c. 11

Hæc Hugo. Ex quibus, aliisque, quæ omitto, liquidò, manifestèque istorum, qui ineptis, & contra Ordinem immunitatibus extraordinarijs vtentur, si, quod Deus auertat, aliqui fuerint, crimina patefiunt; simulque, quantum religioso statui contraueniant, innotescit.

20 Hæc verò omnia, singulaque, quæ ex Patribus, aliisque authoribus in præsenti capite diximus; solum de illis, qui priuilegia, exemptiones, immunitatesque contra sui Ordinis canonem fusè ipere affectarent intelligi vélim. Aliorum autem regularium, qui iuxta sui instituti leges, similia priuilegia adepti sunt, vitam, mores, conditionemque nec leuiter tangam. Scio etenim plures inter illos esse, quorum vita exemplaris, modesta, religiosa, & humilis, suadet sanè illorum immunitates, non obesse, sed prodesse religionibus. Illa namque non ad propriam commoditatem, sed ad religionum authoritatem accipiunt. Dignitates istas, non ad honorem proprium, sed ad decorem suæ familiæ quæritant. Non proprium lucrum, sed sui instituti profectum affectant. Minoribus aliis, non superbiæ, tumiditatisue signa, sed veræ obseruantiæ radios præostentant. Suntque suæ familiæ lux, sal, ciuitas, refugium, firmamentum, & bonorum omnium firmissimum promptuarium. Vnde gloria, laude, corona potius, quam pœna, reprehensione neque digni habendi sunt.

†

Religiosorum ambitio Religionem destruit, humilitas autem ædificat.

CAP XIII.

1. INter præcipua damna, quæ ex regularibus inordinatè priuilegiatis, & exemptis, à pluribus animaduersum est, religionibus obuenire posse; illud est satis compertum, quod illorum plures, pestifero ambitionis morbo allecti, officia, & prælaturas tam in Ordine, quam extra, solicitè anhelent. Tantum reipublicæ damnum, vt nullum maius enrruptæ religionis, & familiæ sit signum. Vt enim optimè Plato dixit.

Plato 1. deRepub. *Si bonorum virorum extaret ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate.* Hinc, postquam caput præcedens, quam nociui sint similes exempti in religionibus comprobauit, nunc præsens, dinumerat mala, quæ ex ambitione, & superbia religiosis aduenianr, quæ vero maxima commoda, ex ipsorum humilitate oriantur, narrare intendit. Audiamus ergo, quid Patres de regularium ambitione sentiendum dicant.

2. Primus D. Basil. monachorum pater sic loquitur in constitutionibus monasticis cap. 10. Cuius titulus est. *Quod ab omni prorsus cleri, aut præsidentiæ inter fratres appetitione abesse monachus debet.* Deinde subiungit. *Inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet. Siquidem Diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi fabes.* Cap. quoque 25. cuius titulus est. *Quod honores, siue vllam præter cæteros prærogatiuam appetere monachus non debet*, sic etiam loquitur. *Prorsus autem ab omni ambitione alienum habere animum, monachus debet.* Et infra. *Caueat igitur omni ratione pietatis cultor ne honores consectetur, cæterisue se præponi velit. Omnis enim, qui seipsum exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Hæc, & alia, quæ infra adducentur, magnus Basilius his capitibus expræssit, reprobans sanè diabolicam pestem, vt ipse dixit, ambitionis.

D. Basil. Cap. 25

3. Sed, & S. Ephrem Syrus, amicum, & coètaneum S. Basilium sequitur. Ergo opusculum quoddam confecit sub hoc titulo.

S. Ephr. *Ad correctionem eorum, qui vitiosè viuunt, & honores appetunt.*

In eo

In eo autem grauissimis verbis monachorum ambitionem taxat, luget, carpit. Inter alia sic. *Hei mihi, quis non suspiret? Quis non lugeat? non adsunt opes, sed non abest superbia. Nuptias spreuimus, & ab inani cupiditate non recedimus. Exterius humilitatem simulamus, & animo honores appetimus.* Et post alia sic. *Sæpe, qui ante renunciationem domi suæ opifex fuerat, ignorabatque prius, quæ ipsius esset dextera, quæue sinistra, in monasterio litterarum studiosus, & interpres, doctorque incedit. Frater ille altioribus intentus est, & ego sublimiora spectare debeo. Frater ille honoribus ornatus est, quare non ego? Frater Magistratum assequutus est, quare non ego? Illi auctoritas commissa est, nonne, & ego dignus sum, cui hoc, atque illud credatur, & committatur?* Post alia quoque sic. *Os illud terribile, & incomprehensibile, ac formidandum locutum est. Qui vult inquiens inter vos maior fieri, sit omnium nouissimus, & omnium seruus. At nos cum nondum, vel à limine religionem salutauerimus, insolescimus, & vnus aduersus alium extollimur. Cuncti volumus esse duces, cuncti cum auctoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehendere, cuncti præcipere, cuncti domini, cuncti curatores, cuncti œconomi, cuncti primi.* Concludit autem inferius sic. *Ne quæso, fratres charissimi, nos carnis perturbationibus superari patiamur, vt per eas æterna felicitatis iacturam faciamus. Ne propter caducum, ac momentaneum honorem gloria priuemur æterna. Ne propter contentiones, & æmulationes, atque rancores horribili condemnemur gehenna.* Hæc, & plura S. Ephrem contra monachorum ambitionem disseruit, quæ vellem ab omnibus excipi, vt sic horrendum vitium fugarent. Idem.

4 Sanctus quoque Isidorus ambitionem in monachis 3. lib. sent. cap. 19. cui titulus est. *De professione monachorum*, sic reprobat. *Qui ad hoc conuersionem sanctitatis prætendit, vt alijs quandoque præesse desideret, iste non discipulus Christi, sed prauitatis sectator existit: quia non pro Deo, sed pro sæculi honore portare studet crucis Christi laborem.* Et cap. sequenti. *Summa Virtus monachi, Humilitas, summum vitium eius superbia est. Tunc autem se quisque monachum iudicet, quando se minimum existimauerit.* Et infra. *Omnis Dei seruus de suis meritis non debet extolli, dum posse videat ex inferioribus sibi prælatiores alios fieri. Nouerit autem se alterius non præponere sanctitati.* Hæc Isidorus commendans clarè religiosis humilitatem, damnansque eorum superbiam, extollentiamque supra alios. S. Isidorus Idem. Idem.

5 Sanctus etiam Bernardus totis viribus sæpius impium ambitionis crimen in monachis detestatur. Primo in sermone quodam sic loquitur. *Vnde tantus prælationis ardor? Vnde ambitionis impudentia tanta? Vnde vesania tanta præsumptionis humanæ?* Et rursus. *Audeat ne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præcipere beneficia, negotia dispensare?* Ac si dicat: si nemo ita audax reperitur, quod cuiuslibet Domini temporalis officia, aut ministeria, ipso non vocante, aut præcipiente, audeat vsurpare, quomodo virtuosus monachus spiritualia officia, prælaturas, dignitatesue à solo Deo concedendas, sibi procurare non timet? Clarius in epistola ad Henriquum Senonensem Archiepiscopum sic sentit de ambitione monachorum. *Sanè si attenditur rerum dignitas hanc monachi abhorret professio.* Et infra. *Quo ista, ô monachi? Vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis vnquam probatorum monachorum, tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus Magister vester edisserit, proprijsque distinguit descriptionibus. In quo quæso illorum docetur, aut continetur vt hoc fastu delectari monachus, has quærere debere dignitates? Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam.* Adhuc clarius sororem quamdam sic monet. *Caue ergo ne velis alijs te præferre, quanto maior es, tanto te humilia in omnibus.* Attendant hoc monachi, videantque quantum à recto tramite veræ religionis aberrent, dignitates, officia, prælaturasque si ambiant.

D. Bern in serm. de conu. ad clar. c. 27.

Idē ep. 42

Id. de modo bene viu. c. 17

6 Loquatur Eminentissimus Cardinalis Petrus Damianus, qui Marinum suum patruelem monachū Classensem sic instruit, in quadam epistola. *Ad locum porrò reziminis nunquam ambitiosus anheles; dum in proximo digressurus, diem propriæ vocationis ignores.* Insuper epistola quadam monachum quendam, quod se Abbatis dignitate abdicasset, vt prudentem nimis sic cōmendat. *Nunc verè meus Abbas esse cæpisti, cum præesse alijs desijsti. Ecce de iugo multigenæ seruitutis ereptus, ingenuæ libertati, es per Dei misericordiam restitutus.* Et infra. *Dic pater, dic inquā, videlicet, vt expertus; quis potest hoc ferreo sæculo monasterium, sine sui capitis periculo regere? imo quis potest simul cum Abbate, & monachum possidere. Mox enim, vt quis Abbas fieri incipit; monachus esse desistit, & quicunque abbatizandi culmen effligitat, nihil est aliud, nisi quod monachum, velut importabile*

Idē. ep. 7

pondus

pondus quærit abijcere, & ne apostata videatur, sub fucato se-
vult colore regiminis palliare. Lege alia in eadem epistola,
quibus satis ostendit quantum malum monacho sit ambitiosa
prælatio.

7 Hos Patres imitatur, vt solet, Sanctus Bonauentura, qui
in Alphabeto monachi, quasi pro primis rudimentis supponit,
monachum omnino fugacem fore cuiuscumque prælationis gra-
dus, sic inquiens. *Magna superbia alium petere gradum, ad alta* D Bonau.
semper Diabolus suadet, honores ambire, fugere despectum, vt in alphab.
cadat ascensor eius retrorsum, cum ad breue dominatus fuerit. lect. 12.
Et in apologia pauperum sic. *Est status prælationis simul excel-* Id. in apo-
sus, & periculosus, & ideo ipsum appetere, simul est periculosum, log.
& stultum. Propter quod ait Augustinus. Locus superior, sine
quo populus regi non potest, etsi ita administretur, vt decet, tamè
indecenter appetitur. Et infra, quasi intentum concludens.
Ex his aperte colligitur, quod locus prælationis pro sublimitate Idem.
quidem gradus, & multiformitate periculi, à viris iam probatæ
virtutis potest coactione, & formidine suscipi: à peccatoribus ve-
rò, & infirmis, tota debet intentione vitari, & à nullis prorsus
appeti. Ecce iam religiose, regulam tibi in prælaturis accipien
dis à Bonauentura præscriptam, quam si seruaueris, ambitionis
morbum fugabis.

8 Præterea piissimus author Dionysius Carthusianus ser. 6.
Dominica prima Quadragesimæ monachorum ambitionem, sic
reprobat. *Cum ad monachum spectet nihil honoris, & delecta-* Dion.
tionis in mundo quærere, sed abiectione, & subiectione gaudere,
& quantum in se est velle ab omnibus despici, conculcari, vitupe-
rari, seque omnium vilissimum reputare; constat, quam longè,
& infinite distent à veritate perfectionis monasticæ omnes super-
bi, & ambitiosi. Rursus cum monachorum sit in omni conuersa-
tione, actione, & intentione ad Deum directè conuerti, & nequa-
quam ad seipsum inordinatè reflecti, intendendo propria commo-
da, aut honores. Omnis elatio, & ambitio debent à monachis in
infinitum contemni, quia elati, & ambitiosi, quasi in cunctis, quæ
agunt, etiam quæ bona videntur, atque ex genere, bona sunt, ad
se ipsos reflectuntur inordinatè, suntque valde obliqui, iniusti, di- Idē ser. 5
storti, non plani, recti, & iusti. Deinde ser. 5. de Dom. Palm. sic
habet. *O quam turpissimum; & coram Deo monstrum, est su-*
perbus. & ambitiosus religiosus: cum ad religiosos specialissimè
spectet omnis humilitas, plena subiectio, & omnium mundano-

rum

rum contemptus, &c. Item in serm. 7. de Domin. secunda post Trinitatem, cum multa de religiosorum ambitione dixisset, concludit. *Si ergo, ò religiose cupis verè proficere, tuæ professioni satisfacere, puram, & rectam coram Deo intentionem habere, fuge hoc infernale venenum, & in sincera, ac stabili humilitate te inuiolabiliter funda.*

9 Adhæc Sanctissimus Laurentius Iustinianus innumera, ferè in suis scriptis protulit, quibus ambitionem monachorum, omnino abscidit. Ergo in libro de regimine prælatorum, post quã multa de ambitione dixerat, sic concludit. *Nemo igitur primatum cupiat, nullusque alijs præesse desideret.* Rationem subiungit. *Si quis prose ipso rationem reddere nequaquam sufficit, quãto minus prose, sibique commissis.* Deinde. *Iudicium durissimum inquit sapiens, fiet his, qui præsunt. Nempe si hoc homines considerarent, minime ambirent præesse, nec ecclesiasticæ dignitatis cathedram, tanto cũ studio quæritarent.* Præterea. *Quamobrem quicumque humilitatis celsitudinem adipisci desiderat, prælationis fugiat cathedram, & ambitionem imperandi corde perhorrescat.* Cap. quoque sequenti, sic habet. *Saluberrimum itaque consilium hoc est, vt summo cum studio omne prælationis desiderium refecetur, à quocumque Deo placere cupienti, siue doctus, siue bonus, siue sit prudens.* Rursus infra. *Quamobrem nullus sibi percipere præsumat honorem hunc, neque precibus, neque adulatione, vel pretio, gubernandæ plebis onus quærat assumere. Solicitè custodiat quisque cor suum ab omni tumore superbiæ:, atque præsidendi amore; sibique metipsi cum silentio vacet.* Rursus inferius. *O quantæ redargutionis, quantorumue suppliciorum esse censendi sunt rei, qui nullo eos quarente, neminequè vocante, primatum pontificalis officij ambiunt, & præsulatus honores adipisci peroptant.* Hæc, & alia in S. Iustiniano attendant religiosi, quantumque damnationis incurrant, considerent, si officia, dignitatesque appetunt.

s Lau. Iust de instit. & regim. præl c. 1

Idem.

Id. ibid. c. 2

10 Iam ergo motiua, quibus Patres isti tantoperè ambitionem officiorum, dignitatemue monachis prohibent, simulque inconuenientia maxima, quæ ex tali regularium ambitione sequuntur, accuratius expendamus. Illud primum est, maximeque præoculis habendum; nullo alio vitio maius periculum damnationis æternæ incurrere posse, quam superba appetitione officiorum. Id clarè habetur ex Patribus allatis. Quo sensu Ioannes ille, Climacus nuncupatus, merito dixit. *Cœnodoxia, id est in-*

Io. Clim. gra. 21.

nanis

nanis gloria pro honore, ministrauit ignominiam; suis enim discipulis irata, confusionem illis maximam indicit. Hoc etiam sensu D Bonauentura in apologia dixit. *Officium prælationis non est vera sublimatio, sed deiectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo, quod potentes tormenta patientur, & durissimum iudicium his, qui præsunt, fiet.* Vnde Christus ad B Brigittam. *Qui ambiunt honores, & prælationes, erunt participes omnium pœnarum, & peccatorum eorum, quos susceperunt regere, & confusio eorum erit sine fine.* Bone Deus, quot ex Prælatis, ambitionis causa, forsan ad inferos truduntur, qui si humiliter vita communi degerent, ad cælestia regna euolarent. De Antheo gigante fabula finxit, quod cum in terra iaceret, vires resumebat, cum autem in sublime leuatur, strangulatur ab Hercule. Sic pluribus istorum fortè euenisse, dubium non est. Bonau. in apolog. S. Brig. l. 5 rel. c. 6.

11 Placuit ad hoc intentum, casum ex verbis Marci Maruli depromptum afferre, per ipsius verba ex D. Hieronymo mendicata. *In quanto salutis suæ discrimine versentur hi, qui cæteris præsunt, venusto admodum exemplo D. Hieronymus docere aggressus est. Senex quidam eremi cultor, & Spiritu sancto plenus, nepotem suum quærentem, vtrum Episcopus electus munus accipere deberet, super disco satis alte à terra erecto diu fecit volutari. Cumque ille postremo casum se timere dixisset, iussit vt descenderet; atque itidem super latam mollioris soli planitiem, sese agitaret. Ex multa volutatione sudanti, ac defesso, surge inquit, & tã facere perge, quod tibi tutius facilu putas. Itaque edoctus de præeminentiæ periculo iuuenis, electioni renunciauit, ætatis vitio deliraſſe senem, dicere possent improbi cauillatores, nisi rem salubberrimi consilij plenam, miracula confirmarent. Constat enim iuuenem illum postea vita defunctum, seni apparuisse, & postquã gratias egisset dixisse. Scio, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Ecce casum, & mentem nostram satis comprobari. Marc. Marul. de exc. l. 1. c. 4

Rem comprobat infælix exitus cuiusdam Episcopi Regularis Episcopatum ambitiosè obtinentis, qui apud Sanctam Brigittam *lib. 3. reuelat. cap. 28.* sic miserrimè conquærebatur. *O, ò, ò, ab- lata est myra, & ecce apparet, quod latebat subtus. Vbi est nunc honorabilis Episcopus? certè abest Episcopus, qui vnctus fuit oleo in officium Apostolicum, & in puritatem vitæ. Remanet verò seruus sterquilinij pinguedine maculatus. Abest etiam sacerdos, qui consecratus fuit verbis sanctis, vt mutaret inanimatum, & mortuum* S. Brigitta

tuum panem in viuificantem Deum. Remanet verò proditor fallax, qui vendidit eum propter cupiditatem, qui redemit omnes ex charitate. Abest quoque pauper frater, qui cum iuramento abnegauit mundum, sed nunc pro superbia, & ostentatione mea sum iudicatus. Verumtamen nunc compellor dicere veritatem, quòd ille iustus iudex, qui iudicauit me, magis voluisset liberare me tam amara morte sicut tunc patiebatur, cum staret in ligno crucis, sed iustitia, cui obuiare non poterat, contradicebat, quam quod taliter fuissem, sicut nunc experior iudicatus. Hæc ibi alta consideratione digna.

12 Extat etiam de hoc casus terribilis, quem vt historiam notam, refert Adrianus Mangotius. In quodam monasterio, religiosi quidam olim mortui, qui fuerant præcipui, & Primates, viris aliis religiosis apparuerunt dicentes. *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad tartara.* Ecce visionem. Similis illi est alia, quam cap. 5. & etiam præcedenti attulimus, de quibusdam aliis, qui ad inferos damnati apparuerunt dicentes. *Quoniam ambitio multa, superbia, inuidia, & alia huius generis vitia, eos fecerant damnatione dignos.* Huic quoque similis casus est, quem Petrus Damianus per hæc verba scriptum reliquit in epistola quadam iam relata. *In eodem Classensi cœnobio, quod nunc incolis, ætate nostra quidam monachus vicem Prioris obtinuit, qui Abbas ibidem fieri ardentissimè concupiuit; sed dum satagit, dum conciliabula cogit, dum fabricat, & versutiæ malleos infatigabiliter versat, quod sciens mens conceperat, ore nesciens effluebat. Ecce inquit, in proximo comprehendam, mihi dabitur monasterium: adest virga, accipiam, & præualebo. Inter hæc igitur verba defunctus, sinistram de se fratribus spem reliquit.* Ecce patres, quam malum exitum ambitiosi regulares obtineant, quamque iustum sit, à tanto periculo, animas nostras liberare.

Adrianus Mangot. num. 120.

supra c. 5. & præcedenti.

Pet. Dam. l. 6. ep. 26.

13 Secundum damnum, maximumque incommodum ex regularium ambitione proueniens, illud est, quod tales, non modo sibi solis, sed, & religioni ipsi pernicioſissimi existant. Quæ quondam de Caio Cesare, Seneca dixit, dicere, & nos de ambitiosis possumus. *In sua fata, pariter, ac publica immisit gloria, & ambitio, & nullus super cæteros eminendi modus.* Nec mirum, quia vt benè Plato in sua republica dixit. *Vbi de Principatu contenditur, cum proprium hoc sit, & inteſtinum bellum, tum eos, qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdit.* Quod etiam D. Leo Papa satius expræssit dicens. *Principatus, quem, aut seditio*

Senec. ep. 95.

Plato dialog. 3. de Repub.

ditio extorſit, aut ambitus occupauit, ipſius initij eſt perniciosus exemplo, & difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Idem ergo de ambitioſis regularibus fari poſſumus, quod non ſibi ſolis, ſed, & aliis etiam perniciem afferent. Vnde de illis apud Beatæ Brigittæ reuelationes habetur. *Prælati, qui ambiunt honores ſimiliores ſunt meretricibus, quam Prælatis: quia decipiunt animas malis exemplis ſuis.* De illis Cyprianus Martyr hæc habet. *Si ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocentur, videas quoſdam ex illis facillime vinci delicijs, impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ, quam cæteri alius ſit ex media plebe.* De his quoque grauis, & extaticus auctor Ioannes Rusbrochius ſic loquitur. *Nonnulli ſunt in religionibus nequam, aſtuti, ac duplices, & ſimulant ſe, quod non ſunt; & hos ſæpius contingit in ſublime tolli; aliiſque præponi, ac præfici. Tum vero ipſi ſe produnt. Haud ſecus enim, quam ſi in mundo agant, bonaque cœnobiorum, & honor ab anteceſſoribus adipſos iure, ac ſucceſſione hæreditaria deuoluta ſint, ſupra alios ſeſe efferunt; moxque ſanctitatis ſuæ obliti, bona temporalia adminiſtrant, ſuumque exercent dominatum.* Optimè etiam Innocentius. *Ambitioſus ſtatim, vt eſt ad honorem promotus, in ſuperbiam extollitur, in iactantiam effrænatur, non curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe.* Ecce habemus iam ambitioſos regulares (ſi qui ſunt) dum ad dignitatum faſtigia extolluntur, nec ſibi, nec aliis vtilitatem, ſed incommodum afferre.

S.Brig. l.6 reuel. c.65 D.Cypr. de dupli. martyr.

Rusbr. in taber ſęd. c.123

Innoc. 1 r c.26,&27

14 Tertium, & maximum ex ambitioſa ſuperbia religioſorum inconueniens exoriri potens, ſatiſque notum, illud eſt, quod, vt vno verbo dicam, tota fere vitiorum collubies ambitioſi regularis animum inuadere ſoleat. Id non modo experientia teſtis comprobat, ſed & Patres etiam diuino ſpiritu acti, cognouerunt. Ex quibus D. Baſilius, poſtquam monachos ambitionis labe notatos reprehendit, ſic loquitur. *Qui autem ab hoc vitio captiui tenentur, eos inuidos, contentioſos, inſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcentis denique alijs huiuſcemodi turbis, refertos exiſtere, neceſſe eſt.* Veriſſima ſanè, ſed non minus vera, quæ de monacho ambitioſo inferius idem Pater ſubiunxit. *Illorum etiam interitum exoptabit, quo videlicet, ſublatis de medio, in deferendis muneribus, neceſſario ſuffragia adipſum deueniunt. Atque ex hoc etiam aliud ſequetur, quod ijs, penes quos illa deferendi poteſtas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter,*

D. Baſil. conſt. mõ. c.10

Idem.

liter, ac seruiliter aget. Aduersus inferiores vero, si aduersentur, superbè, ac præsidenter se geret. Dolos conficiens commachinabitur, perturbationesque innumerabiles, ac suspiciones sibi accersit; à seque animi tranquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpote cui locus in eo non sit, vbi acquiescat. En totam vitiorum colluviem ambitiosi animum possidere, expressit Basilius.

Concinit Cassianus affirmans, eos, qui fratribus præesse student, nec prælatis suis, nec Deo obedire solitos. *Dum fratribus præesse festinant, nunquam senioribus ipsi subijciuntur, & à superbia inchoantes, dum instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt Deo agenda merentur.* Optimè etiam Ambrosius asseruit, ambitionem facere homines criminosos. Sic enim loquitur super Lucam. *Hoc ipso perniciosior est ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpe, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos.* D. quoque Bernardus breuiter rem totam peregit. *Ambitio*, inquit, *futile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, ex medicina languorem.* Pulchrè etiam, eleganter, & facetè Petrus Rauennas ambitionem descripsit. *Ambitio*, inquit, *est quædam simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio pro caducis, charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus, charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo.* Habes ergo sanctè religiosè, ex Patribus antiquioribus, totam fere vitiorum turbam, ambitiosi regularis animam inuadere solitam.

Cass. coll. 4. c. 20.

Ambros. in 4. Luc.

D. Ber. ser 6. sup. qui habitat.

Pet. Chrisol.

15 Iunge ex recentioribus pium, & S. Dionysium Carthusianum ser. 7. de Dom. 2. post Trinit. hic dicentem. *Fugiat omnis religiosus malum tam enorme, & inquietum* (loquitur de ambitione,) *cupiat subesse, & obedire, nescire, & paruipendi, non præesse, apparere, aut dominari, &c.* Et post pauca. *Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum prærere contendo. Nõne ex ambitione nascuntur viles adulationes adulatoriæ attractiones, pænales, ac stolidæ suspiciones, debitæ correptionis, ac correctionis omissio, personarum acceptio, inuidia, simulatio, falsitas: & multa prorsus similia vitia æternaliter detestanda, omnique religioso in infinitum odienda, ac fugienda, atque (vt breui concludam compendio (in omni pene, quòd agitur, inordinata ad se*

Diõ. Cart

ipsum

ipſum reflexio. Item ſerm. 5. de S. Michaele. *Ideircò ſummè vitanda eſt omnis ambitio, ac inuidentia, quia ambitioſi, & inuidi virtuti, & gratiæ, atque excellentiæ inuident proximorum. Veretur enim ambitioſus, ne eum præcedat in honore, aut prælatione, qui eum præcedit in prudentia, gratia, & virtute. Hinc ambitioſi ſunt detractores, & aliorum bona denigrare conantur, ac eos deprimere, intantum, vt crebro facta illorum veracitervirtuoſa, ac dona Spiritus ſancti illis collata, trahant in peius, attribuantque dæmonibus*. Hæc, & alia pius hic author in hoc, & alijs ſermonibus.

16 Nec ſilentio inuolui poteſt, quod grauis author Innocentius circa intentum noſtrum, ambitioſi monachi crimina recenſes, cæteris enucleatius dixit per hæc verba. *Ambitioſus ſemper eſt pauidus, ſemper attentus, quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat diſplicere. Humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur, & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur. Bene nouit illud poëticum,* Innoc. l. 2 c. 26 & 27

Etſi nullus erit pulvis, tamen excutit illum.

Promptus, & feruidus vbi placere cognouit, remiſſus, & tepidus vbi putauerit diſplicere. Improbat mala, deteſtatur iniqua, alia cum alijs probat, & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab hominibus, vt à ſingulis approbetur. Et ecce grauem intra ſe ſuſtinet pugnam, difficilemque conflictum dum iniquitas pulſat animum, & ambitio continet manum, & quod illa ſuggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Hæc doctus, grauiſque magiſter ambitioſi regularis vitia graphicè, lepidè, eleganterque deſcribens.

17 Sed quid malignam ambitioſorum indolem deſcribam ſi ipſi nihil mali non perpetrabunt, vt concupitam dignitatem, prælaturamque conſequantur? Cui crimini colla non ſubdent? Loquitur Laurentius Iuſtinianus. *Pecuniarum precio, adulatione verborum, ſimulationibus vanis, mercenariorum commercio, amicitijs fictis, & etiam cum corporis periculo, & interitu animæ, honoris primatum adipiſci deſudant*. Lege quendam Tartarorum Principem, Chan vocant, cum Stephanus Poloniæ Rex obijſſet, populuſque in Comitijs de rege creando deliberaret, ad Laur. Iuſt. de regim. Præl. c. 1.

Laur. Boyerlim in Apotheg. vero ambitio.

Comitia, mediis legatis, hæc dixisse. *Potentem se esse, & posse Myriades equitum educere è suis terris, Poloniæ tuendæ, vel augendæ. Item frugalem se esse, ac continentem, & sine vllis ciborum delicijs, sola equina, in fame contentum. Tertio, quod ad religionem attinet, tuus inquiebat, Pontifex, meus Pontifex esto, tuus Lutherus, meus Lutherus esto.* En quid non suadeat male suada ambitio? in quot crimina non detrudit, quæ barathra non descendit? Meritò ergo tantum malum à sanctissimis religiosis propulsare curemus, quod, & possessori ipsi, simulque clientibus, & nocumentum affert, & singulis vitiis ostia pandit.

S. Ephrem Parænesi 1

18 E contra tamen sanctissimam humilitatem monachi, qui solum Deo contentus dignitatum fastigia, honorumque celsitudines non quærit, quis non commendat, quis non summopere laudibus extollit? Loquantur Patres. Sanctus Ephrem Syrus, sic habet. *Monachus, qui non insolescit, sed submittit se, fidelissimam pacis mercedem accipiet, & altissimi filius vocabitur, pacis mediator factus. Suauiter verba sua cum humilitate depromens monachus, etiam ex lapideo corde lachrymas excitabit.* Rursum alibi, humilitatem monachi commendat exemplo cuiusdam, qui propter eam, à Dæmonis vexatione liberatum fuisse quendam alium, tradit. Alibi quoque. *Magna*, inquit, *felicitas, & gloria est humilitas, & non est in ea lapsus, atque ruina.* Et inferius. *Sicut piscibus aqua, ita monacho vita quieta in humilitate, & charitate.* Isidorus etiam hæc scripsit. *Summa monachi virtus humilitas est. Tunc autem se monachum quisque iudicet, quando se minimum æstimauerit.* De hac etiam monachi humilitate loquens Bernardus hæc habet. *Sponsæ humilitas, tanquam Narcissus, spargit odorem suum, amore æstus, deuotione vigens, opinione redolens. Voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor eius, nec repræhensione exterminatur, nec laude.* Sanctus quoque Laurentius Iustinianus, humilitatem religiosam, sic commendat. *Hæc humilitas sancta est religionis stabilimentum, condimentum orationis, fomentum charitatis, salutis medium, compunctionis incentiuum, ornamentum prælationis, & totius forma virtutis.* Adhuc melius in eodem libro sic. *Pacatissimus ergo, atque securus est humilitatis locus, quoniam habitatorem suum à casu protegit, disponat ad gratiam, & quamquam in præsidentiæ sublimitate constitutum, prorsus periclitari non sinit.* Sanctus etiam Doctor Dionysius Carthusiensis hæc dicit serm. 5 de Dominic. 5. post Trinitatem. *Elatus monachus est monstrum turpissimum*

Paræn 3

Idē de timore Dei

Isid. l. i. de sūmo bo.

D. Bern. ser. 42. in Cantica.

Laur. Iust. de inst. & reg. præl. c. 14.

Idē ib. c. 1

turpissimum coram Deo, humilitas autem facit religiosum Deo, & suis confratribus valde amabilem. Claudit agmen venerabilis Thomas Campensis monachi humilis sic mores commendans. *Humilis frater prælatum suum non iudicat, ne Deum Iudicem offendat, Socium non contristat, seniorem honorat, imperfectum tolerat, pro tentato orat, succurrit indigenti.* Et infra. *Humilis subditus magno præmio coronabitur in cælis.* Vnde concludit caput. *Sola humilitas vniuersos diaboli laqueos euadit, potentiamque prosternit. Quotquot decepti sunt, & ecci, per mentis elationem, inflati ceciderunt. Esto ergo humilis, & vilis in oculis tuis, ne Deo displiceas, & cum Diabolo corruas. Nam cælum non suscipit, nisi humiles, nec Deus elegit, nisi humiles, nec iustos approbat, nisi sint humiles.* Ecce iam religiose frater, superbam ambitionem officiorum, & dignitatum tibi reprobatam, veramque humilitatem, quæ te in humili subiectionis statu conseruat, magnis encomiis à Patribus tibi etiam commendatam.

Th. Cap. de disc. claust. l. 4. c. 1.

Idem.

19 Hinc monachorum sanctissimi antesignani humili monachorum statu contenti, totis præcordiis officiorum fastigia refugiebant. D Bernardus à tribus opulentis ciuitatibus in Episcopū à duabus in Archiepiscopum electus, nunquam adduci potuit, vt eam dignitatem admitteret. Beatum quoque Dominicum quatuor Episcopatus vario tempore oblatos, recusasse legimus. Ipsum imitati Sanctus Thomas Aquinas, & Vincentius Ferrerius; Neapolitanam cathedram ille; & iste Valentinam, Herdensem, & Cardinalatum reiicere, Bernardinus etiam Senensis à tribus populis Senensi, Vrbinatæ, Ferrariensique postulatus, nulli assensit: quin Eugenio Papæ sibi supra caput mitram imponenti, humiliter restitit. Alii autem Patres, & monachi sanctissimi, si Deo instigante. Dignitates aliquas susceperunt, eas nihil omninos non propria voluntate, sed à Deo vocatos suscepisse, tanquam à crimine ambitionis se purgantes, ipsi testati sunt. Diuus Chrisostomus sic de seipso mitram detrectante, loquitur. *Vbi exitium imminet, non nauis, sed animæ, quo non in maris aquas, sed in ignis æterni abyssum corruendum est; vbi etiam mors manet, non corporis solum, sed cum ipso corpore, etiam animi, quis admiretur, si me tanto discrimini exponere detrectem?* Legatur Anselmus, qui in epistola ad Falconem Episcopum Beluasensem, sic habet. *Sciant ergo omnes, sicut meæ conscientiæ dicit coram Deo, quem inuocare testem mendacij nefas esse scio, quia non me rapit, aut alligat ad Archiepiscopatum Anglorum cupiditas*

D. Bern.

D. Domin.

S. Thom. S. Vincent Ferrer. S. Bernardinus.

D. Chrys. 3. de sacerdotio.

cupiditas alicuius rei, sed timor Dei me cogit, pati, vt quamuis dolens, & timens ab Ecclesia Dei trahar. Legatur etiam, & Gregorius, qui in epist. ad Episcopos quosdam hoc in primis eorum animis suadere contendit, quod non nisi inuitus ad Pastoralis curæ culmen euectus sit. Sic vero loquitur. *Impar meritis, ac toto animo renitens pastoralis curæ pondera portare cōpulsus sum.* Adiungam, & alios, de quibus Marcus Marulus mira egisse narrat, ne oblatam sibi dignitatem acciperent. Isaac monachus de Scythia transmigrauit in Aegyptum, vastæ solitudinis secessum quæritans, vt prælationem sibi oblatam recusaret. Lamon monachus deuotissima oratione Deum precatus est, vt se ex hac vita migrare iuberet, quem importunæ preces aliquorum ad dignitatem accepetandam cogebant. Exauditus est pro sua reuerentia, & inuentus in oratione efflasse animam. Amonium Originis discipulum aurem sibi præcidisse ferunt, ne idoneus episcopali officio haberetur, & cum nihilominus ad eam dignitatem suscipiendam vrgeretur ab omnibus, etiam linguam sibi amputaturum, nisi missum faceret, protestatus est. Hæc, & alia Marcus Marulus. Sanctus quoque Hugo Carthusiensis, & Lincolnienſis Episcopus, teste Dionysio ser. 2. de eodem cum ad Prioratum posturaretur, sapientissimè respondit. *Nunquam per vnum diem potui custodire me ipsum.* Concludam ergo intentum sancti Gregorij verbis in suo Pastorali. *Hinc ergo præcipites colligant, cum quātaculpa, ex appetitu proprio, cæteris præferri non metuunt, si sancti Viri plebium Ducatum suscipere, Deo etiam iubente, timuerunt.*

Greg. l. 1. epist. c. 24

Marc. Marul in o. de. de modo relig viuendi. l. 1 c. 6.

D. Greg. 1. p. past. c. 7.

2o Tibi ergo consulens, sancte religiose, officiorum, dignitatūue fastigia, siue intra, siue extra, omnino refugias, memineris Christum petentibus sedes respondisse. *Nescitis quid petatis.* Laqueos Diaboli, officia, ministeriaque reputa. *Date mihi* (inquit Abbas quidam Cisterciensis) *Vnum de monachis in sacerdotium promotis, qui per occasionem Pontificatus non tulerit dispendium sanctitatis. An nescitis, quia honores mutant mores? Beatus Martinus dicebat, maiorem se habuisse gratiam ante Episcopatum, quam post Episcopatum. Beatus Gregorius papa conqueritur in primo Dialogorum libro, & deplorat se cecidisse a priori conuersatione sua.* Grauius tibi sit aliorum humeris superponi, quam vni prælato summitti. Teste enim D. Bernardo. *Stupenda est insania, animarum turbas custodiendas colligere, & vnum super propriam grauari habere Pastorem.* Etiam si videas officia, Prælatu-

Math. 20. Iustus Ab. in 2. rom. auct. bibl.

D. Bern. ep. 42.

laturaſque appeti ab aliis, renuas, fugias, & obnixe repellas. Vt enim optimè Seneca. *Nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima ratio ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla multa ſunt.* Dicque cum Platone, & Homero ab ipſo relato. *Malle in alieno rure, apud alium virum exiguæ ſortis mancipium eſſici, & quidlibet perpeti; potiuſquam opinionibus iſtis illudi, & in ea miſeria verſari.* Scias cum Seneca. *Regnum eſſe nolle regnare cum poſſis.* Et cum Lypſio. *Qui rectè facit, non qui dominatur, erit Rex.* Aluarez de Paz Ieſuitam audi ſic loquentem. *Si quid habueris, cui laus, & honor debeatur, illud ſi potueris, prudenter abſcondas. Periculoſum eſt talentum ad laborandum abſcondere, & in ſudario ligare: at valde tutum eſt, cauſas accipiendi honoris, & laudis occulere, & quemque ſe ab occaſionibus elationis ſubtrahere.* Et infra. *Occulta bona tua, ne ea fures, ſiue fauores humani deprædentur. Si Deo placitum fuerit, ipſe te manifeſtabi, ipſe te è latebris extrabet, & ſuper candelabrum ponet. Si autem ipſe non dixerit, aſcende ſuperius, cauene aſcendas, ne honores, & laudationes inquiras, quia eas fortaſſe Diabolus tibi ſuppeditabit, vt pereas.* Hæc ille, ſi tibi tamen forſan non diſplicuerit Prælaturæ onus, vt alijs ſpiritualiter proſis, virtute potius, ſanctaque obſeruantia religionis, quam fautoribus tale munus tibi adquirendum putes. Vt enim bene Plautus.

Seneca de vitabeata c. 1.

Plato dial 7. de rep.

Seneca de beneficijs Lypſ. in polit. Aluarez de Paz de vita ſpiri. t. 2. l. 4. P. 3. c. 6.

Virtute ambire oportet, non fautoribus,
Sat habet fautorum ſemper, qui rectè facit.

Plaut. in Amph.

Conſultius tamen tibi erit, ſic nec ſub prætextu vtilitatis aliorum onera officiorum inhies, conſiderans vixeſſe aliquèm qui Deo, ſubditorumque voluntati ſatisfacere queat. En Petrum Damianum Cardinalem ſic loquentem. *Quis valeat ſola monachorum tædia ſuſtinere? Quis tot, & tam varijs voluntatibus ſatisfaciat? Quis ſemetipſum per tam diuerſa formarum monſtra componat.* Et infra. *Si delinquentium vitia diſtrictæ animaduerſionis iudicio cornigit, impius, ſi circa eos remiſſius agit, zelo Dei creditur alienus.* Tandem, pie, ſancteque religioſe, D. Gregorij verba velim attendas. *Quid ſequendum eſt, & quid tenendum? niſi, vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Hoc tibi dictum puto.

Pet. Dam ep. 7

D. Greg. 1. p. past. c. 9.

Sectæ,

Sectæ, diuisiones, partialitates, contentionesque Religiones euertunt, regularique obseruantiæ maximè obsunt.

CAP XIV.

1 NVllum maius malum, nocumentumue ex praua regularium ambitione exoriri potest, quam, si (quod absit) in aliquam religionem semel propter Diaboli malitiam ingrediatur, maximas quoque in ipsa, ipsorum regularium diuisiones, partialitatesque conspici, fere necessarium sit. Testatur id Plato. *Ciuitas, in qua ciues ad expetendos Magistratus minime ambitiosi sunt, optimè, & procul à seditionibus permanet: cõtra verò, quæ aliter affectos habet ciues.* Sequitur Platonẽ discipulus Aristot. *Minores, vt fiant æquales; æquales verò, vt fiant maiores, seditionem faciunt.* Testatur, & id Sanctus Laurentius Iustinianus. *Vbi oro componuntur fraudes iurgia fiunt, iustitia deprauatur, pietas perit, opprimitur innocens, supplantatur sanctus, peccator laudatur, &c. Nonne in ciuitatibus, in quibus vnusquisque cæteris appetit esse potentior, facultatibus locupletior, opinione vulgi famosior?* Bene etiam Thomas Campensis. *Si omnes in claustris regere volunt, erit confusio magna, & turbatio frequens, peribit disciplina, &c.* Merito proinde postquam caput præcedens religiosorum ambitionem damnauit præsens iam partialitates, sectas, & diuisiones animorum, quæ ex ipsa exoriri possunt, abominabiles esse ostendat. Loquantur ergo Patres, & quid de tanto malo sentiendum sit proferant.

Plato l. 3. de dialogo 7

Arist. 5. polit.

D. Laurẽ. Iust. de vi. solit. c. 2.

2 Magnus Basilius multus est in præsenti negocio. In sermone etenim de institutione monachorum, illud imprimis stabiliendum contendit, vt summa pax, summaque concordia inter eos habeatur. Ad quod tenendum prorsus necessarium censuit, sectas, contentiones, singularesque sodalitates à conuentibus abesse. Hæc sunt verba Basilij. *Quoniam autem æquali prorsus inter se vicissim charitate complecti omnes debent, iustitia violatur quotiescunque in communi conuentu priuatæ aliquæ coitiones reperiuntur, aut sodalitates. Qui enim vnum aliquem, magis*

D. Basil. de instit. mon. in fem.

gis quam cæteros diligit, is, quod non perfectè cæteros diligat, de se ipso indicio est. Quocirca similiter ex conuentu reijciendæ sunt turpis, & indecora contentio, atque amor iste singularis: siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem singulari sodalitateque, suspiciones, inuidiæque oriuntur. Rursus quoque sic. *In hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri, aut amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis, quam in illam cohærent partem, plurimum incommodum communi omnium concordiæ.* In constitutionibus etiam monasticis, perfectissimam communionem religiosis necessariam appellat illam. *A qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est, & eliminata; Itemque, vnde dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest, & rixæ. Contraque: vniuersa communia, animi, mentes corpora, communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus.* Eodem quoque libro sic loquitur idem Basilius ad intentum. *Charitatem quidem habere inter se mutuam fratres debent, non ita tamen, vt duo, tresue seorsum a cæteris sodalitatem inter se coeant. Quando quidem hoc non charitas est, sed seditio, & eorum, qui sic coeunt improbitatis indicium. Si enim communi decus disciplinæ charum haberet, qui tales sunt, sine dubio communem, æqualemque aduersus omnes charitatem tenerent. Si verò ipsi à reliquis sua sponte abscissi, disiunctique in cœtu, cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ concilliatio est, atque hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinæ stabilitatem, constantiamque innouatio. Quocirca danda studiosè opera est, ne vllus omnino in conuentibus, sodalitatibus, istiusmodi locus detur.* Hæc Basilius, qui solus sufficeret pro præsenti causa patronus.

Idē in cōstit. mon. c. 19

Ibid. c. 30

3 Ba filio adhæret Sanctus Ephrem coætaneus, inter celeberrimos Ecclesiæ Patres iure numerandus, qui improborum regularium sui temporis mores detestans, quos vocat: *Crudeles, inhumanos, pestiferos, sceleratos, exitiosos, inimicos, ignauos, prædones, vagamundos, arrogantes, contumeliosos, obtrectatores, perniciosos, proditores*, dum similium vitiorum radicem quærit, non aliam, nisi monachorum discordiam, prauamque, ac contentiosam æmulationem esse tradit, dicens. *Vnde, quæso accidit tales non esse, nisi inde, quod mutuam inter nos dilectionem non*

S. Ephrem aduersus eos, qui vitiosè viuunt, & honores appetunt.

habeamus? Nisi quia pura inter nos non sit concordia? Nisi quia in nobis vera humilitas non est? Paulo ante, angelicam monachorum vitam in diabolicam, & mundanam translatam ex simili sectarum radice in cœnobiis, elicit. *Cum Angelicum feramus habitum, vna cum Diabolo militiam gerimus, habitus quidem est Angelicus, at vita mundana. Nunquid inter Angelos in Cœlis contentiones vigent, & emulationes, sicut nunc inter monachos videmus? Radices quippe egit inter eos amulatio, & inuidia.*

Idē ibidē

Rursus ad idem de tanto vitio remouere monachos conans, sic dicit. *Ne in contentionibus fortes sitis, & in psalmodijs imbecilles. Nolite in cogitationibus esse vigiles, & ferarum instar, contueri inuicem, in precationibus autem dormitare. Ne sitis in nugis adferendis valentes tanquam tauri, & in laudando, ac gloriscando Deum debiles, vt vulpes. Ne in verborum contentionibus sitis inuicti, & in rebus spiritualibus oscitabundi.* Paræneſi quoque prima, rixas, & contentiones ex monachorum superbia oriri affirmat. *Monachus* (inquit) *superbus excitat rixas, & contentiones, in monasterio.* Et infra. *Monachus cum alijs colluctans abominationi erit, & coram honoratis Viris dedecorabitur.* Hæc, & alia Sanctus iste Pater de sectis, & diuisionibus monachorum disseruit, quibus quantum mali religionibus afferant, satis ostendit.

Ibidem.

Id. paræ 1

4 Adstipulatur etiam Diuus Hieronymus, qui adeo necessariam putat in monachis charitatem, quæ eorum partialitatibus opponitur, vt sine ipsa, nec monachos, nec religiosos esse, nec aliquid illis obseruantias regulares prodesse, dicat. Hæc Hieronymus. *Charitas religiosos, charitas monachos facit: sine hac monasteria sunt Tartara, habitatores sunt dæmones; cum hac vero sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli. Ideoque, licet vos longa macerent ieiunia, abiecta, & nigra vestis deformet; longa officiorum, & operum texatur series; si intus desit charitas, ad infimum nondum religionis gradum peruentum est.* Ecce religiose, quantum detestetur Hieronymus monachorum dissensiones, & sectas.

D. Hieron in regul. mon. c. 1.

5 D. quoque Augustinus in sermone de pace, inter sermones ad fratres in Eremo, si Augustiniani sunt, multa dicit, quibus, & concordia monachorum commendatur, & illorum rixæ, & contentiones maximè damnantur. *O pax,* inquit, *Eremitarum mater, Cœnobitarum pater, monachorum soror, tu Patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apostolorum refugium,*

Author apud Aug. ser. 1. de pace

tu

tu Martyrum solatium, tu Confessorum balteum, tu Virginum tripudium, tu Viduarum speculum, tu Coniugatorum spectaculum, tu Tyrannorum odium, tu Latronum suspendium. Infra quoque monachis concordiam suadens, sic loquitur. *O monache, habeto pacem in cunctis: nam si fratri iraseris, si proximum odis, tibi contradicis in oratione Dominica: clamat enim monachus: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. O monache, si pacem non diligis, si proximum odis, quo iure, quo pacto, qua fronte, quid tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Habeto ergo pacem cum omnibus.* Concludit vlterius. *Vos autem fratres ad inuicem pacem amate, quæ quidem pax custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, quæ exsuperat omnem sensum, Amen.* Ecce monache, pacem satis commendatam, rixasue, & contentiones, si quas habes, non obscurè authoris istius verbis, reprehensione damnatas. Idem.

6 Liceat post hos Patres antiquiorem Origenem recensere, qui quantum malum religionis afferant dissensiones, & discordiæ, hisce adstruit verbis. *Discenda igitur nobis magnopere est consonantia disciplinæ, quia tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit; si vero sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: ita, & ijs, qui Deo militant, si dissensiones, & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, & multa munera offerant Deo.* Eleganter sane, & aptissimo exemplo declarat Origenes, obseruantiam regularem penitus abesse, vbi dissensiones, & sectæ regularium adsunt. Orig. ho. 26 in Numeros.

7 Audiatur præterea mellifluus Pater Bernardus, ex quo pauca, & breues, & si aureas, pro hoc intento sententias excepimus. In sermone quodam ex paruis, sic habet. *Nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur, & dissensio in congregatione.* Deinde in tractatu de ordine Vitæ sic alloquitur monachum. *Detestare superbiam, fuge contentionem. Rectores monasterij dilige, vt parentes, time vt Dominos, crede esse salutare, quod iniungunt.* Dixerat autem superius. *Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, & proprias voluntates faciendo, infinitas monachi, qui nunc sunt, culpas incurrunt. Hinc est, quod ex horum magna multitudine, qui sæculum deserunt, rari valde in-* D. Bern. ser 63. Id. in trac. de Ordin. vitæ.

ueniuntur, qui mortificatis vitijs ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Specialius tamen idem Pater in tractatu de modo viuendi ad sororem, mirè veritatem hanc confirmat. *Volo,* inquit, *quod cognoscas, quia nihil est turpius, quam lites inter religiosos, qui debent per concordiam, & dilectionem lucere in mundo, sicut luminaria in cælo.* Et infra. *Si detractio, & iurgia sunt in clausiro; vbi est taciturnitas Regularis? Vbi sanctitas Religionis? Vbi silentium Ordinis? Vbi religiositas Monasterij? Vbi vinculum Charitatis? Vbi pax Vnitatis? Vbi concordia Fraternitatis? Vbi amor socialis? Heu prob dolor! Perijt taciturnitas regularis, ablata est sanctitas religionis, defecit silentium ordinis, ad nihilum deuenit religiositas monasterij, annullata est charitas fraternitatis.* Et inferius. *Si illi, qui in pace debent viuere, incipiunt contendere, litigare, detrahere, vbi est vita tranquilla, vbi vita quieta, vbi vita pacifica, vbi vita honesta, vbi vita modesta, vbi vita casta, vbi vita contemplatiua, vbi Angelica.* Adhuc inferius. *Tu ergo cum consilio vanitatis non sedeas, & cum mala loquentibus non commiscearis, non contendas in vlla causa, in nulla causa decertare studeas. Contentio lites parit. Contentio pacem cordis extinguit. Contentio rixas gignit. Contentio iurgia seminat. Contentio fasces odiorum accendit. Contentio concordiam rumpit. Contentio conturbat oculum mentis, &c.* Tandem sic concludit caput, & intentum. *Igitur charissima, sicut superius dixi, in nulla causa decertare studeas. nisi vt soli Deo placeas.* Hæc inter alia sanctus Bernardns, satis clare monachis pacem commendans, iurgiaque damnans.

Id. de modo viu. Ed. fer. 17.

Idem.

Idem.

8 Sed, & grauis Auctor Riccardus de sancto Victore, cætus religiosos, in quibus dissensiones, discordiæque inueniuntur, non sine lamentis, & mærore deplorat sic. *Heu, in quos fines, imo fæces sæculorum, homines deuenerunt. Cum ipsa religionis electio, nostro miserabili tempore, tanta diuisione spargatur, ut uix unus alteri conueniat in unum, nisi forte aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vbique apparent scissuræ Ciuitatis Dauid; & in tantum iam hiant, ut uicinam ruinam omnino minentur. Seruatur sub tunica una, & uesti simili, cor uarium, & omnino dissimile; ita ut de religione antiqua uix signa seruentur.* Hæc de sui temporis monachis plangit Riccardus, faxit Deus de nostri sæculi regularibus nihil tale dicere possimus.

Riccard. lib de gradibus charitatis.

9 Iunge his Patribus sanctum Antonium Patauinum, Minoritarum ornamentum, qui in sermone de sexagesima hæc habet.

Heu

Heu quantæ ſciſſuræ, quanta ſcibiſmata, quanta diuiſiones, & diſſenſiones ſunt in petra, ſcilicet religione. Super quam ſi ceciderit Diuini Verbi ſemen, non fructificat, quia non habet humorem gratiæ Spiritus ſancti, qui non in ſciſſuris diſcordiæ, ſed in veritatis habitat manſione. Et infra ſic. *Vbi ſciſſuræ, ibi lis in capitulo, diſſolutio in Choro, murmuratio in Clauſtro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Inferius quoque ſic. *Talis religio eſt camera apothecaria. Poſtquam enim diſſident interius, laudes quærunt exterius. In foro enim communi, tanquã quidam Apothecarij, falſi religioſi, ſophiſticas ſpecies vendunt. Sancti videri volunt, ſed eſſe nolunt.* Hæc Antonius, ſatis magna excuſſione, & ponderatione digna ad intentum. S. Anton de Padua. Idem.

10 Ad hæc Dionyſius Carthuſianus ſermone ſexto de Pentecoſte ad religioſos, ſic habet. *Studeamus ſemper pacificè pariter conuerſari, imo, & cum his, qui odium pacem pacati, & tranquilli conſiſtere, diſcordantes pacificare. Beati namque pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Turbatores verò, contentioſi, detractores, ſeminatores diſcordiæ, litigatores, pungitiui, mordaces, cuius, niſi filij Diabolj comprobantur. Namſicut in pace factus eſt locus Dei, ita in perturbatione, contentione, & diuiſione eſt locus Diaboli.* Dio. Carth.

11 Vltimo audiatur noſtri ſæculi decus Sancta Virgo Teresia, quæ dum in conuentu Abulenſi Sancti Ioſephi in Veſpera Pentecoſtes moraretur, in extaſi, & raptu à Deo illuminata, quatuor ab ipſo verba ſuſcepit, Patribus diſcalceatis commendanda, quibus in dies magis, & magis eorum noua planta religionis ſuccreſceret: Quorum primam illud erat; quod prælati conformitatem voluntatum ſemper haberent. *La primera, que las cabeças eſtuuieran ſiempre conformes.* Ne vero putaretur documentum hoc, ſolum pro prælatis, non tamen pro ſubditis, neceſſarium eſſe, ea propter ipſamet Virgo, alibi, maxima ſolicitudine euitandas eſſe amicitias, & conuentiones ſingulares ſanctimonialium ſuadet. Inter alia ſic. *Eſtas amiſtades grandes, pocas veces van ordenadas, à ayudarſe à amar mas à Dios; antes creo las haze comenzar vandos en las religiones.* Et infra. *Todas han de ſer amigas, todas ſe han de querer, todas ſe han de ayudar; y guarderſe, por amor de Dios de eſtas particularidades.* Adhuc inferius magnam curam adhibendam eſſe, in obuiandis huiuſmodi partialitatibus in ſui initio, ſic docet. *En atajar eſtas parcialidades, es menester gran cuidado, desde el principio.* Tota hæc S. Ter. in eius vit. Item in l. de via perfect. c. 4 Ead.

ſanctiſſimæ

sanctissimæ Virginis doctrina euidenter satis exponit, partiales diuisiones, & contentiones regularium, totius ruinæ religiosæ causam esse.

12 Nec mirum hos Patres tam solerti cura, & solicitudine, huiusmodi contentiosas partialitates reprobasse, quia re bene perpensa, nec monachi, apud quos illæ vigent (si aliqui sunt) monachi nomine digni erunt, nec multitudo scelerum ab illis abesse poterit. Primum optimè Dacrianus Abbas in suo speculo monachorum sic expræssit. *Si inuidiam, odium, amarulentiam, indignationem, à te pro viribus non repellis, si suspiciones temerarias, querimonias pueriles, murmurationes sceleratas non reijcis, monachus non es. Si contentioso, acrique dissidio, inter te, & alterum forte exorto, non mox de reconciliatione tractas, & quauis iniuria affectus, non statim condonas, sed vindictam expetis, aut voluntariam simultatem, minusque sinceram affectionem in corde retines, monachus non es, Christianus non es, abominabilis coram Deo es.* Hæc Dacrianus quoad primum. Dacrian. in spec.

13 Quoad secundum verò, adeo difficile est, scelera criminosa, quæ partialitates regularium sequi possunt, recensere, vt non mirum omittantur plura. *Magna dissensionibus incommoda oriri solent*, dixit quondam Iulius Cæsar. Sanctus quoque Ephrem Syrus sic, *Familiaritates, ac colloquia eiusmodi, haud exiguum detrimentum pariunt animæ.* Ergo primum illud erit; dispendium scilicet veræ charitatis, inter tales partiales ne cessario reperiri. Exprimunt id S. Basilius, Ephrem, & Bernardus iam adducti. Ex quibus Ephrem pro eodem reputat, quod inter monachos non sit pura concordia, ac quod inter illos, non sit mutua dilectio. Clarius Basilius. Ideo enim coitiones, vt ipse loquitur, sodalitates, & partialitates in monachis detestatur. *Quoniam* (inquit.) *Æquali prorsus inter si vicissim charitate complecti omnes debent.* Et rursus inquit. *Quia charitatem habere inter se mutuam fratres debent.* Et inferius. *Quando quidem hoc non charitas est, sed seditio.* Et rursus. *Qui vnum aliquem magis, quam cæteros diligit hic, quod non perfectè cæteros diligat, de se ipso indicium est.* Habent id quoque Hieronymus, author apud Augustinum, & Origenes relati: specialiter S. Virgo Teresia per hæc verba. *Haze daños à la comunidad muy notorios: porque de aqui viene el no se amar tanto todas.* Ecce ex his Patribus habetur, charitatem cum diuisionibus, & partialitatibus monachorum, stare non posse. Charitate verò à religiosis cæ-

Cæsar. l. 7 s Ephr. t. 1 pag. 51 S. Basil. vt supra. S. Teresia vbi supra.

tibus

tibus detracta, necesse est vitam regularem deperdi, simulque statum perfectionis extingui. Optimè enim Seneca. *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximè dilabuntur.* Melius Basilius. *Possibile non est Ecclesiam in altum crescere, vinculis non colligatam pacis, ac charitatis. Quia* (vt ibidem loquitur,) *facti sumus velut arena, non coniuncti inter nos, sed singuli per se diuisi.* Ad quod bene Mantuanus noster. Sene. l. 14 D. Basil. in orat. quadam.

Sydera pace vigent, conflictu terrea pace.
Nil placidi est sine pace Deo, nec munus ad aram. Baptista Mantu. de pace.

Proinde ergo elici merito valet, cætum illum religiosum, in quo partialitates vigent, cum charitas necessario absit, ruinam certissimam minari.

15 Præterea incommodum aliud ex partialibus dissensionibus regularium procedere potens, silentio non concludam. Illud vero est: quod nec boni religiosi præmiis afficientur, nec improbi pœnas debitas luent. Seditio namque, sic sectarios, & rixosos excæcat, vt sæpius in maledictum illud prophetricum cadant, dicentes. *Malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Qua propter merito Nazianzenus dixit. *Malos, & bonos, apud nos, non constituunt mores, sed dissidium, & in opinione consensus.* Vnde subiungit. *Quæ hodie laudamus, cras vituperamus, ac quæ apud alios vituperantur, apud nos admirationi habentur.* Congruit ad id etiam illud magni Gregorii in moralibus. *Peruersæ mentes, si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersus hoc responsionibus impugnant.* Rationemque eleganter subdit. *Quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit, placent.* Fiunt tales vulturibus similes, de quibus Plinius. *Ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt: sic inimicus, si quid est delicti statim olfacit, atque eò statim accurrit, ad recte facta stupidus.* Clarissimè tandem id pius, & modernus religiosus sic expræsit. *Detracta à viris religiosis charitate, virtutes aliorum spernuntur, & vitia videntur. Mansuetudo apparet insensibilitas, silentium singularitas, feruor iudicatur imprudentia, & deuotio sancta, mulierculorum, vel puerorum lachrymæ.* Ecce magnum nocumentum ex sectis, diuisionibusq; regularium manans. Esai. 5 D. Greg. Nazianz. D. Greg. l. 9. moral. Plin. l. 10. c. 6. Paz t. 1. l. 3 p. 3. c. 32

Regulæ

16 Regulæ quoque, sacrarumque constitutionum regularem observantiam, à monachis seditiosis, & partialibus vilipendi, facilius comprobatur. Habet id clarissimè sanctus Bernardus adductus, itaut alius desiderandus non esset. Riccardus quoque iam allatus de istis, qui in religionibus *cor varium, & omnino dissimile* ferunt, merito subiunxit: *Ita vt de religione antiqua vix signa seruentur.* Verissimè etiam Cassiodorus rem totam expressit dicens. *Conspiratio apud spiritualiter viuentes, contra Ordinis disciplinam, & maiorum institutaconfæderatio est.* Pulchrè etiam Antonius Paduanus iam relatus. *Vbi sciſſuræ, ibi lis in Capitulo, dissolutio in Choro, murmuratio in Claustro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Olfecisse videtur id Persius. Postquam enim dixit.

Bernard. Riccardus. S. Anton. vt sup. Persius.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Cum hoc coniungit postea.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Melius Christianus Poeta Mantuanus noster in Egloga, cui titulus est Bĉbus, vbi de religiosis cętibus agit, his versibus expræssit.

Mantuan. Eglog. 10

Qui veteres audent ritus mutare, suoque
Arbitrio, & nullis ducunt sub legibus Aeuum:
Hi sunt, ò, Mirmixe, qui bella domestica gignunt.

Vbi clarè præclarus Poeta, nostræque quondam religionis Antistes, bella domestica gigni ab illis, qui regularem disciplinam spernunt, docet. Id tandem Aluarez de Paz optime intellexit, dicens. *Væ cætibus religiosis, qui habenas discordiæ, & dissidijs laxarunt, quia ad horum ingressum, egreditur Sanctitas, fugit mentis puritas, & studium virtutum procul abigitur.* Et rursus. *Si religiosi se auersione mutua, & dissensionibus separant, si se mordeant detractionibus, & contumelijs lacerent, & mala voluntate consumant, hinc religionum pernicies, hinc sanctitatis exitium, & calamitas; &c.* Habeat ergo ex ijs testimonijs Lector, sectas, & diuisiones in communitatibus regularibus, religiosam, obseruantemque vitam penitus euertere.

Paz vbi supra.

17 Insuper quomodo, aut qualiter seditiosi, discordesque religiosi, Dei laudibus insistere poterunt? Teste enim Augustino. *In discordia nemo benedicit Deum.* Vel saltem, si Deum laudant,

Auguſt. in psalm.

non

non in choro laudare promerentur. Dicente Hieronymo. *Quis quis concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Vbi dissensio est, ibi chorus non est.* Optimè quoque Gregorius in suo Pastorali. *qui abstinentiam à concordia separat, quid admoneat Psalmista, perpendat: Laudate eum in tympano, & choro. In tympano namque sicca, & percussa pellis resonat. In choro autem voces societate concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed tamen eum non laudat in choro.* Rursus quoque idem Pater. *Discordes, tamdiu nullum bonum operis sacrificium immolant Deo, quamdiu à proximorum charitate discordant.* Ecce iam religiosi Patres, damna, incommodaque aliqua ex innumeris aliis selecta, quæ prauas dissensiones, & diuisiones communitatum, vel comitantur, vel subsequuntur. Hie. in ep. ad Rom. D. Greg. 3 past. c. 23.

18 Vt verò quantum sibi damnum, in spirituali vita quoque adquirant monachi, sectis, diuisionibusque dediti, ex tremendo exemplo, quod de quodam monacho narrat Illustrissimus Petrus Damianus, facile innotescet: Verba ipsius Damiani hæc sũt. *In Perusino Monasterio, sancti videlicet Saluatoris, cui nuper & ipse præfui, quidam monachus paulo ante fuerat, nomine Guinizo, astutus nimis, & callidus, secularibus argumentis, ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque, dum in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis, astuans non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt Diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ditioni, se etiam corporaliter manciparet. Cui tamen seductor Spiritus exigenti ante promisit, quod tertio priusquam moreretur die, suum sibi exitum nunciaret. Credidit infelix, & diu postmodum viuens, ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso, adest fideiussor iniquus, & perendianum, sicut spoponderat, obitum, innotescit. Protinus, aduocatis illefratribus, cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi inflarent dicentes: esto confessus, age pœnitentiam; repente ille obdormiebat, & siue pulsantibus, siue clamantibus, euigilare non poterat, si non illi obticescerent, vel aliud quid, præter pœnitentiam, loqui vellent. Mox ille expergefactus inuicem loquebatur; sed rursus, audito nomine pœnitentiæ, obrigescebat in sensibus, sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, est infeliciter deuolutus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turba non cessabat sepulturæ eius assistere, & quasi depo-* Pet Dam. l. 6. ep. 30.

situm custodire; ita vt non minimo videntes horrore concuterent. Horribilis hic casus à grauissimo, & fidelissimo authore relatus, conuincit manifestè, quam in proximo sibi æternam damnationem pariant monachi litigioli, & partiales in religionibus. Vnde ipse Damianus sic subdit. *Heu quam perniciosa res Spiritus contumax; & litigiosus in monacho!*

19 Omninò ergo, Deo dicati Patres, sectas istas, partiales q; diuisiones in nostri cætibus fugiamus, dicamus omnes, nos esse Iesu Christi, non autem Zephæ, vel Apollo. Schismata charitati aduersantia omnino pellamus. Antiquorum monachorum vestigia sectemur, in quibus nihil tale repertum fuit, quin potius Chrysostomo teste. *Non est illis tumultus, non morbus, non ira, omnia tranquillitas, omnia pax.* Et infra. *Propterea hos præsertim laudo, & admiror, tum propter alia, tum propter hanc dilectionem.* Audiamus Salomonem in prouerbiis. *Homo peruersus suscitat lites, & Verbosus separat Principes.* Et rursus. *Labia stulti immiscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.* Et Paulum dicentem. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et rursus alibi. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Audiatur præterea Cassiod. *Summopere iurgia fuge. Nam contra parem contendere anceps est; cum superiore furiosè; cũ inferiori sordidè.* Cũ spiritui, & non carni monachi seruire debeamus, ideo schismata, diuisiones q; non patiamur. Testatur. n. Aug. *In eccl. carnales diuidãtur, spirituales omnino nõ diuidãtur, quia illis est cor vnum, anima vna, vnum velle, & nolle.* Porrò tegulares non posse spirituales euadere, quantumlibet virtutibus polleant, si discordes sint, clarè habet Gregorius vbi supra dicens. *Discordes admonendi sunt, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est: fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum Spiritum recusat.* Ergo cum D. Bonauentura, mutuatis verbis ex Bernardo, loquar. *Iungant se animis, qui iuncti sunt institutis, inuicem se foueant, inuicem se defendant, inuicem onera sua portent.* Quia vt ipse alibi loquitur. *Quid pace bonestius? Quid vnitate iucundius? Aut commodius socialitate? Quid charitate melius, aut prætiosius inuenitur? Glorioſissimum quidem, & potissimum liberalis animi, & conscientiæ bonæ indicium, pacem proximi custodire.*

Chrysost. hom. 57. ad popul. Antioch.

prouerb. 16, & 18

1. Corint. 14. & ad Gal. 5

Cassiodor in psal.

D. Augustin. serm. de quinquagesima.

D. Greg.

Bonauent. 1 part. c. 32. idẽ in spec. p. 2. p. l. c. 3.

20 Quamuis tamen in subditis, & inferioribus regularibus huiusmodi

huiusmodi diuisiones, contentionesque partiales minus malæ forent, in prælatis tamen, superioribusque religionum, tale crimen admittere, horrendum esset, & incollerabile malum. Testatur hoc sanctus Ephrem Syrus dicens. *Nefas est maiores scandalo esse inferioribus, ipsisque exemplo esse improbe conuersationis.* S. Ephr. in doctr. var. cap. 65

Quoniam scriptum est: Væqui potat proximum suum subuersione turbida. Habet, & id dulcis Pater Bernardus in quodam sermone. *Si subditi quandoque turbantur, prælatorum est in mente composita perdurare.* Id ipsum sancta Virgo Teresia superius adducta, sentiebat, dicens: huiusmodi dissensiones pessimas esse in subditis, in superioribus verò pestiferas. *Se, que es malissima cosa en todas las monjas, y en las Preladas seria pestilencia.* Quorum omnium ratio est, quia prælatorum dissidium in totius communitatis dispendium redundat. Vt enim Chrysostomus concinnè disseruit. *Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic Regibus aduersantibus sibi, populus regni vexatur.* Congruit Horatianum illud. D. Bern. ser. 63. ex parvis. S. Teresia vt supra. Chrysost. in primū Matthæi Horatius. Cicero 1. de finibus

Quidquid delirant Reges plectuntur Archiui.

Concinitque Cicero. *Neque ciuitas in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum domus.* Eò præsertim, quod tales prælatorum seditiones, vt plurimum validiores sunt cæteris. Testatur enim Aristoteles. *Tunc potissimum paruæ seditiones inualescunt, cum inter Reipublicæ Principes agitantur.* Vnde merito subiungit. *Itaque talibus malis initio occurrere, & Principum, potentiumque discordias, protinus dirimere oportet.* Occurrant igitur sacrarum communitatum Rectores tanto incommodo, quale ex illorum partialitatibus oriri posse constat. Aristot. 5. polit. c. 4 Plutarc. in moral.

21 Curent etiam prælati, superioresque omnes à tali labe, commissum sibi gregem illæsum custodire; totis præcordiis in id anhelent. *Vt enim* (Plutarchus loquitur) *macula statim eruēda, ne inhæresc at, & difficilius eximatur, ita dissensio fratrum illico tollenda, ne gignat odium.* Id ipsum Gregorius admonet his verbis in Epistola ad Subdiaconum Rauennæ. *Prædicto fratri, & Coepiscopo nostro dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor, aut quinque monasterij monachis, in quibus corrigi actenus minime potuit, studiosissimè compescat. Et hoc ipsum monasterium à tali peste mundari festinet. Quia si illic peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in Congregatione eadem poterunt permanere.* Id ipsum quoque D. Orisiesius antiquissimus D. Greg.

monachus in bibliotheca relatus, Prælatis consilium dabat, dicēs. *Cauete ne alios diligatis, alios oderitis, nec hunc sustentetis, & illum negligatis, & cassus inueniatur labor vester.* Imo hoc esse boni, rectique Prælati officium testatur Laurentius Iustinianus talem dum vocans. *Qui dirimit lites, fugit iurgia, tollit odia, pacem sectatur.* Quæ tandem Episcopus Pacensis Simancas ad aliud intentum dixit, huic proposito accommodare libet. *Si forte Ciuitas, vel Prouincia factionibus diuisa sit, neutri parti præfectus Vrbis faueat: id enim scelus maximum esset; imo verò summa ope, ac diligentia curet, vt vtrosque ad amicitiam ducat, vel certè ad concordiam trahat.* Faxit Deus, vt ex his, quæ hoc capite diximus, monachi omnes sectis, diuisionibusque omninò contradicant, in id quoque Prælati præcipuè incumbant.

Laur Iust. de instit. præl. c. 20

Siman. de repub l. 8. c. 26

Sancti, rectique Prælati Religiones in suo nitore conseruant, improbi verò regularem disciplinam naufragari faciunt.

CAP. XV.

1 INter ea incommoda, quæ ex partialibus monachorum factionibus pullulare possunt, illud imprimis recensēri debet, quod sæpius mali, deprauatique regulares ad officia ordinis administranda eligantur. Cum enim partiales regulares (si qui sunt) improbi quoque sint, improbos etiam sibi superiores præfici curant. Hac de causa cum præcedens caput, rixas, & seditiones regularium damnarit, præsens nunc Prælatus improbos totius Religiosi status ostores esse, sicut, & bonos Rectores, veræ quoque Religionis patronos iure vocari ex Patribus comprobabit. Iam ergo ipsi, vt iudices recti nostro more sententiam dicant.

2 Ad quod vnus pro mille sufficeret D. Gregorius Magnus, qui sicut prælationis munere maximopere excelluit, sic quoque sæpius in suis scriptis boni, malique prælati mores recensēt. Libeat ergo aliquot ipsius specialiora testimonia, circa nostrum intentum, de damno, quod improbi prælati religionibus inferunt,

de in

de in medium proferre. Primo ergo super Euangelia, de infructuoso Pastore sic loquitur. *Si fructus non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat cæteris, quia quicumque sub ipso sūt, exemplo prauitatis illius, quasi vmbra peruersitatis eius præmuntur.* Ad idem in suo Pastorali, celebrem hanc sententiam protulit. *Cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequitur.* Et rursus ibidem. *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam, qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet.* Rursusque. *Necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se lutum tenet.* Deinde sic habet. *Discant Prælati, quomodo etiam commissis sibi exempla bene viuendi exterius præbeant. Scire enim debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos peruersionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarū, quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt.* Alibi quoque sic idem Pater. *Ita sibi regentium merita connectuntur, & plebium, vt sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat vita subiectorum.* Idem tangit in epistola ad Leonardum Hispalensem dicens. *Sentio, quod negligente me, crescat sentina vitiorum.* Alia ex Gregorio prætermitto, quę, & in ipso non difficile reperiantur; quia, & hæc satis indicant intentum, proclamantque satis, qualiter mali prælati, superioresque religionum, vitam sibi subditorum peruertant.

D. Greg. hom. 31. Idem in past. p. 1. c. 2. Idem in past. 2. p. c. 2. Item 3. p. admon. 5. Li. 6. ep. ind. 15. c. 171 L. 1. ep. c. 41.

3 Ante D. Gregorium Sanctus Ephrem Syrus improborum prælatorum vitam valde nociuam religiosis fore, hisce verbis cōprobauit. *Oportet maiores minoribus formam præbere, atque exemplum ad omnem virtutem, vt non demus occasionem quærentibus occasionem. Nam si nos inobedientes simus, quomodo cæteris obedientiam demonstrabimus? Si gulosi, aut ebriosi, aut auari, quomodo inferiores nobis temperantiam, aut patientiam docere poterimus? Si nos temerarij, aut multiloqui, instabilesue fuerimus, quo pacto iuniores nobis grauitatem morum, ac tolerantiā, constantiamque docebimus?* Posthæc, reijcit futilē improbi prælati excusationem, sic. *Sed dices mihi: Tametsi ego non faciam, dico tamen quod expedit fratri meo. Et quid prodest nobis charissime, alios admonere, si ipsi contraria agamus?* Ex quibus liquido satis innotescit, plurima vitia inuadere religiosum cætum, si illi improbus prælatus præficitur, nec excusari, quod bene moneat, si

S. Ephr parænn. n. 15. Idē ibidē.

neat, si benè monendo suæ rectæ vitæ specimen non præbeat.

3 Accinit, & Sanctus Bernardus, qui non obscurè veritatem hanc sæpius inculcat. Audiatur in expositione super Cantica. *Parum est nostris vigilibus, quod non seruant nos, nisi, & perdant, alto quippe demersi obliuionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum ex pergiscuntur, vt suum ipsorum periculum expauescant. Inde est, vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter, & pereuntes.* Ecce subditorum ruinam à Vigilum negligentia exortam ex mente Bernardi. Vnde in sententiis sic habet. *Triaprælatis necessaria sunt, viua fidei, & doctrinæ sinceritas, vt inhabitent in eadem regione; studiosa bene operandi sedulitas, vt vigilias cum pastoribus celebrent, de salute subditorum diligens curiositas, vt custodiant gregem suũ.* Quid diceret Bernardus de Prælatis contraria facientibus, facile innotescet.

D. Bern. Id. in sent

4 Graues quoque sententias pro hac parte, grauis quoque Doctor Sanctus Isidorus proferat. Sic ergo loquitur ad intentum de improbis prælatis. *Sæpe per quos iustitia docetur, per ipsos peccati morbus irrepit, & mors ad plebem pertransit, scilicet, uel dum mala docent, uel dum praua faciunt. Plerique Sacerdotes, & Clerici, prauè viuentes forma cæteris in malum exiliunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt.* Et infra. *Ex carnalium præpositorum exemplo, plerumque fit vita deterior subditorum.* Rursus. *Capite languente, cætera corporis membra inficiũtur. Vnde scriptum est: Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem, non est in eo sanitas. Caput enim languidum, est doctor agens peccatum, cuius malum ad corpus peruenit, dum eo, vel peccante, vel prauè docente, pestifer languor ad plebem subditam transit.* Eodem quoque libro sic. *Exemplis suis vitam bonorum corrumpunt.* Hęc Sanctus hic Pater proposito nostro deseruientia protulit.

D. Isid. 3. sen. c. 38 Id. ibid.

5 Præterea Seraphicus Bonaventura, inter causas quare religiones, ad antiquo feruore desecerint, eam statuit. *Quod cum regimen Ordinis deuoluitur ad Iuuenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt.* Quod est dicere: Improbos Rectores, improbos subditos gignere. Hinc idem Sanctus Doctor in soliloquio inquit. *Semper timeo, quod dicit Gregorius in registro. Ita sibi regentiũ, & subditorum merita connectuntur, vt sæpe ex culpa præsidentium, fiat deterior vita subditorum. Et sæpe ex merito plebium delinquat vita Pastorum.* In sua quoque pharetra ex Augustino

D. Bonau. q. 19. circa reg. Id. in soliloq. c. 2

sic

sic habet. *Omnis, qui male viuit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, omnes occidit.* Rurſus ibidem ex Diuo Gregorio. *Cum maiores ipſi voluptati deſeruiant; minoribus laſciuiæ frena laxantur.* Hæc ex Bonauentura excerpſi, forſan curioſius inquiſitus, maiora dabit. Sed hæc ſufficiant. Id. pharet l. 1. c. 2

6 Deuotiſſimus quoque Venetorum decor ſanctus Laurentius Iuſtinianus, grauiſſimè veritatem hanc confirmat dicens. *Perſæpe ex admonitione inexperti ducis, in barathrum deductus eſt ſubditus deſperationis. Nonnunquam etiam ex imprudentia Paſtoris, qui ad ſummam virtutum arcem, & perfectionis faſtigium facile conſcendiſſent, euanuerunt; nihil de fuga proficientes, conuerſatione. Et quod deterius eſt, à ſancto propoſito reſiliunt. Terra etenim, quæ ſagaci excolitur agricultoris manu, Vberem producit ex ſe fructum, ſi autem hæc eadem negligenti tradatur, ac neſcienti operario, repẽte vrticis repletur, & vepribus.* Ecce damnum ex improbis prælatis non raro veniens ſubditis, a ſancto prælato deſcriptum. Ex libro quoque de inſtitutione, & regimine prelatorum, multa pro hoc intento confirmando, lector ſtudioſus excipere valeat, nunc autem pauca recipiat. Capite 4. de prælato curam ſubditorum negligenti, ſic loquitur. *Curam quicunque, prout decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & pœne innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus: quoniam prætioſum domini theſaurum, nedum multiplicare deſpexit, verũ etiam illum diſperſit, atque furibus, homicidis, & ipſius domini inimicis, quantum in ipſo fuit, diripiendum expoſuit. Accepit, inquam, vineam, vt vepres ex eadem euelleret, infructuoſas arbores eradicaret, illam coleret, ſepibus, propter ſpiritualium incurſus ferarum, circumdaret, in illa plantaret vineas fructuoſas, inſereret arbores, & ſemen Verbi Dei ſpargeret, vt produceret ſpirituale germen delectabile Domino. Sed proh dolor, ex ipſius iniuria, delectorum ſentes profert, inculta manens, & latronibus diripientibus patet.* Et infra ſic. *Perdit, qui talis eſt animam ſuã, & ſuorum, quantum in ipſo eſt, animas ſubiectorum, negligentia vtique ſua, exemploque ſuo.* Rurſus quoque capite ſexto ſic habet. *Indignum eſt, vt qui ad eruditionem, correctionemque inſtitutus eſt aliorum, habeat ipſe reprehenſibile aliquid, vnde ſit merito corripiendus. Nam, quonam quæſo modo, poterit ſibi creditos ad mundi hortari contemptum, à Lenocinijs abſtrahere vitiorum, atque à cupiditate temporalium?* Hæc inter alia, ſanctus hic Patriarcha, ſatis monens, quantum malum religionibus obue- Laur. Iuſt de diſcipl. monaſt. cõuer. c 9 Idem. Idem.

niat


image
not
available

torum eſt cautela. Sermo erat ad Abbatem Lirinenſem: inde infra. *Studij tui cautelam, & tibi ad vtilitatis exemplum prodeſſe non dubium eſt.* Ad idem D. Iſidorus. *Sacerdos, qui digne agit, vt Sacerdotem decet, miniſterium eius, & ipſi, & alijs vtile eſt.* Quantum vero vtile ſit, eleganter id recenſet Sanctus Laurentius Iuſtinianus his verbis. *Præſul amator Iuſtitiæ, obtemperat legi Dei, præcepta cuſtodit, proximum diligit, nemini nocet, cunctis prodeſſe quærit, dirimit lites, fugit iurgia, tollit odia, afflictis compatitur, largitur propria, aliena non diripit, ſimpliciter graditur, pacem ſectatur, loquitur veritatem, hominis perſonam non accipit, rem alterius non concupiſcit, Deum colit, honorat Sanctos, veneratur iuſtos, parentibus defert, vniuerſiſque humanitatis præſtat obſequium.* Demum, ne actum agere videar, cætus ille religioſus, qui ſanctum, rectumque prælatum, (quales innumeri ſunt) aſſequitur, optimus, & feliciſſimus euadet. Refert Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum, eos inter ſe mutuo diſputaſſe. *Quænam reſpublica foret optima, & feliciſſima.* Reſpondiſſeque Pittacum. *Vbi magiſtratum gerere, non licet malis, licet bonis.* Sic ergo, pium illum religioſorum cætum, cui ſanctus ſuperior præficitur, ſimili encomio decantare poſſumus. Nec mirum, quia vt bene Seneca epiſt. 114. *Æquitas Principi omnia ſeruat in æquitate, & pace.*

D. Greg. l. 9. ep. ind 4 c. 8
D. Iſid. 3. ſent. c. 37.
Plutarch. in conui.
Seneca.

10 Hinc talibus piis, ſanctiſque prælatis, qui in religionibus, ſubditos, doctrina, exemploque paſcunt, mille benedictiones imprecari poſſumus. Chriſtus ad Sanctam Brigittam de ſancto prælato hæc dixit. *Prælatus bonus, qui propter amorem Dei, & pro ſalute animarum, ſuſcipit onus regiminis, non curans de honore, duplicem mercedem habebit. Primo, quod particeps erit omnium bonorum, eorum, quotquot perduxit ad portum. Secundo, quod gloria eius augebitur ſine fine.* Hæc bonus Paſtor, Chriſtus pro bonis paſtoribus dixit. Iunge bonum alium paſtorem D. Iſidorum ſic loquentem. *Qui in hoc ſæculo bene imperat, ſine fine in perpetuum regnat, & de gloria ſæculi huius, ad æternam tranſmeat gloriam.* Adde ſanctum alium paſtorem Laurentium Iuſtinianum ſic dicentem. *Qui paſtoris veri fungens officio, animas, quas vitiorum labe fœdatas amiſit de ſæculo, ſpiritualium ſtudiorum dealbatas lauacro, laborat largiri Deo; hic corona redimitus immortalitatis, inter choros Angelorum magnificè ſublimabitur.* Et infra. *Dignus ſempiterna fit gloria, qui non ſolum ſe, ſed etiam plurimos ſecum Chriſto, proprijs laboribus lucratus eſt.*

S. Brig l. 6 reuel. c. 65
D. Iſid. l. 3 ſent. c. 48
Laur. Iuſt. de diſcipl. monaſtic. con. c. 9

Tantorum prorsus erit particeps meritorum, quantorum salutis extiterit causa. Alia ex Patribus adduci possent, quæ plurimis obuia erunt ad intentum: Legatur tamen Climacus, qui de sancto Myna præposito cœnobii verba agens, refert, sanctum eius corpus, è pedibus duos fontes vnguenti optimi emanasse, ita vt totus monachorum chorus suauissimo repleretur odore. Quod sanctitati huius sancti prælati, piisque sudoribus, & laboribus pedum attributum est.

Climacus

Horum porro piorum Prælatorum præcipua documenta, quibus subditos suos Religiosè instruunt sic describit plus quoque auctor Ricardus Hallus Theologus Flander *in libro de proprietate monachorum in epistola dedicatoria*, vbi hæc expressit. Primum. *Vt hi qui alijs præsint omnem operam daturi sint, vt quas Leges, & constitutiones suæ fidei commissas acceperunt, eas curent quam accuratissimè à suis subditis obseruari; frustra enim esset bonas leges sanctas fuisse, nisi sint, & magistratus, qui eas in vsu atque praxim hominum deducant.* Secundum. *Quod vitiū peculiaritatis, vt Legislator in Regula sua Benedictus præcepit, ante omnia radicitus ex monasterijs extirpent, & euellant. Ex quo & castitas, & obedientia monachorum in summum discrimen adducuntur, omniumque aliorum malorum colluuies nasci, & profundi solet.* Tertium. *Abbates ipsos vt aliorum ductores, & arietes gregis versatissimos esse oportet, ne aut quicquam alijs præcipiant in huiusmodi, quod non ipsimet prius parati sint facere, aut in quibus non fuerint ante probè exercitati, & edocti.* Quartum. *Prouideant præterea, & summo studio procurent, vt quibus rebus Religio Carthusiana hactenus viguisse dicitur, solitudine videlicet, silentio, & visitatione perpetua, quæ hac dictione* (Sosi vi) *comprehendi solent, eadem iam postliminio in integrum restituant. Quod de frequenti visitatione propterea admonui, quia ea in re maximum esse monumentum, & ad serendos bonos mores, & ad eosdem confirmandos, ac stabiliendos esse noui.* Quintum. *Qui si, & hoc diligenter curent vt contemplandi, & mentaliter orandi modus in monasteria reuocetur, nihil erit, quod ab eis hac in parte desideretur amplius.* Sextum. *Vt sit mens sana in corpore sano, proprij illorum Abbates operam dabunt, vt ad laborem aliquē corporeum, quamuis monasterium eorum sit ditissimum, fratres suos exerceant, ne quod plerumque accidit ex humore cellarium, & sedentariæ vitæ incommodis, in morbos quosdam melancolicos incidant, ad quos pellendos magis eis opus erit Hippocratis fomentis,*

Ricardus Hallus.

quam

quam præceptorum documentis, & labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, sunt, vt ait Bernard. insignia monachorum. Septimum. *Vt haberent singuli ad manum libros suæ professioni aptos, & accommodatos, in quibus ad petram, ex qua excisi sunt, respicere possent communibus monasteriorum sumptibus. Pulcherrimis typis excuderetur liber ille quem vulgo* Vitas Patrum *appellant, vna cum Cassiano, Climaco, Prato spirituali, Palladio, & cæteris id genus innumeris opusculis. Neque enim dici potest quantopere appetitum hominum spiritualium varietas rerū, quæ in his libris continentur delectet, in quibus Euangelij, & doctrinæ Apostolicæ ipsam quasi praxim licet cernere.* Hæc hic author magnum emolumentum Regularium Superioribus allatura, si ea opere expleant.

11 E conuerso tamen incommoda, quæ ex difformatis prælatis, subditis religiosis eueniant, quis recensebit? Primum illud sit, quod malorum superiorum exemplum non solum subditos, sed & superiores ipsos ad gehennam perducit. Hoc dæmones ipsi, veritate coacti, testati sunt. Vt enim viri docti affirmant: Cum prælati quidam comitiis quibusdam assisterent, principes quoque tenebrarum simile Concilium coegere, & ad illos epistolam hæc continentem transmittunt. *Principes gehennarum, principibus Ecclesiarum, id, quod nobis ipsis &c. Gratias vobis referimus, quia propter vestram negligentiam, & mala exempla, quot vobis commissi, tot ad nos missi.* Horrendus casus, & timendus valde à superioribus religionum, si prauo exemplo, aut negligentia familiam sibi creditam gubernent. Ad idem quoque similiter induci posset casus ille, quem ex Antonio Senensi, & Martino Delrio, supra c. 5 capite quinto retulimus. Illi enim religiosi, qui in visione illa, post mortem, & ad inferorum pœnas traditi apparebant, vere fuerant in religione Superiores. Sic enim ipsi confessi sunt dicentes. *Quod ipsi omnes fuerant eiusdem Ordinis religiosi, & pro maiori parte, Magistri, Priores, Superiores, &c.* Similiter, qui, vt ex alia visione ab eodem Martino relata, constat, dixerunt post mortem, & damnationem æternam: *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad Tartara.* Absque dubio quoque in religione illa prælationis munere decorati fuerant. Ex quo iam liquet, gehennæ damnationem certissimè incursuros improbos, & negligentes prælatos religionum. De illis merito etiam intelligi potest os aureum Ecclesiæ Chrysostomus, dum super epistolam ad Hæbreos dixit. *Miror an fieri possit, vt aliquis ex Rectoribus sit saluus, cum videam post mi-*

Fr. August Lopez Cisterc. in suis tract. 2. de ambition.

supra etiã c. 5.

Chrysost. in c. 13. ad Hebr. hom. 34.

nas, & præsentem socordiam, aliquos adhuc accurrentes, & se conijcientes in tantam molem Rectionis, & administrationis. Nam si ij, qui necessitate trahuntur, non habent quo confugiant, & quo se excusent, si rem male administrent, & sint negligentes (Nam & Aaron tractus est necessitate, & venit in periculum; & Moyses rursus venit in periculum, cum sæpe recusasset, & Saul cui fuerat creditum aliud imperium, postquam recusauit, vocatus est in periculum, quoniam ipsum male administrauerat quanto magis ijs, qui in hoc suum studium ponunt, & in id irruunt? Qui est autem talis longe magis se omni priuabit venia. Timere enim oportet, & contremiscere, & propter conscientiam, & propter molem imperij, & neque, si semel trahantur, recusare, neque si trahuntur in ipsum irruere: imo verò etiam fugere, præuidentes magnitudinem dignitatis. De istis etiam loquitur pius, & deuotus Ioannes Rusbrochius, dum inquit. *Tales pastores, vel in tartara relegantur, vel pœnitentes, ad immanes purgatorij pœnas.* Forsan propter illos D. Augustinus dixit, & habetur distinctione 40. can. ante omnia. *Nihil apud Deum miserabilius, & damnabilius esse, quam officium mali pastoris in Ecclesia.*

Rusbr. de vera contemplat. c. 61. D. August. ad Valer.

12 Nec credi difficile erit improbos illos superiores, acriores pænas subituros, quam si superioritatis officio priuati, soli sibi vixissent. Quod D. Gregorii verbis in suo pastorali confirmare licet. *Qui ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo, melius profecto fuerat, vt hunc ad mortem sub exteriore habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia cæteris in culpa imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, tollerabilior inferni pœna cruciaret.* Clarè indicans Gregorius, improbum prælatum suę malignitatis maiores pænas subiturum.

D. Greg. in past. 1. p. c. 2.

13 Secundum quoque maximũq; incommodum ex inordinata Præpositorum vita prouenire potens, illud est, quod tales, nec possint, nec audeant, subditorum vitia, defectusque corripere: Sicque, tam ipsi, quam ordo in suo semper difformationis, & relaxationis statu perseueret. Hoc exprimit S. Ephrem superius adductus, inquiens. *Si nos Prælati inobedientes simus, quomodo cæteris obedientiam demonstrabimus? Si gulosi, aut ebriosi, aut auari, quomodo inferiores nobis, temperantiam, aut patientiam docere poterimus? Si nos temerarij, aut multiloqui, inflabilesue fuerimus, quo pacto iuniores, grauitatem morum, ac tolerantiã, constantiamque docebimus?* Hinc etiam D. Hieronymus in epi-

S. Ephrẽ paræn. 15

D. Hierõ

stola

ſtola quadam. *Quomodo poteſt præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum ſimile corruit. Aut qua libertate, peccantem corripere poteſt, cum tacitus ipſe ſibi reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe, quæ corripit?* Sanctus quoque Laurentius Iuſtinianus ſic etiam ad intentum. *Si Prælatus habet aliquid reprehenſibile, quomodo quæſo, poterit ſibi creditos ad mundi adhortari contemptum, à lenocinijs abſtrahere vitiorum, atque à cupiditate temporalium?* Alibi quoque ſic. *Quoniam quæſo animo, qua fronte, qua authoritate, audebit peccantium redarguere vitia, vitiorum amator? Aut de ſpiritualibus loqui, cupiditatum carnalium ipſe ſectator?* Optimè tandem D. Iſidorus, dum cauſam tradit, quare mali præſules ſubditos corripere metuant, ſic loquitur. *Prob dolor, inde metuunt, quia, vel amore rerum ſæcularium implicantur, vel quia aliquo facinoris onere confunduntur.* Vnde de iſtis inquit Dionyſius Carthuſien. ſermone 5. de ss. Simone, & Iuda, intelligi illud. *Errore Balaam mercede effuſi ſunt.* Quia ſcilicet. *Sibi commiſſos debitè increpare, atque corrigere negligunt, ne forte illos offendendo, ingratitudinem, moleſtiamq; incurrant, aut ſuis per illorum machinationem priuentur officijs, fauoribus, ſiue honoribus, in quibus regnat affectio, commodi potius, quam honeſti.*

Lau. Iuſt. de iuſtit. & regim. prælc 6.

Iſid. 3 ſen c. 45.

D.Ō. Car.

14 Si autem religioſus Prælatus crimine proprio impeditus, contra delinquentium vitia, iuſtitiæ virgam, puniendo, exercere non poteſt, quo modo prælati iure, nomineque cenſebitur? Teſte enim Gregorio. *Prælatus debet eſſe contra delinquentium vitia, per zelum iuſtitiæ erectus, vt & bonis in nullo ſe præferat: & etiã prauorum culpa exigit, poteſtatem ſui Prioratus agnoſcat.* Etſi enim compaſſio, & miſericordia præſuli religioſo neceſſaria ſit, iuſtitiæ tamen zelus omitti nequaquam poteſt, ſed vtrumque admiſceri. Optimè ad hoc Laurentius Iuſtinianus. *Sic itaque ſe habere debet in cunctis, vt nec iuſtitia compaſſionem repellat, neque compaſſio iuſtitiæ regulas prætermittat. Nam iuſtitia ſine compaſſione crudelitas eſt, & compaſſio abſque iuſtitiæ rectitudine, ignauia, & puſillanimitas iudicanda.* Quando ergo ſuperior regularis ſubditorum vitiis irretitus manet, abſdubie ea punire non poteſt; ac perinde hoc magnum incommodum ex difformatis prælatis, ſanctæ Religiones ſibi reportant.

D Greg. l. 1. ep. c. 24.

Lau. Iuſt. de inſtit. prælc 9.

15 Denique, quia longum valde eſſet, damna, quæ ex inordinata vita Rectorum obuenire poſſunt religionibus, ſigillatim recenſere, ea quaſi coaceruatim ex Laurentio Iuſtiniano accipiat lector.

Idem ibi. c. 20. lector. *Si homo* (inquit) *in regimine positus, suam transgreditur professionem, aut delinquit publicè, notorium infert Ecclesiæ scandalum, honoranda derogat dignitati, cæterorum præsulum denigrat famam, odimit authoritatem regimini, vilem reddit cathedram sanctitatis, &c.* Inferius quoque, notabilem hanc statuit sententiam. *Non potest non peccare grauiter, qui ad aliorum institutionem deditus, palam offendit.* Doctissimus quoque Trithemius vnico verbo rem totam declarat. *Quoties* (inquit) *homo inquietus, turbulentus, & imperitus, Abbas monachorum præficitur, mox regularis disciplinæ integritas naufragatur.* Nescio si idem D. Bernardus suspicatus est, dum de improbis prælatis loquens: *Quorum zelus est*, inquit, *pro dignitate tuenda, Dignitati datur totum, sanctitati parum, vel nihil.* Rursus quærens de illorum subditis. *Quid interim faciunt oues?* Respondet. *Hoc quippe fateor, pascua sunt dæmonum, non hominum.* Acsi diceret, nihil non dæmoniacum, nihil non diabolicum, nihil humanum in subditis improborum præsulum inuenitur.

Trit. hom 20. de obmonach. D. Bern. ad Eugc. Ibidem

D. Isid. 3. sent. c. 38. 16 Merito proinde sancti Patres, multis opprobriis, maledictis, ac conuitiis, improbos, & diffortunatos pastores prosequuti sunt: ex quibus D. Isidorus sic. *Deteriores sunt his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt.* D. Bonauentura de illis sic sentit ex mente Bernardi. *Fures sunt, & latrones, non custodes; neque cultores in vineis.* Optimè quoque Laurentius Iustinianus. *Tales non proprie domini, sed Tiranni, & raptores sũt; dum non subditorum, sed propria quærunt commoda, diuitiarum videlicet, voluptatis, honoris, & famæ.* Alibi quoque sic. *Negligens pastor, & sola temporalia concupiscens, sua quærens, & subditorum commoda paruipendens, vti fatidum cadauer, in profundum demergetur abyssi. Ibi cum tenebrarum Principe vltricibus traditur flammis æternis damnabitur cruciatibus.* Plus quoque author Rusbrochius de eis loquens, quos vel in Tartara relegari, vel pœnitentes ad immanes purgatorii cruciatus damnari dicit, sic habet. *Tales vtique veri pastores non sunt, sed lupi rapaces, non parcentes cuiquam, sed communia Dei bona male consumentes.* Et alibi. *Tales semper, vbi rerum temporalium lucra sperant, versuti, rigidi, ac crudeles sunt.* O bella, pulchraque encomia à Patribus, improbis prælatis concessa?

D. Bonau. 2. phar. c. 12. Laur. Iust. de regim. præl. c. 2. & de discip. mon. c. 9. Rusbroc. de vera cont. c. 81 Idem de tabern. fæ. c. 134.

17 Quis iam ignoret, quanta cura, solertique sollicitudine studendum sit, vt Sancti, recti, reformatique Prælati religionis

nis cætibus præficiantur? *Pensandum valde est* (inquit D. Gregorius) *ad culmen regiminis, qualiter quisque veniat: atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat; & bene viuens, qualiter doceat; & rectè docens, infirmitatem suam quanta consideratione cognoscat.* Ac si dicat nihil magis Sanctę obseruantiæ zelatoribus incumbere debet; quam, quod semper pios, & sanctos pastores, reformatosque regulares, monasteriis præficiant. Vnde in quadam Epistola sic loquitur idem Gregorius. *Omni cura vigilandum est, vt Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum Iustitiæ erectus.* Eleganter quoque idem prosequitur intentum mellifluus Bernardus sic. *Necessaria est nauis ista Prælatis, tribus compacta lateribus, vt sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, vt prodesse desideret, non præesse; vt proprium commodum, & honorem sæculi, & aliud quidpiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentio pura. Irreprehensibilis quoque necessaria est conuersatio, vt forma factus gregis, incipiat facere, & docere, ne docens audiat a fratre: medice cura te ipsum. Talis enim occasio plurima damnatio prælati, plurima subditorum perditio est: oportet enim irreprehensibilem esse eum, qui præest; quoniam ea, quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum.* Nec minus eleganter, quid in bono prælato quærendum semper sit, adstruit Sanctus Laurentius Iustinianus his verbis *Hoc præsidentis necessarium est, qui amore iustitiæ, & ardore dilectionis proximi, debent opus, non dignitatem quærere; laborem, non delitias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, vt fiant seruiri, & ministri hominum propter Christum.* Rursus quoque alibi. *Qui præsunt regimine, non pro accepto glorientur beneficio, sed ex eo quærant fructum, non temporalem, & perfunctorium, sed verum, sed iucundum, sed imprædabilem, sed æternum. Omnia insuper, qua valent, industria, a se abdicent, quæ sibi aduersantur, altum videlicet sapere, æstimationem sui, proximi contemptum, mentis hebetudinem, delectationem præsentis vitæ, metum mortis, immoderatamque terrenarum rerum caram.*

D. Greg. prolog. in pastoral.

D. Greg. l. 1. ep. c. 24

D. Bern. ser. de tribus Ord. Eccl. ad Patres in capitulo.

Porro

Riccard. de secun. conf. c. 17

18 Porrò in eos, qui indignos ad prælaturæ dignitatem assumunt, optimè inuehitur. Riccardus per hæc verba. *Quid quæso est, quod facitis, qui eiusmodi bruta, & bestialia corda in sublime attollitis, & velut in aere suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? quid quæso, eis aliquid aliud, quam ruinam paratis, dum eos ad alta suspenditis; & quasi in ramis portatis? Quid aliquis quisque suo sublimatori, vel potius subuersori dicturus est in fine, in ipso confinio ruinæ, nisi quia eleuans allisisti me? Conuersentur volucres cæli in ramis, locumque teneant in summis, quos subleuat pennas Sanctitatis. Bestiæ sub ramis locum teneant, in imis; & qui pronos vultus habent per appetitum carnis, districtionem sentiant, piæ seueritatis, & iustæ humiliationis.* Caue ergo à simili conuitio, ò monache, nec patiaris vnquam, quoad potueris, improbum aliquem, aut discolum, prælatum communitati præfici; & multo minus illi suffragium prælaturæ præstes; sciens quod (Aluarez de Paz sic loquitur.) *Veniet Princeps Pastorum, & suarum ouium stragem ab istis præfectis allatam, de manu illorum, qui eos præfecerunt, requiret.* Immo D. Gregorius nobis testatum relinquit. *Peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent, qui verò carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet prauitatis exempla.* Satius ergo erit, si Laurentii Iustiniani consilium accipias, qui prælatum in religione præferre debes: Sic autem monet Iustinianus. *Non potentis personam, non claram progeniem, non amicorum præces, non supplicantis adulationes attendas, sed litterarum sufficientiam, honestatem vitæ, bonorum testimonium, conscientiæ rectitudinem, atque morum probitatem. Ista profectò sunt, quæ reddunt virum Ecclesiastica idoneum dignitate, non quidem ad plenum, sed quantum patitur humanæ fragilitas.* Hæc Iustinianus, quæ si feceris, non indignum aliquem, aliorumque pedibus merito calcandum (quod intolerabile religionis malum est) ad thronum prælaturæ, euehes, aut attolles.

Aluarez de Paz t. 1 l. 3. c. 39

D. Greg. in 1. Reg. 12.

Laur. Iust. de regim. præl. c. 16

19 Si tamen boni prælati conditiones, simulque qualitates scire desideras, vt vel illi, in religiosis cœtibus prælationis suffragium præstes, vel ad talem dignitatem, si potes, attollas, accipe ex Patribus. Ex quibus Gregorius, talibus notis sanctum, perfectumque prælatum subindicat. *Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab alijs, vt propria deplorat, qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis profectibus*

D. Greg. in pastor. c. 10

profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris, in cunctis, quæ agit insinuat, vt inter eos non hæbeat, quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet viuere, vt proximorum corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis vsu, & experimento, iam didicit, quid obtinere à Domino, quidpoſcere poſcit. Audi quoque, D. Bernardum, qui vt bene expertus, huiuscemodi conditiones bono prælato præscribit. *Nec præceps erit in sẽtentia, nec vehemens in vindicta, non in corrigendis remissior, non in parcendis seuerior, non pusillanimis in expectandis, non superfluus in victu, non notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum, non prodigus dator, non tenax ad largiendum.* Pius quoque Doctor Dionysius Carthusiensis hæc habet. *Omnino oportet, vt præsidens tantæ sit perfectionis, vt sua bonitate, aliorum malitiam, sua humilitate, patientia, charitate, & sapientia, sibi subditorum superbiam, iram, impatientiam, auersionem, imprudentiam, possit vincere. Alioquin non bonus, neque idoneus est medicus animarum.* Hæc, & alia sermone quinto de Dominica 15. post Trinitatem. Eleganter etiam, vt solet, mores boni prælati, Sanctus Laurentius Iustinianus nobis depictas reliquit. Ipsum ergo appellat. *Constantem in opere, lætum in corde, in sermone eruditum, compositum in moribus, in se pacificum, iucundum in facie, in regimine prouidum, & in omni sua actione discretum.* Alibi etiam qualiter futurus sit prælatus sic describit. *Sit discretione prouidus, experientia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honestate, sanctarum scripturarum gnarus, attentus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, & in omni, si possibile est, Spirituali disciplina prouectus.* Demũ alia ex Patribus ad hoc intentum libens omittens, quæ Abbas Trithemius vir satis expertus de regulari disciplina monachorum scripsit, hic subscribam. *Non puer, non indoctus, non carnalis, non indigens discretione, nec animo leuis, vel inexpertus Spiritualium certaminum, in Abbatem ordinandus; sed moribus canus, in diuinis scripturis eruditus, spiritu ambulans in vera conuersatione sanctitatis, pius, mansuetus, mente tranquillus, atque quietus, qui, & improbis iudicium, & benenolis nouerit exhibere miserationem.* Hæc Trithemius: ex quo, Patribusque relatis, boni superioris qualitates accipere licet.

D. Ber. in ep

Dio. Cart

S. Lau Iust de regim. præl. c. 14

id. in de obe. c 20.

Trithem 20 de ob. monach.

20 E conuerso tamen, imperiti, & inepti prælati notas, præter adductas, alias quoque ex Bernardo transcribimus. Hæ ergo

D. Bern. de conſid. *Gradus ſummus, & animus infimus, ſtatus ſupremus, & greſſus minimus, ſedes prima, & vita ima, lingua magniloqua, & manus otioſa, ſermo multus, & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis, ingens authoritas, & nutans ſtabilitas.* Hæc Bernardus. Vt vero vno verbo loquar, & quod expertus dicam, nullum maius indicium inepti, & imperiti prælati eſſe poteſt, quam ſi ſolum rebus temporalibus tranſitoriis,& terrenis deditus conſpiciatur, rebus autem ſpiritualibus, æternis, & animarum ſaluti pertinentibus, parum, aut nihil addictus videatur. Quæ prauitas quantum nocumentum religionibus afferat,expreſſiſſanè veriſſimè Guilermus de Peraldo Dominicanus in tractatu de profeſſione monachorum, ſic loquens. *Hæc negligentia multa monaſteria, in quibus omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fieri debuerunt, in tantam inordinationem, & confuſionem induxit; quod in eis eſt terra ſurſum, & Cælum deorſum, pedes ſunt ſupra,caput infra, facies eſt retro, inferiora effuſa ſunt extra. Deus ibi conculcatur, & terra deificatur, Diabolus honorificè recipitur,Deus verò, & contumeliosè repellitur, vel ignominiosè recipitur.* Et rurſum. *Si populum peccantem viderint, obticent; omnes de ſuo honore ſolliciti ſunt, de honore autem Dei nullus. Cadit aſina, & eſt qui ſubleuet, perit anima, & non eſt qui cogitet. Pedes ſunt ſupra caput, vbi viri ſpirituales deſpiciuntur, homines verò terrena ſapientes, ad regimen vtiles, & in honore, habentur.* Hæc Peraldus.

Perald. in tract. de profeſſ. mon. c. 9

21 Si verò vnicam,ſingularemque notam à me quiſpiam expoſcere velit, qua bonus, rectus, ſanctuſque Prælatus palam dignoſcatur, & cui merito prælationis onus imponi debeat, illud dicam; quod ſit vir orationi vacans, orationi intendens, orationique deditus: hoc enim vnico pharmaco, & ſuæ domui,cui præponitur mederi, ſibique, veri, bonique Paſtoris nomenclaturam conciliare poterit. E contra tamen ſi orationis præſidio deſtitutus ſit, regularis prælatus nec ſibi, nec aliis, vtilis eſſe poterit. Audiatur Gregorius, qui ſæpius hanc veritatem nobis ſcriptam relinquit. In Paſtorali ergo dum quærit, *qualis quiſque ad regimen debet venire.* Sic reſpondet. *Qui orationis vſu,& experimento iam didicit, quod obtinere à Domino poſſit, cui prophetica voce iam quaſi ſpecialiter dicitur: adhuc loquente te, dicam, ecce adſum.* Rurſus alibi. *Qui de rebus dubijs ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca, Dominum conſulit, exemplum proculdubio rectoribus præbens, vt cum foris ambigunt quid diſponant,*

D. Greg. p. paſt. c. 10.

ſponant, ad mentem ſemper, quaſi ad tabernaculum redeant, & velut coram teſtamenti arca, Dominum conſulant. Inferius quoque, quærens quantum Rector ſacræ legis meditationibus eſſe debeat intentus? Reſpondet. *Omne hoc.* (ideſt totum ſuum munus, & officium) *rite à Rectore agitur, ſi ſuperne formidinis, & dilectionis ſpiritu afflatus, ſtudiosè quotidie ſacri eloquij præcepta meditetur.* Sanctus quoque Bernardus in epiſtola quadam prælatum quendam de ſui officii munere inſtruens, orationis exercitium illi præcipue his Verbis commendat. *In his duobus mandatis, verbi ſcilicet, atque exempli, ſummam tui officij, ad conſcientiæ ſecuritatem, pendere intellige. Tu tamen ſi ſapis, iunges, & tertium ſtudium videlicet orationis, ad complementum vtique trinæ illius repetitionis in Euangelio, de paſcendis ouibus Ioann. 21. Manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio; maior autem his eſt oratio.* Hæc Bernardus. Ad idem Abbas Ioachim ſuper Apochalypſim, p. 1. expendens, quod Eliſeus iubeatur reſpicere in cælum in aſcenſu patris Eliæ dicit. *Neceſſe eſt, vt iugiter intueatur in cœlum, vt ſine intermiſſione memor ſit Dei ſui quicunque prælatus, &c.* Iunge quoque D. Laurentium Iuſtinianum in lib. de inſtitutione prælatorum ad noſtrum intentum, ſic loquentem. *Prælatus ſit in oratione aſſiduus, & poſtulet pro ſe ipſo à Deo. Conſilij donum exquirat, ad apprehendendum, inſinuandumque, quid pernicioſum, quidue proficuum ſit, tam ſibi, quam cæteris adſe accedentibus; ne petra efficiatur ſcandali, &c.* Itemque rurſus. *Quoties populus ſpiritualiter, ſeu corporaliter fatigatur in prælio, ſi quando diuina præcepta grauiter peccando tranſgreditur, quamdiu æquiſſima animaduerſione percutitur, ad orationis debet prælatus aduolare præſidium: ibique corde cõpunctus, proſtratus corpore, compaſſione plenus, igmitus charitate, deprecari Dominum, &c.* Rurſuſque clarius. *Expedit illi, qui paſtorale gerit officium, Dei iugiter orando aſtare conſpectui, & nunc piè interuenire pro populo, nunc humiliter ſupplicare pro ſe.* Et infra. *Qui enim valet per ſe ipſum perſoluere debitum paſtoralis officij, niſi introrſus ſit imbutus, in ſpiritu roboratus, atque directus.* Adhuc inferius. *Fallitur profectò: quiſquis opus hoc periculoſum, & grande, abſque deuotionis pabulo, & orationis præſidio, prout decet, conſumare ſe putat.* Hæc Iuſtinianus, pulcherrima ſane ad intentum, quod quærimus.

Idem 2. p. paſt. c. 11.

S. Bernar. ep. 201

Laur. Iuſt de inſtit. præl. c. 10

Ibidem

22. Placuit præterea duos Carthuſienſes Patres intentum noſtrum docentes in medium proferre. Ex quibus D. Dionyſius,

de modo, quo Abbas, vel superior in religionibus reformandis se gerere debeat, sic loquitur. *Quo maior res est reformatio communitatis, eo amplius dependet à Deo, & tanto plus necessarium est speciale subsidium directionis, & cooperationis Spiritus sancti. Abbas ergo, siue superior ad reformationem suorum subditorum, verè, & ordinate volens procedere, in primis humiliet se profundissimè coram Deo, propriam insufficientiam, totis præcordijs cõfitens, adiutoriumque diuinum lachrymosè, affectuosissimè, & indesinenter exorans, vt se illuminet, dirigat, & confortet, ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplariter, ad consumãdum feliciter, subditorumque corda dignetur misericordiosissimè intueri, mollificare, & aperire, ad audiendum, & consentiendũ, ad perficiendum, quod eis suadetur, & dicitur, & ad quod tenentur.* Hæc Dionysius. Pius quoque, & grauis author Ioannes Lanspergius Carthusianus etiam, dum Priores, aliosque superiores religionum instruit, qualiter se circa curam domus gerere debeant, sic piissimè monet. *Ipsi quidem cunctis regant, magis tamen oratione, quam discursu, & occupatione. Ipsi oratione fruges ferant, & arbores. Ipsi oratione tuecantur pecudes. Ipsi oratione totam familiam, atque omne prorsus monasterium gubernent, foueant, ac protegant. Felicius, fortiusque olim in Amalechitas Moyses oratione, quam Iosue armis pugnauit; imo, vt vinceret, ille oratione impetrauit. Pari modo hoc faciunt Priores, orationum suarum vbertate, quod cæteri exequuntur discursu, & solicitudine. Omnibus intersint officinis, omnibus assistant fratribus: nulli domus negotio desint, orationum protectione. Oratione pericula abigant: Oratione animas sibi creditas muniant, & sentient, facto periculo, plus sese oratione in quiete proficere, quam illa neglecta, corpore, & animo moueri.* Hæc pius auctor, pie sane, orationis exercitium prælatis Religionum commendans. Si ita fiat, vt par est, crederem absdubie sanctos, rectosque prælatos omnes euasuros.

D. Dion. Carth. de reform. claustr. c. 21

Ioã. Lãsp.

23 Hoc tandem in calce annotare libet, dum boni prælati conditiones quærimus, eos solum regulariter loquendo, bonos, & vtiles futuros prælatos, qui ad regimen religionis inuiti, coacti, penitusque renuentes subuehuntur. Hoc Philosophi, & Patres sæpius clamant. Plato aiebat: *Turpe est, vt quis sponte ad imperandum accedat.* Lex quoque Valentiniani, & Marciani sic habet. *Felicem fore rempublicam, si à nolentibus, & actus publicos recusantibus, gubernetur.* Alexander quoque Seuerus dicere solitus erat: *Inuitos, non ambientes, in rempublicam collocandos.*

Plato 7 de repub. Lib. leg. 8 Mar.

Quos

Quos imitatur Epiſcopus Pacenſis dicens: *Magiſtratus dandi ſunt hominibus Imperij minimè cupidis.* Ex Patribus, ſatis hoc habet D Gregorius, quærens enim, cur Moyſes tantundem recuſaret Ducatum populi; Paulus autem non ita aduentum in Hieroſolymam, reſpondet; *Quia proſperis huius ſæculi, ex ſola iuſſione, aduerſis autem etiam ex deuotione militemus.* Optimè Ioannes Rusbrochius in libro de contemplatione capite 50. dixit. *Qui præ alio honorari appetit, nullo dignus honore eſt.* Et capite 55. *Qui addignitates ſpirituales electi ſunt, & vocati tanquam Aaron, hi veri ſunt Prælati, & placent Deo. Qui autem ipſi ſe eligunt, ac ingerunt, eos plane reijcit, reprobatque Deus.* Alia ex Patribus omitto. Simāc. de rep. l. 6. c. 13. Rusbroch

24 Sed quod Hugo Victorinus celebris author circa præſentem cauſam, qualiter ſcilicet Religioſi circa prælaturas accipiendas, vel non: ſimulque aliorum Patrum circa hoc, ſenſum non prætermittam. Hugo ſic habet. *Sunt quidam, qui ſciunt, & poſſunt, & volunt præeſſe; quidam qui ſciunt, & poſſunt, ſed nolunt: quidam qui nec ſciunt, nec poſſunt, ſed volunt: quidam, qui nec ſciunt, nec poſſunt, nec volunt. Scire, & poſſe, & velle, charitatis eſt, vel ſuperbiæ: ſcire, & poſſe, & nolle humilitatis, vel inertiæ: nec ſcire, nec poſſe, ſed velle cupiditatis, & ſtultitiæ: nec ſcire, nec poſſe, nec velle, diſcretionis, & prouidentiæ. Qui enim ſciunt, & poſſunt, & volunt præeſſe, ſi volùt prodeſſe, charitatis eſt: alioquin ſuperbia. Qui verò ſciunt, & poſſunt, ſed nolunt, humilitatis eſt, quod renuunt inertiæ vero cū ſciunt ſi omnino deſiſtunt. Qui autē nec ſciunt, nec poſſunt, ſed volunt, ambitionis videtur eſſe, quod volunt: ſtultitiæ ſi velint, quod nec ſciūt nec poſſunt. Illi ſiquidē, qui nec ſciunt, nec poſſunt, nec volunt, prudenter agunt.* Hæc Hugo Vict. Diui Iſidori ſenſus libro tertio de ſummo bono cap. 33. hic eſt. *Multis intercipit Satanas fraudibus eos, qui vitæ, & ſenſus cupiditate, vtilitate præſtantes præeſſe, & prodeſſe aliis nolunt.* Sancti Bernardi mens epiſtola 86. hæc eſt. *Nec præeſſe refuge dum prodeſſe potes, quia væ tibi ſi præes, & non prodes, ſed væ grauius, ſi quia præeſſe metuis, prodeſſe refugis.* Abbatis quoque Ioachim, in cap. 3. Apocalypſis hæc eſt ſententia ad hoc propoſitum. *Non eſt parui pendēdi muneris habere materiam proficiendi in populo, pro quo paſſus eſt Chriſtus, nec quaſi humilitatis gratia, dum quis vocatur à Deo, nolle conſeruis ſuis fructuoſam impendere ſeruitutem. Quia ſicut ambitioſa voluntas deteſtabilis eſt, ita amor proficiendi remuneratione condignus.* Sancti Thomæ ſenſus 22. quæſt. 185. art. 12. & quolibet 5. hic eſt per huiuſmodi Hugo de clauſt. l. 2 c. 12 D. Iſid. S. Bern.

S. Thom. modi sententias expressus. *Primatum ecclesiæ concupiscere, neque iustum est, neque utile. Quis enim sapiens vult ultro se subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro ecclesia, nisi forte, qui non timet Dei iudicium?* Rursusque; *Potest aliquis laudabiliter considerans proprium defectum, ex humilitate officium prælationis recusare.* Præterea sic habet. *Melior est intentio prælationem fugientium secundum proprium desiderium, dum modo non adsit necessitas ex parte imponentis hoc onus:* Tandem sic habet. *Quia ergo valde difficile est, purgatum se quemlibet posse cognoscere, prælationis officium tutius declinatur.*

25 Ecce sancti Religiosi modum vobis à Patribus præscriptum, quo prælationum dignitates accipiendę, vel reiiciendæ erunt. Humilitatis pedibus prouoluti dignitatum fastigia fugite. Obedientiæ tamen nexibus ligati, quæ vestris humeris impossibilia non sunt, subite, vt enim quidam, Prudens dixit. *Ambienda dignitas non est, nec sollicitè quærenda, nec proterue repellenda.* Faxit Deus in omnibus Dei honorem, & gloriam quæramus.

Quidam.

Nimia bonorum temporalium cupiditas Religiosos deformat.

CAP. XVI.

1 PEstilens adeo est auaritia, nimiaque bonorum temporalium cupiditas, seu appetentia, vt non modo sæculares fere omnes, sed & Religiosos plures, veneno suo forsan inficere, sauciare, & perdere possit. *Certè multis nomen pauperum* (dicebat Sanctus Hilarion) *occasio auaritiæ fuit.* Nec mirum sane, dicente Propheta. *Omnes auaritiæ seruient.* Et Chrysost. *Omnium corda possidet, & tyrannica dominatione deuincit.* Tale ergo, ac tantum malum procul, à religionibus abigendum Patrum, antiquorumque monachorum verbis, & exemplis comprobemus.

D. Hier in vi S Hila. Chrysost. hom. 30.

2 Accedat primus Sanctus Basilius egregius monasticę perfectionis Instructor, qui in constitutionibus suis monasticis clarissimè omnem bonorum temporalium possessionem à monachis ablegandum esse docet. Cap. ergo 35. sic habet. *Debet autem pietatis cultor, qui eam, quam supra exposuimus, in Vita communitatem*

D. Basil. in constit.

munitatem amplexus est, ab omni priuata rerum possessione, liber esse. Et infra. *Omnimodè fugiendum nobis est, ne priuatim omninò quidquam possideamus, præter ea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur.* Alibi quoque sic. *In societate fratrum, nihil priuatim haberi debet, qui enim dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum redit ab Ecclesia Dei.* Ecce tibi religiose, consultor adest Basilius, & temporalium bonorum possessionem priuatam abdicare conatur. Hoc vero tibi ad perfectionem tui status conducere idem Basilius sic docuit. *Perfectissimam ego vitæ rationem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est, & eliminata.* Satis indicans, nunquam religiosum ad sui status perfectionem debitam peruenire posse, nisi omnem rerum priuatam possessionem à se abiiciat. Id. in reg. breu q. 85 & 87. In const. mon. c. 19

3 Sequitur vt solet sanctus Ephrem Syrus, ex quo non pauca contra auaram cupiditatem monachorum, diuitias, bonaque temporalia sectantium elici possunt. Primo ergo in Paræneſi prima sic loquitur. *Diuitias ne consecteris monache; angusta enim, & stricta via.* Ac si dicat; quod monachus temporalibus diuitiis onustus, iamnam regni cælestis ingredi non possit. Vnde subiungit. *Diuitias manibus contrectans non intromittetur in portas regni cælorum.* Rursusque. *Mala res est monachis auaritia, eos regno Dei priuans.* In tractatu quoque de monacho, & turture sic habetur. *Monachus auarus, & diues, mundanus est professor.* Et infra. *Neque monasticum habitum ferre possunt, qui sæcularibus diuitijs sunt dediti. Non enim possibile est, Deo seruire, & mammonæ.* Et inferius. *Si videris monachum diuitem, & auarum, opes cadueas sectantem, deplange illum; quoniam in nocte, ac tenebris talis ambulat.* Rursusque. *Cur igitur lætiferas tibi diuitias consciscis, ò monache?* Rursusque sic concludit. *Tu verò ò monache hasce diuitias ne appetas, nec possideas, neque congreges, nam monachi primum, & magnum mandatum secundum Deum est paupertas.* Tandem alibi, tentationem Satanæ esse dicit, monachis superflua quærere, etiam sub prætextu egestatis. *Sic monachum* (inquit) *inimicus tentat, vt qui large, ac liberaliter suas opes in pauperes disperserit, vilissima deinde quæque, egestatis prætextu, iniustè persequatur.* Hæc Ephrem, qui solus sufficeret, vt improbam monachorum auaritiam retunderet. S. Ephrem paræn. 2 Idem. Idem. Idem in doct. var. c. 99

4 Accedit magnus Pater Hieronymus, qui in epistola ad Heliodorum, totus eo contendit, vt illum, vtpote monachismi studiosum,

studiosum, à divitiarum amore abducat. Hinc ferè in principio epistolæ, sic habet. *Qui in Christum credis, & eius crede sermonibus. Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia ponentur vobis. Non pera tibi sumenda est, non virga est. Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* Et infra circa medium. *Perfectus seruus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est. Et si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, mentitus est.* Os autem, *quod mentitur occidit animam. Igitur, vt concludam, si perfectus es, Cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. Dominicis Euangelij vocibus contonat, non potestis duobus dominis seruire: & audet quisquam mendacem Deum facere, mammonæ, & Domino seruiendo. Vociferatur ille sæpe: si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, & ego onustus auro arbitror Christum me sequi.* Alibi quoque sic. *Monachum, quem senseris tibi, aut semper, aut crebrius de nummis loquentem, excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem habeto, potius quam monachorum.* In regula quoque hęc animaduertit, pro suppellectili religiosa. *Neque opus sit clauibus, vt iam ex ipsis monstretur exteriorum indicijs, quod nihil habetur extrinsecum præter Iesum.* Gratissima hæc verba Sanctus Hieronymus scripsit: Illis verò satis eleganter auaram cupiditatem quorundam religiosorum (nescio cuius æui) reprehendit. Audiant, & perlegant, sciantque quantum à perfectionis tramite absint, qui semper pecuniis, bonisque temporariis congregandis inhiabunt. Vnde alio loco religiosos quosdam cupiditati, auaritiæ quæ deditos, solum habitu, & voce, non reipsa sæculo renunciasse, sic docet. *Vidi quosdam, qui postquam renunciauere sæculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione non rebus; nihil de priſtina conuersatione mutarunt, res familiaris magis aucta, quam imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus, &c.* Timeāt ergo religiosi nostri, ne de illis, sicut de antiquis hæc Hieronymi verba sumantur, si insami auaritiæ vitio deseruiant.

D. Hiero. ad Helio.

Idem.

Idē in reg.

Idē ep. 4

5 Ioannes quoque Cassianus antiquus monasticæ reformationis defensor, quam prauè sentiendum sit de regularibus, qui congregandis pecuniis, bonisue terrenis dediti sunt habet his verbis. *Quod pudet dicere, ita plerosque abrenunciasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitijs, comprobentur, nisi ordinem tantummodo, atque habitum sæcularem. Nam, &*

Cass. coll. 4. c. 20.

adquirere

adquirere pecunias geſtiunt, quas nec ante poſſederunt, vel certè, quas habuerant retinere non deſinunt, aut quod eſt lugubrius, etiam amplificare deſiderant. Indicat ſanè his verbis ſolum habitu, non reipſa monachum eſſe, qui bonis temporalibus adquirendis ſtudet. Rurſuſque idem author. *Vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes, non abſcidiſſe, ſed mutaſſe probant. Eadem, qua antea, libidine detinentur, quaſi differentia tantummodo metallorum, & non ipſa paſſio cupiditatis, habeatur in noxa.* In opere quoque de inſtitutis monachorum lib 7. contra hoc vitium auaritiæ, quod ipſe græco nomine philargyriam appellat, conſcribit. Vbi inter alia ſic loquitur. *Vitium hoc non aliunde in monacho ſumit principium, quam de corruptæ, ac torpidæ mentis ignauia, & plerumque initio abrenunciationis male arrepto, & erga Deum tepido amore fundato.* Vt inde non temerè iudicare cenſeamur, ſi monachum cupidum, corruptæ conſcientiæ, deprauatique Spiritus dicamus. Capite quoque ſeptimo eiuſdem libri futilem eſſe, & inanem eorum monachorum excuſationem, qui ſub falſo prætextu neceſſitatis corporalis, pecunias congregant, grauiſſimis verbis oſtendit. Ea verò nos commodius infra adducemus. Idem l. 7 c. 1. Ibid. c. 7

6. Ad hæc Sanctus Nilus antiquus, & grauis monachus, ſæpius de cupiditate fugienda monachos admonet. In paræneſibus, ſic habet. *Ne appetas bona, quorum vſus præterit, & poſſeſſio perit.* In oratione etiam de auaritia ſic. *Monachus, qui multa poſſidet, eſt velut nauis onerata, quæ influctuum tempeſtate facile ſubmergitur; quemadmodum enim illa ſingulis vndis aſpergitur, ſic opulentus ſollicitudinibus opprimitur.* Et rurſus. *Monachus auarus cumulari prouentibus gaudet, monachus auarus laborat vehementer. Monachus auarus auro ſtudet arcam implere. Execrabilis eſt, qui facit Idolum: huic ſimilis eſt, qui auaritiæ vitio laborat.* Hæc, & alia ex ſancto monacho Nilo excipi valent. Nil. ſ. tit. bibliothe. Idem.

7 Accedit Antiochus monachus inter Bibliothecæ authores iure relatus, qui non minus cæteris, cupiditatem monachorum aſpernatur. *Monachus* (inquit) *inhians cumulandæ pecuniæ, enixiſſimè intendit operi, qui autem nullum quærit poſſidere peculiũ, nunc orationi ſtrenuam dat operam, nunc in lectione eſt totus. Monachus pecuniæ ſtudioſus theſaurum corradit, & indit marſupio.* Dixerat autem in antecedentibus. *Impoſſibile eſt, eum, qui* Antioch. hom. 8 in 2. t.

congerendæ pecuniæ sit cupientior, secundum Deum vitam, vt instituat suam. Hæc ex Antiocho excipere valui.

8 Sanctus quoque Theodorus Studitis inter Bibliothecæ Patres Venerabilis; de auaritia à monachis fugienda, sic illos monet in epistola quadam. *Contenti præsentibus auersemur cupiditatem congerendæ pecuniæ, nec vllum possideamus peculium.* S Theod. t.3.bibl. Et infra post aliqua. *Equidem, si ad hanc viuendi formulam conuersabimur, in nobis glorificabitur Deus. Professio nostri huius propositi magni æstimabitur, & aduersarij quanticumque fuerint, suppudescent: denique ad conuersionem inuitabuntur. Quod si nõ ad eum modum vixerimus, male nobis metuo, ne pro sperata beatitudine, æternam reportemus condemnationem.* Audiant hæc regulares cupidi, & auari (si qui sunt) videantque, in quanto suę damnationis periculo versentur.

9 Ex eadem quoque Bibliotheca Abbas Marcus inconsultatione quadam, seu colloquio cum anima sua, sic arguit monachos, qui rerum caducarum possessioni, multum sunt addicti. Marcus in 3.t.bibl. *Et nos, inquies, anima chara, nec aurum cumulamus, nec prædia possidemus, & ego respondebo tibi, nec aurum, nec prædia per se detrimentum afferre, sed præpostlerum illorum vsum. Quidam enim diuites, cum diuitiarum amore minime tenerentur, Deo placuerunt, vt sanctus Abraham, Iob, & Dauid. Nos verò sine diuitijs auaritiæ vitium in materia abiectissima nutrimus, non cumulamus aurum, sed res vilissimas congerimus. Principatus, & Dignitates non accipimus, sed omni ratione gloriam, & laudem aucupamur.* Hæc Marcus satis verè auari monachi indolem exprimens.

10 Pius quoque author Hugo Victorinus, pia etiam verba pro hoc intento habet lib. 1. Miscellan. tit. 198. *Vt enim* (inHug. Vict quit) *nimio onere cumulata nauis, vndarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus, in via impeditur; nihil possidens quasi Aquila ad celsitudinem peruolat, tunc q; solum descendit ad escas quando compellit necessitas. Nihilque possidens, vt cursor leuis, velociter ad brauium supernæ vocationis Dei perueniet. Nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo, & canit Deo laudes die, ac nocte in timore Dei. Gloriatio monachi cum nullas res præsentis vitæ possidere desiderat.* Hæc, & alia Victorinus.

11 Sanctus quoque Bernardus plura pro pio intento piissiD Ber. de ord. vitæ mus Pater suppeditat, in tractatu de ordine vitæ auaritiam, vt pestem detestandam monachis, sic describit. *Est, & tertium genus*

pestis

peſtis huius, quando monachus ex ipſis neceſſarijs, ſine quibus viuere non poteſt, plus deſiderat habere, quam neceſſe ſit; aut ea volumus in monaſterio poſſidere, quæ ſi eſſemus in ſæculo, minime habere valeremus. Hinc alibi ipſe pater ſic habet. *Clericus, qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo. Clericus, ſi quippiam habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus. Verbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſuppellectilem cum iſtis pars eius dominus fieri non dignatur.* Idem in ſerm. ecce nos &c.

Hinc etiam in pſalm. Qui habitat; Monachorum auidè lucra captantium, bonaque temporalia ſollicitè exquirentium, ſic ſortem deplorat. *Videas fratres quoſdam, tam auidè lucra captare præſentia, tam ſæculariter tranſitorijs vtilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna, vel minima facultatum, tam puſillanimiter turbari, tam carnaliter ſuper his decretare, diſcurrere tam impudenter, tam irreligioſè ſæcularibus ſeſe implicare negocijs, ac ſi hoc eſſet tota eorum portio, hæc vniuerſa ſubſtantia.* id. ſer 7. in pſal. Qui habitat.

Bellè miseram conditionem cupidorum regularium deſcribit, & quantum malum ſit terrenis diuitiis inhiare docet; vt à tanto vitio religioſi omnes procul ſimus. Optimè etiam idem Bernardus ad monachos S. Bertini ſcribens, contra religioſos, qui magnis rebus cõtemptis, in paruis nimium delectantur, hæc habet. *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus nos monachi, ſi pro tam exiguis tãta patimur detrimenta. Quid enim inſipientiæ, imo quid inſaniæ eſt, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus? Si mundum contempſimus vniuerſum, ſi abrenunciauimus affectibus propinquorum; ſi monaſteriorum carceri mancipauimus noſmetipſos, ſi denique non venimus voluntatem noſtram facere, ſed impoſuimus homines ſuper capita noſtra, quid non oportet fieri, ne forte cõtingat hæc omnia nobis in inſipientia noſtra, & negligentia deperire?* Idem.

Attendant hoc monachi omnes, videantque quid ſentiat Bernardus de iis, qui quantumuis modicis rebus, animo, voluntateque adhæreſcunt.

12 Clariſſimè quoque Dionyſius Carthuſianus ſer. 6. de Dominica decima poſt Trinitatẽ, cauſam relaxationis pluriũ regulariũ rerum temporalium abundantiam cenſet, dicens. *Sic, multis heu religioſis cauſa diſſolutionis, & negligentiæ, ac quotidianæ ruinæ, ſeu defectionis, eſt temporalium abundantia rerum, paxque carnalis. Dum enim temporalibus rebus abundant, ſeipſos ſuperfluè, ac lautè reficiunt, nec neceſſarijs ſunt contenti, ſed curioſa requirunt. Lautè autem, & immoderanter refectos magis delectat con-* Dio. Cart

fabulari, iocari, ridere, ludere, quam orationibus, meditationibusque vacare, compunctioni, & discussioni propriæ conscientiæ insudare, seu lectioni, aut alteri exercitio virtuoso, vtiliue, labori insistere. Et ita mente infrigidantur, vanitatibus dissoluuntur, & noxijs cogitationibus immorantur, non formidantes, &c. Item serm. 12. de natiuitate Domini, inter alia hæc habet. *Per quid adeo perijt monastica omnis sacra religio, sicut per temporalium affluentiam rerum? Ex qua, immoderantia, & exquisitio ciborum, ac potuum, multaque alia vitia gulam consequentia oriuntur.*

13 Adstipulatur ad idem intentum Sanctus Laurentius Iustinianus sæpius docens, cupiditatem temporalium bonorum nullatenus regularibus sectandam esse. In sermone de ramis sic habet.

Laur. Iust. in ser. de ramis. *Quicumque renunciantes sæculo, sanctæ religionis, ac paupertatis voluntariæ, se voto strinxerunt, nihil omninò possidere valent in terra; quippe cum illis cœlestis hæreditas spondeatur.* Et infra. *Disce itaque, ò religiose, nihil proprium habere in sæculo, vt cœlestem hæreditatem consequi merearis in cælo. Disce inquam, nedum temporalium facultatum reijcere sarcinam, verum etiam illarum à te abdicare affectum, ne irrita censeatur esse professio tua. Sat tibi sit monasterij communis substantia, de qua vnicuique necessaria ministrantur abundè. Ditior prorsus eris, si contempseris omnia, quam si pecuniarum, & gemmarum millia possidebis.* Adhuc inferius. *Minime religioso congruit quidquam dicere suum, vbi omnia omnibus censentur esse communia.* In ligno quoque vitæ sic habet. *Pestis maligna, ò detestanda auaritiæ obedientia, & semper bonis animis exhorrenda, quid illa sum, quid inconcussum dimittis?* In libro etiam de obedientia, terribilia hæc contra auaros religiosos, eorumque cænobia protulit. *Sunt multa cænobia, quæ non sanctorum habitacula, sed latronum sunt dicendæ spheluncæ, spectacula dæmonum, & officinæ vitiorum.* Hæc vero opprobria, & conuitia in auaritiam monachorum refundit dicens. *Vbi enim quisque priuata quærit commoda, pecunias cumulare non desinit, &c. ibi proculdubio religionis destructus est cultus.* Ecce quantum malum sanctis cænobiis comparabunt regulares cupidi, vt propter auaritiam eorum, latronum speluncas, spectacula dæmonum, & officinas vitiorum, ea compellet piissimus Iustinianus.

Ibem Id inlign vitæ de spec. c. 5

Idē de oi bed. c. 19

14 Faueut quoque nostro proposito aliqua, quæ in Sanctæ Brigittæ reuelationibus habentur, contra impiam cupiditatem

si in

si in regularibus reperiatur. Primo enim tam ipsi, quam clerici sic reprehenduntur à Christo. *Receperunt decem mandata mea, & composuerunt in vnum verbum; Quid est hoc vnum verbum? Porrige manum, & da pecuniam.* Et rursus. *Ipsi denique pro muneribus libenter patiuntur peccantes, in peccatis.* Rursus quoque de eis conqueritur Deus, *quod nunquam contentantur de obtentis.* In sexto quoque libro reuelationum introducitur anima cuiusdam religiosi scapulari induta, & mirabiliter in omnibus membris deformata, de qua Christus ad Sanctam Brigittam. *Multi religiosi simulantes, quod non sunt, & seruientes mundo sub habitu religionis excluduntur ab illa æterna hæreditate. De talibus est iste, cuius animam Diabolus nouem iuribus possidet.* Inter alia verò hæc recensetur. *Secundum est, quia desiderat illa, quæ videt, necessarijs non contentus. Sextum est, quia gloriatur in superfluis, & habitu peregrino, cuius proprium deberet esse, ipsa vera paupertas.* Iam inde quid sentiendum sit de tua cupiditate, & auaritia Religiose, si forsan tibi cumulare non desinis pecunias, bonaque temporalia, tu Iudex esto. Libro quoque septimo quidam monachus, & beato Francisco aduersarius introducitur, sic dicens. *Ego secundum regulam non possum licite pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam, & aurum meum teneat secretè, vt illa pecunia vtar ego, ad voluntatem meam,* De quo fratre, & similibus sic loquitur Christus. *Illi, qui sunt de regula fratris aduersarij, iudicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere.* Vnde liquido satis innotescit, quantum sibi detrimentum, æternæque pænæ periculum, monachi pecuniæ negotiatores adquirant.

S.Brig. l. 1 regue. c. 56

Ibid. c. 48

6 lib. c. 35

Li. 7. c. 20

15 Ad hæc piissimus contemplator Ioannes Rusbrochius multa habet in suis operibus, quibus superbam, & vanam bonorum temporalium curam, in monachis detestatur. In tabernaculo fœderis sic habet inter alia, in quibus, excessisse videtur plus æquo, forsan nimio zelo ductus. *Quæ primi illi fratres deferebant, & resuebant, hodie aperisque quæruntur, & appetuntur. Si quidem bona temporalia per plures eorum non mediocriter ambiunt.* Et infra. *Edere quoque, & bibere delicatè, ac curiosum, & comptum ferre habitum libet; nec vlla apud eos, vel esculenta, vel poculenta, vel vestimenta plus nimio prætiosa habentur, quæ obtinere possint.* Et deinde. *Mendici, & pauperes dici volunt, & suam semper quæri inopiam; & tamen omnibus abundare rebus.*

Rusbr. de taber. fœd c. 123

Inter

Inter eos sanè, & diuites, & pauperes reperire monachos licet, quasi in mundo versentur; & alios videat quatuor, aut quinque tunicas habere, alios vix vnam obtinere, Inferius sic: *Quidam ex eis lanam potius, quam oues, ideſt, ſuum magis lucrum, quam animarum ſalutem quærunt: & ſunt inter eos cupidi quidam, & vani, quos nihil explere queat. Siue enim frumentum, ſiue ſemen, ſiue oua, ſiue caſei, ſiue nummi, ſiue alia quælibet, quæ homines præſtare queant, offerantur, omnibus his indigere ſe aiunt.* Tandem ſic inquit. *Qui inter eos multa adquirere, & quæſtum facere nouit, charus in primis habetur, & hilariter accipitur.* Hæc pius author ſeuerè ſatis cupiditatem monachorum ſui æui reprehendens. In opere etiam de vera contemplatione ſic habet. *Iam verò perplures inuenire licet in monaſtica, ac religioſa vita, qui Dei conſilia polliciti ſunt exequi; & tamen, ne dum conſilijs, ſed ne præceptis quidem morem gerant. Polliciti enim ſunt paupertatem, nec quidquam ſe habituros proprij, &c. ſed reditus libentibus accipiuntur animis.* Et infra, alia quoque habet contra monachorum reditus, quæ nos inferius afferemus. Rurſum quoque. *In pleriſque cœnobijs, & congregationibus, diuites, ac inopes, haud ſecus, quam in mundo, viſuntur: & diuites quidem, quidquid libet, edunt, ac bibunt, cultis teguntur veſtibus, opes ſibi accumulant, &c.* Videant religioſi, quid ſentiat Rusbroch. de vana cupiditate. & ſuperbia.

Idem.

Id. de contẽpl. c. 61.

Iſtis porrò Patribus, ac Doctoribus iure annumerari debet huius ſæculi, ac noſtri Ordinis inter Virgines ſplendidiſſimum, Sydus B. Magdalena de Pazzi, de qua quanto odio proſecuta fuerit ſuperfluam regularium ſuppellectilem, quantoue amore ipſorum ſimplicitatem amplexata ex eius vita, c. 124. ſic habemus. *Come quella, che penetraua l'importanza, e'l bene della pouertà religioſa, e come dall'oſſeruanza di queſta ne dipende ogni bene, e perfezione della Religione; nell'iſteſſa maniera, che eſſa ſuiſceratamente amaua la ſua Religione, così deſideraua, che in eſſa riſplendeſſe perpetuamente la pouertà, e ſemplicità religioſa, sì nel vitto, e veſtito, come in tutte l'altre coſe ancorche minime. Aueua vna ſua Nouizia fatto alcune figure più ornate che non era ſolito per donarle fuora a' parenti: la bona Madre la ripreſe, e non volle che oſciſſero fuori, acciò non fuſſero vedute. V'n' altra Monaca aueà fatto per la Sagreſtia alcuni lauori, quali eccedeuano la ſolita ſemplicità; eſſendo la Beata Madre Maria Maddalena vna volta in ratto, gli preſe, egli ſtracciò. Così quando*

B. Magd. de Pazzi

vedeua

vedeua alcuna cosa, che tendesse ad allargare vn minimo che, questa pouertà, e semplicità, ricorreua con gran zelo alle Superiore, & à Padri Spirituali, e gli auuisaua, acciò non si lasciasse pullulare cosa, che offendesse questa semplice pouertà. & in vn ratto, che ebbe, nel quale intese quanto piaceua à Dio questa semplicità religiosa, e come questa à guisa di cagnuolo scuopriua i ladri, e nimici della Religione, e teneua lontani i secolari, e faceua la Religione abitatione di Dio, alla fine concluse: Guardisi ciascuna, e ponga cura di non indurre, sotto colore di compassione, in se la maledizione di qualche vanità. Guai, guai, e per mille volte guai à chi indurrà tal maledizione di vanità nella Religione; e massimamente doue regna vn poco di lume di semplicità. *E vn'altra volta disse.* Chi non ama la pouertà, sia schifata come lebbrosa, e come tale tenuta. *Non poteua soffrire di sentir biasmare le cose della Religione semplici, e pouere, si nel vitto, come nel vestito, e in tutte l'altre cose, diceua, che quanto più le cose della Religione sono pouere, & abbiette, tanto si debbono più stimare, e cercare dalle Religiose, perche hanno professato pouertà, & i pouери apprezzano ogni cosa, sapendo, che non si conuiene loro cose pregiate, e di valore: e soleua dire.* Chi ama l'humiltà, e pouertà, non ispende mai parole in dolersi di cosa alcuna. *Altra volta diceua.* Chi è possessore della pouertà, sempre pensa al pouero Christo; e tanto fa stima del corpo suo, quanto fa il Re della tela del ragnio. *E quello, che ella diceua, lo confermaua con l'esempio, perche stimaua, & apprezzaua ogni cosa, che dalla Religione l'era data, ancorche minima; e quanto erano più pouere più se ne gloriaua.* Aurea hæc pro paupertatis Regularis commendatione è tantæ Virginis penu libens hausi.

16 Placuit vltimo Hieronymi Sauaronolæ verba referre, quibus religiosos omnes de paupertate sectanda, auaritiaque fugienda sic monet. *Ita debet religiosus paupertatem diligere in particulari, & in communi; vt statuat firmiter in corde suo, nullo modo se velle aliquid possidere, nec aliquid ad vsum habere, nisi quod ei summopere necessarium fuerit, in tantum, vt odio habeat omnes diuitias magnas, & paruas, etiam ipsa vestimenta, sine quibus honestè viuere non potest, gaudeatque de monasterij paupertate, & doleat de eius abundantia, cum desiderio, vt pauperrimè viuat, vsque ad extremam necessitatem: quia vere pauper in paupertate gaudet.* Inferius quoque, monachos oppositum agentes innumeris vitiis deditos esse affirmat; cuius verba cap.

Hier Sau. in reg. qui bus data ad religiosos

capite quarto huius operis adduximus.

17 Quis tamen è contrario, vel leuiter, recenſere poterit, quæ ſancti Patres, & Doctores de paupertate religioſorum dicant? quot laudibus extollant, quotque prædicent encomiis? ex multis aliqua ſuccinctè referam. Sanctus Ephrem Syrus ſic. *Theſaurus monachi paupertas voluntaria. Diuiniſſimus eſt monachus in hac exercitatus.* Et rurſus. *Immortalis virtus monachi eſt paupertas.* Rurſuſque. *Fideliſſimus regni cælorum præco eſt monachus, ab omni auaritia alienus: male autem peribit, qui auaritiæ morbo laborat.* Rurſus tandem. *Lumen in terris purum eſt monachus, in quo non eſt reperta cupiditas.* Ioannes Climacus pauperem monachum dominum eſſe mundi dixit. Saluianus quoque, beatiores omnibus, cenſet religioſos paupere s. Venerabilis Beda eos vocat. *Poſſeſſionem Dei decantatam à Dauid pſalm. 2. poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Dicit enim. *Terminos terræ accipere poſſumus ſolos perfectos, qui vera poſſeſſio Dei dicuntur, quia adeo ſe à terrenis elongauerunt, quod nihil in eis retinuerint, niſi quantum adſupplendam neceſſitatem vix ſufficit.* Diuus quoque Laurentius Iuſtinianus miris his encomiis religioſum voluntariè pauperem extollit, dicens. *Voluntaria paupertas reddit animum à curis ſæcularibus liberum, ad ſe cognoſcendum, ſecumque habitandum aptiſſimum, ad vacandum orationi paratum, in parcitate lætum, in communicatione hilarem, in periculis ſecurum, & omni virtutum exercitatione diſpoſitum.* Et infra. *Nemo proculdubio explicare valet, quantum repleatur gaudio, quanta potiatur pace, quibus ſpiritualibus reficiatur delitijs, quantis ſæpiſſimè internis recreetur conſolationibus, & quot diuinis quotidie illuſtretur ſplendoribus, qui deliberato animo, renunciat ſponte ſæculo, militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale poſſidens, nihilque, quod amorem ſuum vendicare queat, omnino reſeruans.* Sed de hoc puncto mira ſanctus hic Pater, mira etiam alii quoque Patres, ita vt vanum ſit omnia recenſere.

S. Ephrem parænes. 1

Idem.

Climacus grad. 13.

Saluianus lib. 1. de prouid.

Beda in pſal. 2.

Laur. Iuſt. de obed. c. 18.

18 Id quoque ipſum grauiſſimis Patrum exemplis paupertatem ſectantium, auaramque cupiditatem bonorum temporalium reiicientium, luce clarius innoteſcet. Sanctus Hilarion monachus, monachorumque Pater, Conſtantio Imperatori ſibi decem auri libras offerenti, hordeaceum panem obtulit dicens. *Qui tali cibo aluntur, non maioris æſtimant aurum, quam lutum.* Orioni quoque cuidam, à quo legionem dæmonum expulerat, dona

D. Hieron. in vita Hilarionis

dona non modica ſecum allata porrigenti, ait. *Non legiſti, quid Giezi, quid Simon paſſi ſunt?* Cumque Orion flens diceret: *Accipe, & da pauperibus.* Reſpondit. *Tu melius potes tua diſtribuere, qui per vrbes ambulas, & noſti pauperes, ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam?* Sanctus quoque Baſilius etiam monachorum Princeps, cum Cæſareæ præfectus opes promitteret, recuſauit dicens. *Hæc homini Chriſtiano non conueniunt, ſed adoleſcentulis, ijsque, qui talibus promiſſis capiuntur.* De Abbate Arſenio hoc extat exemplum, verbis Sauaronolæ. *Cum eſſet magnus, & potens in curia Imperatoris, ſicut nullus in curia induebatur magis ſplendidè, quam ipſe, ita poſtea factus monachus in Eremo, omnibus alijs pauperius veſtiebatur. In tantum, quod cæteri monachi conſiderantes, quam longè inferioris conditionis in ſæculo fuiſſent, erubeſcebant, ſi aliquando contingebat illis, habere veſtem alicuius momenti.*

Marc Mar. in opuſc. de recte viuēdi inſtit. hic. 7

Trip. l. 7 36 Sauaron. in ep. ad Comitem Mitād. c. 2.

19 Præterea Sanctus Paulinus, ex opulento diuite voluntarius pauper effectus eſt. Et teſte Auguſtino, cum barbari Nolam vaſtarent, ſic in corde ſuo deprecabatur. *Domine, non excrucier propter aurum: vbi enim ſunt omnia mea, tu ſcis. Ibi enim* (inquit Auguſtinus) *habebat omnia ſua Paulinus vbi eum condere, & theſaurizare, Chriſtus monuerat.* Sanctus quoque Ephrem Syrus in ſuo teſtamento ſic. *Nec crumena, nec baculus, nec pera mihi vnquam fuit: nunquam aurum, aut argentum, aut vllam rem aliquam poſſedi: nam bonum regem ad ſuos diſcipulos audiui dicentem: Nihil in terra poſſederitis.* Vnde moriens Idem Ephrem adiurauit ſuos, ne ſe veſte prætioſa inuoluerent, ac ſepelirent. Cum verò quidam in eius venerationem propenſior, ſecus feciſſet, mox à Dæmone correptus eſt, licet ipſius Ephrem præcibus liberatus, vt narrat Niſſenus in eius vita. Abraam Aegyptius, permultam hæreditatem à parentibus relictam ſic contempſit, vt nullus diſcedens in ſolitudinem, ibi cellam ſibi conſtruxerit, venditis paternis bonis, & mendicis liberaliter donatis. Niccardus Bernardi Clareuallenſis frater (teſte Marulo) cum à fratribus audiſſet. *Niccarde frater, nunc te ſolum totius ſummæ reſpicit patrimonij; nos namque ius omne vni tibi cedentes, Chriſtum ſequimur.* Tunc ipſe. *Cælum vos ergo poſſidebitis* (inquit) *ego terram.* Nihilque moratus, poſt eos adijt monaſterium.

Aug. l. de Ciu. Dei, c. 10

S. Ephr. in teſtam.

Niſſ. in vita Ephr.

Mar. Mar. de exēpl. l. 1. c. 1

Patrum verò, & priſcorum Monachorū exempla ampliſſimas hæreditates, & pecuniæ ſummas ſibi oblatas reſpuentium, ex

Ibidem.

Riccard. Hallus. Riccardo Hallo *in libro de proprietate monachorum cap.* 12. sic damus, *Beatus Arsenius filiorum Theodosij Magni, Arcadij, & Honorij Imperatorum olim præceptor, cum aulæ vale dixisset, vt vitam solitariam, atque eremiticam ageret, eique diuitis cuiusdam Senatoris mortui testamentum esset allatum, in quo hæres ex asse scriptus esset, illud primum voluit conscindere, dicens.* Ego prius mortuus sum, quam ille, ipse autem, qui modo mortuus est, quomodo me fecit hæredem? *Tum remisit testamentum nihil accipiens. Et alius quidam senior pecuniam sibi oblatam cum negasset ipsi esse necessariam, ne eam quidem accipere voluit, vt egentibus distribueret.* Duplex enim, *inquit*, mihi erit opprobrium, qui & cum non indigeo, eam accipio, & aliena tribuens vanam gloriam colligo. *Quidam verò cum grauissima lepra affligeretur, & quispiam eius misertus, non nihil ei nũmorum attulisset, vnde infirmitatem suam, ac senectutem sustentare posset, noluit accipere. sed his verbis refutauit, dicens.* Tu post sexaginta annos venisti ad me auferre nutritorem meum, ecce tantum tempus habens in infirmitate mea nulla re indigni, Deo tribuente, & pascente me. *Et non acquieuit accipere. Sed & alius cum nihil haberet præter librum Euangelij, ipsum vendidit in pauperum nutrimentum, dicens.* Se verbum illud vendere, quod iubet, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *Barlaam denique monachus, cuius vitam Ioannes Damascenus accuratissime conscripsit, pecuniam sibi vltro à Iosaphat Regis filio pro se, ac fratribus suis oblatam respuit, eiq. causam cur illam recusaret percũctanti respondit.* Quoniã pecuniarũ professionẽ exitiosã esse scio, nec illos, nec me item huiusmodi laqueo implicabo. Quis autẽ nõ videt totum huius authoris discursum intentũ nostrũ cõprobare.

20 Oportet iam aliqua ex multis, quæ ex auaritia, cupiditateque monachorum oriri possunt, recensere; vt exinde religiosi omnes, eam, vt pestem abiiciant, Christique paupertatem certatim amplectantur. Et primo, vt vno verbo dicam, omnia fermè

S. Ephrem parænes. 1. vitia, inuadere necesse est animum religiosi auari, pecuniarumque cupidi. Adstruunt id patres, S. Ephrem sic. *Lumen in terris purum est monachus, in quo non est reperta cupiditas; cum ea radix sit omnium malorum, & non producat fructus bonos.* Ecce omnia vitia in radice, in anima tua, ò Religiose, si solam auaritiam cumulasti. Ex verbis quoque Cassiani in lib. de spiritu philargy-

Cass. l. 7. c. 2. riæ, seu amoris pecuniarum, sæpius id accipere possumus, capite secundo sic. *Hic morbus malorum omnium efficitur radix, multiplices*

multiplices fructificans fomites vitiorum. Et capite sexto sic. *Nulli vilis, de speciosque videatur hic morbus: receptaculum, nempè vitiorum, malorumque omnium radix; & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo: Radix omnium malorum est philargyria, id est amor pecuniæ.* Quænam verò sint hæc vitia, quæ cupiditatem monachi comitantur, inferius sic recenset. *Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorrescit: non fidem frangere, non iracundiæ furore noxio supplere, si quoquam à spe quæstus deciderit, non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, sitq; ei per omnia, vt alijs venter, ita huic aurum, & spes lucri pro Deo.* Clarius in sequenti capite in quot vitiorum præcipitia cadat monaceus cupidus, & auarus, sic describit. *Nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutē, sed ne vmbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat, atque suspirat. Nulla iam reuerentia seruata, velut equus durissimus, ad præcipitium fertur infrænis.* Demum capite de cimo sic. *Pecuniæ possessæ nūquam monachum in monasterio residere, vel viuere sub regulæ institutione permittunt.* Abundè satis in his demonstrat Cassianus, totam turbam vitiorum irruere in animum monachi cupidi, pecuniarum possessoris. Nec dissentit D. Gregorius Magnus per hæc verba. *De auaritia proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis, oriuntur.* En satis habes religiose sanctè, ex Patribus istis; quomodo tota vitiorum vorago cupidos regulares absorbeat. Ac proinde mirabitur nullus, vt commune prouerbium, de quo Dionysius Carthusianus serm. sexto de Dominica palmarum, dicat. *Monachus habens obulum, non valet obulum.*

Cap. 6. Cap. 7. Cap. 8. Cap. 10. D. Greg. 31 mor. c. 32

21 Placuit quoque incommoda alia, ex priuata possessione monachorum manantia, ex D Basilio recensere. *Primum* (inquit) *Societatis exactam disciplinam, priuata possessione corrumpit, cum etiam ipse, etiam magnopere de se indicio est, vt qui Deū perpetuo ijs, alimenta suppeditaturum diffidat, qui in nomine ipsius congregati sunt.* Et infra. *Po ro incommodum, quod ex istiusmodi possessione nascitur, nequaquam hic tantum sistit, sed vlterius etiam progreditur. Etenim, qui proprium habere aliquid studet, is sine dubio, nihil aliud, quam disiunctionem, ac defectionem à cæteris meditatur.* Inferius quoque, recenset mala ex bonorum temporalium peculiari possessione orta, dicens. *Impu-*

D. Basil. in consti. mon. c. 35 Idem infe rius.

ris, ac prauis cogitationibus sua intemperie exagitant, & conturbant. Idque contingit à dolo, simulatione, inuidentia, contentione, quæ vitia, & charitatem radicitus euellunt, & Deum ex eorum animis, in quibus sunt fugat. Ecce damna, quæ tibi religiose, ex inordinata cupiditate bonorum temporalium aduenire, admonet Basilius.

22 Placuit præterea, quæ Dionysius Carthusianus, ex mente cuiusdam doctoris Colonienſis, in opusculo de reformatione Clauſtralium dixit; vitia, quæ ex proprietate, seu peculio religioſorum procedere possunt recensens, hic adiungere. Hæc sunt ipsius verba. *Si scire delectat, quare proprietas, siue peculium tam rigorosè prohibetur in monasterio, attendite vitia, quæ inde sequuntur: quæ prudentissimi, ac deuotissimi viri, qui religiones instituerunt, considerauerunt, & per experientiam etiam didicerunt. Considerauerunt enim, quod ex proprietate, seu peculio, tanquam ex venenosa radice, multa peccata proueniunt, vtputa contumacia, superbia, contentio, partialitas, auaritia, vanagloria, inuidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, accedia, negligensque diuini officij persolutio, atque similia. Quoniam abundantes in peculio ad resistendum suis superioribus fiunt audaces, nec disciplinam, nec correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiut, & interdum commessationibus, & ebrietatibus vacant: ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum suum de castitate seruãda, sceleratissimè frangunt. Sicque ad Diuina fiunt pigri, & accedioſi, opusque Dei negligenter persoluunt; atque innumerabiles defectuositates damnabiliter incidunt, non obseruantes silentium, & sæpe neque ieiunium, nec ad commune refectorium veniunt: sicque quotidie magis excæcantur, & obdurantur.* Vnde infra sic concludit. *Cum ergo tot vitiorum peculium sit origo, iustissimum, valdeque necessarium est, vt religiosis, secundum decreta Conciliorum, & Decretales Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum Regulas, penitus auferatur. Et si religiosi libenter permitterent, se à corporali purgari veneno, incomparabiliter libentius debent habere, vt ab hoc spirituali veneno, æternam damnationem inducente purgarentur.* Hæc obsecro, religiosi attendant, legant sæpius. sæpiusque ruminent, vt incommoda proprietatis, auaritiæque bene perpendant.

Diõ. Cart in opusc. de refor. 16c.

Idem.

Quam verò charitati aduersetur cupiditas ista temporalium bonorum, ac proinde quanta cura, & vigilantia à monachis fugienda.

gięda, Riccardus Hallus in ſuo *de proprietate monachorũ opuſc. cap.* 10. Ex Patribus, & Philoſophis graphice ſic deſcribit noſtro intento congrua ſatis. *Non dubitamus cum Auguſtino aſſerere, præcipuum venenum charitatis eſſe cupiditatem, ſiue ſpem rerum temporalium adipiſcendarum, atque retinendarum, augmentum vero charitatis cupiditatis diminutionem, perfectionem, nullam cupiditatem. Hoc eſt enim quod alibi ad Deum loquens ait.* Minus te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. *Ex qua vna cupiditatis radice, quot mala pullulent, enumerare vix poſſum, cum Apoſtolus Paulus auaritiam dicat eſſe* radicem omnium malorum, *& Chriſtus Dominus facilius eſſe* Camelum intrare per foramen acus, quam diuitem intrare in Regnum Cælorum. *Quare non ſine cauſa, & Apoſtolus diuitibus præcepit non ſuperbire, neque ſperare in incerto diuitiarum: eſt enim, vt ait Auguſtinus:* Primus vermis diuitiarum ſuperbia, ex quibus deinde rixę, contentiones, & innumera alia incommoda conſequuntur. *Diuitiarum enim,* inquit Chryſoſtomus, *ſequela eſt luxuria, ira intemperans, furor iniuſtus, arrogantia, ſuperbia, omniſque irrationabilis motus. Et alio in loco, quod omnia peruertit, & perturbat, meum eſt, & tuum. Idem diuitias fugitiuas, & homicidas appellare ſolet. Quare, & Seneca recte, conuenientiſſime ait, homines victuros, ſi hæc duo pronomina meum, & tuum, tollerentur. Hoc morbo cupiditatis perijt Balaam, cuius animum turpi lucro deditum aſina brutum animal attritu pedis ſui redarguit, cum illectus promiſſis muneribus conatus eſt maledicere Iſraeli. Propter hunc eundem morbum, Achan lapidatus eſt, quod abſtuliſſet quædam de anathemate Hiericho. Hac etiam de cauſa tota domus Achan extincta eſt, quod vineam Naboth, ſimul, ac vitã ei contra omnia iura diuina, & humana, ſuſtuliſſet. Giezi ideo percuſſus eſt lepra, quod clam Heliſæo pecuniam, & veſtes, à Naman Syro petijſſet. Iudas laqueo ſuſpendit ſe, non ſolum, quia cum fur eſſet, & loculos penes ſe haberet, de pecunijs ſibi commiſſis, in ſuos vſus peculiares aliquid detraxerat, ſed multo etiam magis ſo, quod Chriſtum Dominum triginta argenteis vendiderat. Ananias denique, & Saphiras ad pedes Diui Petri ceciderunt mortui, poſtquam de pretio agri, quod in commune conferre vouebant, defraudauiſſent. Harum diuitiarum tantus eſt æſtus, & tam inexplebilis ſitis, vt Chryſoſtomus appetitione diuitiarum maiorem accendi flammam, & vehementiorem multo fieri cupiditatem aſſerat. Gregorius auaritiam deſideratis rebus non expleri,*

Ricardus Hallus

expleri, sed augeri sentiat, nam more ignis, cum ligna, quæ consumit, acceperit, excrescit, & unde videtur ad momentum flamma comprimi inde vrgetur paulò post dilatari. Hoc incommodum Plutarchus ita amplificat, vt tantum abesse aiat, vt à cæteris malis homines liberet, vt ne hoc quidem ipsum malum adimat sui cupiditatem. Cum enim potus sedet sitim, cibus famem sanet, & ille, qui dicit, da pallium Hypponacti, vehementer enim algeo, pluribus impositis pallijs offenditur, ac disijcit, at agenti cupidinē non extinguit argentum, nec aurum auri, neque si plura possideas, coercetur plura possidendi cupiditas, quin idem dicas diuitijs licebit, quod in medicum competit impostorem: Pharmacum tuum morbum auget. Denique, & illud Solonis eleganter in auaros dictum commemorat. Haud est finis opum fixus mortalibus vllus. Venio nunc ad angustias, & curas animi, quibus tanquam sinis punguntur, qui harum rerum cupiditate tenentur. Nam qui ad res terrenas aspirant, non sine labore quærunt, nec sine difficultate inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Quod & post D. Prosperum Gregorius affirmat, sed alijs verbis, nimirum si ad terrena concupiscenda cor inhiet, securum, tranquillumque esse nullatenus potest, quia, aut non habita concupiscit, vt habeat, aut adepta metuit, ne amittat, & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc, illucque quasi quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Beatus vero Nilus eum, qui auaritiæ morbo laborat, nunquam à cura, & sollicitudine liberum esse vult, nec auaritiæ cum charitate vllum fœdus esse posse. Charitas enim æquo, & libenti animo se fraudari patitur, facultates suas sola impartit, atque interdum etiam magno animo abijcit, auaritia autem contrarijs omnino efficere consueuit: nunquam sine fluctibus est mare, nec auarus sine ira, & mœrore. Auarus in Cælum contendens, huic similis est, qui pedibus suis vinculo constrictis currere conatur. Ex hac siti diuitiarum fit etiam, vt monachus in manuum laboribus sit diligentissimus, eosque proseria opera habeat, pro perfunctoria præcationem, & lectionem, & si quid aliud spirituale est. Qui ad huiusmodi affectus patrocinium, illud quoque Apostoli dictum offendit; qui non laborat non manducet; cum tamen è contra illa, quæ ex animæ virtute sunt, pro serio opere habere debeat, pro leuiore autem, atque perfunctorio ea, quæ manibus conficiuntur. Hæc Nilus. Hunc vero hominem ita cupiditatibus ma-

lis

lis irretitum, multis curis diſtrictum, animi anxium, & omni perturbationum generi obnoxium, Dei, ac proximi charitate flagrare quiſnam dixerit? Eſt igitur harum rerum maximum impedimentum monacho, quo minus ad charitatis perfectionem poſſit peruenire. Hæc etſi aliquantulum prolixa, quia tamen vtilia intento prætermittenda non cenſui.

23 Specialiora tamen aliqua recenſebo, quæ ex inordinata cupiditate bonorum temporalium monachis oriri poſſunt. Et in primis occurrit; quod ſæpius illi, qui bonorum temporalium poſſeſſione in religionibus gaudebunt, vſualibus, mobilibus, fluentibuſque bonis non contenti, etiam perpetuos, ſtabiles, & immobiles redditus, annuoſque cenſus, ſibi, exquiſitis modis procurent. Hæc autem, num religioſæ paupertati contradicant, num Decretis Pontificum, & Conciliorum, maximè Tridentini. Nouæque reformationi Clementis Octaui nouiſſimè à Sanctiſſimo Domino Vrbano Papa Octauo approbatæ, & confirmatæ contraueniant, aliorum iudicio relinquo, alii iudices ſunto. Theologi viderint, quam difficilè cum illis cohæreant. Mihi tamen hoc ſolum dicere incumbit; perfectioni videlicet paupertatis regularis omnino contrariari. Quod quidem, præter adducta Patrum teſtimonia, confirmant alia. D. Anſelmus in Carmine de contemptu mundi, ſic monet monachos de huiuſmodi cenſibus reſpuendis.

Quærebat cenſus aliquis, captabat honores:
At nunc vileſcant cenſus, honorque ſibi, — D. Anſel. in carm:

Sanctus quoque Laurentius Iuſtinianus identidem monachum monet, de huiuſcemodi redditibus, immobilibuſque bonis aſpernandis, dicens. *Sat tibi ſit, ò monache, monaſterij communis ſubſtantia, de quo vnicuique neceſſaria miniſtrantur.* Abbas quoque Trithemius adeo perniciosos huiuſmodi cenſus monachis cenſet, vt totam ipſorum perditionem ex illis pullulare videatur aſſerere, ſic loquitur. *Poſteaquam cenſus monachi habere cæperunt, & reditus, priſtina mox ſimplicitatis ſtudia defecerunt, creuitque paulatim cum diuitijs, rerum temporalium ſuperbia.* Præterea pius Ioannes Rusbrochius multus eſt in hac parte. Primo enim, vt vidimus, hos redditus, annuoſque cenſus, monachoſque illos habentes damnat. Alibi rurſum acerrimè, vt ſolet, in illos ſic inuehitur. *Eſt, & aliud quoddam in multigeno religionis monaſticæ ſtatu inuenire vitium, plane diabolicum; puta, quod*

Laur. Iuſt. in ſer. de ſanis

Trithem. hem. 7. ad monach.

Rusbr. vt ſupra.

Idem de contempl c.62

quod res terrenæ (Sic corrigo authorem) *communes non sunt, siue eas res interſeſe non communicent. Enim vero ex bonis communibus, alijs inopes, alij locupletes, alij domini, alij ſeruiſunt.* Et infra. *Qui multum habent peculij, aut de rebus communibus, ijs liberiores facere ſumptus, aut plura ſibi conceruare, aut reponere licet.* Inferius quoque. *Cenobia huiuſmodi, ſuperbia, infidelitate, auaritia, dedignatione, ira, odio laborant.* Tandemque propter iſtam cauſam ſic concludit. *Chriſtus hodie à multis neſcitur, vita, inſtitutiones, actuſque illius, cunctis illis inuiſa ſunt, qui vitijs ſeruiunt, & propriæ ſunt dediti voluntati.* Hæc

Idem

Rusbrochius. De Beata quoque noſtra Florentina Magdalena de Pazzi hæc ſcripta videntur in vita ipſius *cap.126. V'n'altra volta parlando con le ſorelle diſſe. O ſorelle, io non intendo, come i Religioſi poſſino con buona conſcienza auere entrate particolari, e chegli offitii del Monaſtero s'abbino à mantenere con l'entrate, e lauori particolari, talche bene ſpeſſo ſortiſce, che più ſono attaccati alle coſe del mondo i Religioſi, che i ſecolari.* E ſoggiunſe. *O Gesù mio fatemi patire ogni pena, perche tante ſpoſe à voi conſegrate ſi diſpongono all'oſſeruanza del viuer commune, perche voi mi fate vedere con mio gran trauaglio molte di quelle meſchine deſcendere nell'Inferno.* Alia quoque ex aliis auctoribus prætermittam; hoc vnum ſolum recenſens; quod nec in antiquioribus vitæ monaſticæ profeſſoribus, tales redditus, aut cenſus annui, exemplo, vel doctrina approbati inueniuntur, nec video qualiter cum illis paupertatis religioſæ perfectio (forſan nec ſubſtantia) conſiſtere poſſit.

24 Ad hæc ſecundo forſan malum aliud, ipſumque grauiſſimum ex inordinata cupiditate ~~pecuniarum, temporaliſque~~ ſupellectilis, monachis continget, quod ex ſe ipſo, quantum vitium ſit illorum cupiditas, ſatis oſtendit. Hoc vero malum in eo ſitum eſt, vt religioſi cupidi, & auari, actiones ſacras illas, quas ob amorem Dei, & proximi facere tenebantur, vtputa confeſſiones audire, conciones, &c. non niſi turpis lucri gratia forſan exerceant. Peſtis hæc adeo deteſtari debet, vt propter eam ſolam fugiendam, cupiditatem pecuniarum deteſtari quoque debeant monachi. De ea ſic loquitur Laurentius Iuſtinianus. *Vbi impellente cupiditate fiunt ſacramenta venalia, &c. ibi prorſus deeſt timor Dei, zelus animarum, charitatis bonum, proficiendi deſiderium, contemptus ſui, orationis guſtus, religionis delectatio, dulcedo virtutum, conſcientia pax, æternorum ſpes, & futuri iu-*

Iuſt. l de obed. c. 19

dicij

dicij metus. Vocat Iuſtinianus ſacramenta fieri venalia, quando, ſiue illa, ſiue quaſcunque alias actiones ſacras, quas regulares exercent, non ob Dei laudem, proximique vtilitatem ſpiritualē ſed, vt ſibi temporalia bona adquirant, exequantur. Apud iſtos animarum zelus vigere non poteſt, eodem Iuſtiniano dicente: *Cumulandi amor, aggregandique diuitias, contrarius eſt ſalute fidelium.* Rupertus quoque cap. 21. in Ioſue affirmat Achan illū, de quo habetur, ſacrilega rapina pallij coccinei, ſiclorum argenti, & regulæ aureæ ſcandalizaſſe populum, figuram eſſe cupidorum regularium, ſi ſub ſpecie pietatis, militiæque ſpiritualis ſacra ſua venalia faciant. Ruperti en verba: *Dum enim ſub ſpecie pietatis pulchri incedentes, atque religioſi, auaritiæ ſtudent, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, & cuncta militiæ ſpiritualis faciunt venalia, quid aliud, quam anathema furantur, & mentiuntur, & abſcondunt inter vaſa ſua, imo inter conſcientias ſuas?* Vnde concludit; hoc vitium cauſam eſſe, quare ſæcularium vitia non ſanentur. Idem de inſti. præc. c. 8 Rupert.

Erunt illi ſimiles quibuſdam antiquis (Sarrabayte, vel Renuytæ nuncupabantur) quos Diuus Iſidorus appellat circumcelliones, qui, eodem Iſidoro teſte, *per mundum vagabantur venalem circumferentes hipocbryſim.* Et infra eorum cupiditatem recenſens. *Fimbrias, & philacteria ſua magnificant, gloriam captantes ab hominibus.* Et inferius. *Omnes petunt, ab omnibus exigunt, aut ſumptum lucroſum egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.* Inferiuſque. *Certatim in operibus laborantes, non vt indigentibus diſtribuant, ſed vt adquirant pecunias, quas recondant.* Tandemque. *Faciunt bona, ſed propter famam, non propter vitam æternam; ſcilicet, vt aut affectent gloriam laudis, aut perueniant ad faſtigium deſiderati honoris. In his ſæpius amor temporalium rerum graſſatur; ſequentes terrenas concupiſcentias, tanto inaniter, quanto ſæpius.* Quæ omnia imitari neceſſe eſt improbos monachos, ſi qui ſunt, qui propter lucrum temporale, & pecuniarium, ſimilemue inhoneſtum finem, actiones ſacras ſacramentorum, concionum, & miſſarum, exerceant. Vnde de illis, quæ D. Iſidorus de antiquioribus dixit, dicere, & nos poſſumus. *Tales nequaquam monachi vocitandi ſunt, qui Deo, ſola profeſſione, non actione coniunguntur.* De illis bene Bernardus ſuper Cantica. *Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos, lanceam, crucem; hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, in acquiſitione turpis quæſtus, & prætium vniuerſitatis ſuis marſupijs includere feſtinant.* Bene etiam de illis Abbas Ioachimus Apoc. c. 18. dixit. Iſidorus ex officio Idem Id. vt ſup. Bern. in Cantica

Abb. Ioac *Quod vendunt orationes, & miſſas pro denarijs, facientes domum orationis apothecam negociationis, facientes inquam focum publicum, & ſpeluncam latronum.* Et poſt aliqua. *Ecce hi omnes ſunt negociatores terræ, qui commutant dona Dei pro rebus temporalibus, & caducis.* Similes quoque erunt iſti rerum ſpiritualium male tractatores Ioanni Bugen Hagio impoſtori Lutherano, qui ad Daniam ſe conferens, vt hæreſis zizania ſeminaret, dicebat ſic. *Tu meum habeas Dania, Euangelium ego tuos nummos. Vale.* Pari paſſu, iſti Euangelium dabunt, ſed nummos accipient. *Quidam ex eis lanam potius, quam oues, ideſt ſuum magis lucrum, quam animarum ſalutem quærunt.* Dicebat Rusbrochius. Satius illis foret, quod S. Thadæus quondam cuidam Regi ſibi ob Euangelii prædicationem aurum offerenti reſpondiſſe ferunt, dicerent. *Si noſtra reliquimus; quomodo accipiemus aliena?* Hinc Seraphicus Doctor Bonauentura in epiſt. ad Prouincialem quendam tranſmiſſa, inter alia præcipit. *Vt toti ſæculo clareſcat, quod non commoda rerum, ſed lucra quærimus animarum.* Quod fiet religioſe ſancte, ſi, vt decet, actiones ſacras, quas exerces, ſolum ob Dei laudem, proximorumque ſalutem exequaris. Quod erit, ſi auaram, torpidamque cupiditatem pecuniarum, à corde tuo omnino abſcindas.

Lanr. Beſer. in apot. verb. auaritia. Rusbroch in tabern. fæd. c. 123 Euſeb. l. 1 hiſt. c. 15.

D Bonau. t. 1. opuſc.

25 Aſtat qnoque horrendum aliud malum, quod ex inordinata cupiditate bonorum temporalium, pecuniæ præſertim, monachis accidere poſſet, quod vnum ſufficeret, vt cupiditatis vitium iure deteſtarentur. Illud vero eſt, gulæ vitium; ad quod ſæpius cupidi, & auari religioſi proclines eſſe poſſunt, plus æquo, cibo, potui, commeſſationibuſque ſuperfluis, vacantes. Contra hoc vitium in monachis præſertim, multa Patres ediderunt. Ex quibus Hugo Victorinus, & ipſe monachus, ſic loquitur. *Cum legas deliquiſſe Ionatam inguſtu mellis, Eſau in Edulio lentis, Sodomitas in ſaturitate panis, putaſne, ſine periculo eſſe, tot carnium ferculis, tot piſcium generibus, tot frixurarum diuerſitatibus, delectari? Nonne ſic differt Palatium à refectorio, ſicut Aegyptus à deſerto? Si igitur in deſerto ſumus, mirandum eſt, ſi ollas carnium ſuſpiramus.* Hæc Hugo: D. quoque Bernardus eleganter ſic concinit. *Quid prodeſt, ciborum varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventoſa ſunt, caſeus ſtomacum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ nō ſuſtinet pectus, caules nutriunt malencoliam, coleram porri acĕdunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua, mea penitus complexioni non*

Hugo 2. de clauſt. anim. c. 19

D. Bernar ſer. 30. in Cantic.

ni non congruunt. Quale eſt hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijſue, reperiri vix poſſit, quod comedas? Puta te, quæſo, monachum eſſe, non medicum, &c. Hæc, & alia ſanctus hic Pater contra monachos illos, qui vulgaribus, & communibus cibariis non contenti, exquiſita lautitia expetant. Quod abſq; dubiè ex magna pecuniæ cupiditate ſæpius originem ducet. Iſtos ſimiles eſſe vult Lyranus Iſraelitis. *Qui tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis.* Vnde de illis ſic loquitur. *Per iſtos, qui flagrarunt deſiderio carnium ſignificantur religioſi mendicantes, qui poſt factam profeſſionem in paupercula religione, in qua nihil eis permittitur, quantum ad vitam præſentem, niſi auſteritas, & paupertas: tamen volunt nimis lautè viuere, ac delicatè, & frequenter hoc contigit illis, qui in ſæculo minus habuerunt, & acriter murmurant contra illos, qui pro victu illorum procurando fideliter laborant.* Hæc Lyranus. Damna porro, quæ ex ingluuie, gulaque religioſorum illis obuenient, expræſſit bene Sanctus Laurentius Iuſtinianus per hæc verba. *Hæbetatur intellectus, dormitat ratio, mens diſſoluitur, negligitur cordis cuſtodia, noxiæ cogitationes ebulliunt, deſideria voluptuoſa inficiunt, laſciuit caro, abundat riſus, contentiones fiunt, & rixæ, ſcurrilia verba proferuntur, & vana, detracta gloria, atque elata. Tunc quippe nequaquam delectat legere, non orare, non meditari, non ſcribere, ſed neque placet, quod ſit commendationis; quod virtutis, quod meriti. Efficitur profectò ex hoc homo contrarius ſibi, inutilis proximo, legi inobediens, inimicus Dei, contemptor gratiæ, corruptor naturæ, pudicitiæ hoſtis. pelagus vitiorum, reus mortis, æternoque ſupplicio dignus.* Hæc Iuſtinianus. En tibi mala, quæ comparaſti tibi religioſe ſancte, ſi, quod abſit, per inordinatam gulam, ex cupiditate pecuniæ tibi pullulantem, peccesi; fuge ergo matrem, ne tales ſoboles ex ea ſuſcipias.

Pſal. 77

Lyran. in c. 11, numeror.

Laur. Iuſt. de regim. præl c. 19

26 Adidem quoque valent, quæ Dionyſius Carthuſianus ſerm. 7. de Dominica ſecunda aduentus, guloſos reprehendens, dixit. *Nos miſeri, qui etiam nunc poſt religionis ingreſſum, poſt voluptatum abnegationem, poſt pœnitentialis vitæ profeſſionem, volumus in omnibus abundare vſque ad ſatietatem, exquiſitis refici alimentis, & corpora liter, atque ſuper fluere repauſare: Quod ſi parum quid videatur deeſſe, protinus murmuramus, indignamur, obloquimur, etiam præſidenti, ſpiritualique Patri, Vicario Chriſti. Inſuper carnalitatem, teporem, defectum noſtrum*

Diò. Cart

impudenter, ne dicam mendaciter, excusamus, impotentiam allegantes, quasi experientia non demonstret, ac doceat huius oppositum, cum usque in præsens, sint quidam verè deuoti, ac feruidi notabilem abstinentiam, magnasque corporis afflictiones strenuè exercentes. Et rursus. *Idcirco manemus in sæcibus nostris, & rudes, incircumcisi carnales, irreformati, passionatique sumus. Et quod summè periculosum censetur, quo in religione diutius viuimus, eo pene tepidiores, & negligentiores efficimur.* Inferius quoque. *Non ita nos cibo repleamus; ac potu, vta d dissolutiones, cachinnos, loquacitates, contentiones, animositates, pigritias, somnolentias dilabamur, sed ad Dei obsequium fortiores reddamur.*

B Magd. de Pazzi

Contraria satis his gulosis Beata Magdalena de Pazzi nostri Ordinis decus erat. De ipsa enim in vita eiusdem *cap.* 123. sic legitur. *Oltre al cibarsi parcissimamente gustaua auere cibi grossi, e di vil prezzo, e diceua, che quelli erano secondo lo stato di pouertà, che le monache professauano; e se per mancanza di condimento erano insipide, non si doleua mai, mà diceua, che la pouertà religiosa le condiua, e glie ne faceua parer saporiti. Se tal volta li dauano à mensa, per straordinario, cibi delicati, gli lasciaua, e diceua, che non erano buoni per il suo stomaco, e che non erano cosa da lei. Medesimamente se gli erano mandati di fuori, gli rassegnaua alla Superiora, acciò li distribuisse all'altre, ò di sua licenza li distribuiua essa; e tanto gustaua d'hauer cose da poueri, che tra l'altre mortificationi che le daua la Superiora, le apportaua molta consolatione, quando era mandata in refettorio alle mense à chiedere, per l'amor di Dio, vn poco di pane alle sorelle, e poi mangiarlo in terra in mezzo del refettorio; e da se stessa molte volte, quãdo non era potuta interuenir alla prima mensa con le monache, andaua alla cucina, e si faceua fare vna scudella di quello che era auanzato nelle scudelle dell'altre, dicendo, che la voleua per vna pouerina; e fattagliela, se la portaua a mangiarla in refettorio, e diceua, che la pouerina era lei; e simili altre inuentioni d'amore di pouertà inuentaua per osseruarla più perfettamente, e renderſi più simile che poteua à Gesù Crocefisso.*

27 Quam certum tamen sit, æterno supplicio dignum esse Regularem, gulæ, ventrique deditum, vt Iustinianus asseruit, ex vero exemplo, quod pius, deuotusque Ioannes Rusbrochius retulit, coniici potest. *Tres*, inquit, *gulosi monachi circa Rhenum, in quodam degebant cœnobio; qui non contenti cibis communibus,*

Rusbr. in tra. de fid. & iudic.

sed

ſed eſcas ſingulares ſibi miniſtrari volentes, ſeorſum à fratribus aliis ſemper edebant. Quorum duo ſubitanea, ac improuiſa arrepti ſunt morte, vno præfocato, altero, dum ſe lauaret, ſubmerſo in aquis, vnus autem ex eis ſocio tertio ſuperſtiti apparens ait, ſe damnatum eſſe. Interrogatus ab illo, cui apparuit, ſi magnapatereturtormenta, extenſa manu guttam vnam ſudoris ſui in candelabrum ſtaneum, vel æneum, quod ibi forte erat cadere permiſit; quod momento celerius, perinde vt ſeuum, uel cera in ardenti fornace liquefactum eſt. Tantuſque inde extitit fator, vt illius loci monachi tribus diebus à cœnobio abeſſe cogerentur. Hæc Rusbrochius. Ex quibus liquido innoteſcet, quæ per inordinatam ingluuiem monachis nocumenta ſequantur; meliuſque illis fore, parſimoniam potius in cibo, & potu, antiquorum ſequi monachorum (quos Marcus Marulus refert) quam tali vulnere animas ſuas perimere. Ac perinde conſultum ſatis illis erit, ſi pecuniarum poſſeſſionem fugiant, quæ tanti mali initium, radixque eſt. Marc. Mar l. 4. c. 2

28 Huic quoque vitio affine aliud eſt, ex eadem radice improbæ cupiditatis contingenter eueniens, quod ſcilicet religioſi ſæpius propter bonorum temporalium, pecuniæ præſertim, poſſeſſionem, habitu, ornatuque exteriori, religioſo ſtatui contrario, vtantur. Contra hoc vitium ſic loquitur Diuus Baſilius. *Si in eo ſtudendum eſt nobis, vt omnium infimi ſimus, ſine dubio, & quod in hoc genere indumentorum infimum eſt, id ſummopere eſt nobis amplectendum: vt enim gloriæ cupidi, gloriam, & inanitatem ex veſtium cultu, ac ſplendore aucupantur; ſic videlicet humilis, & religioſæ vitæ ſtudioſi, ex veſtimenti quoque vilitate debent venari humilitatem, & eam conſectari.* S. quoque Ephrẽ Syrus ad monachum quendam ſic loquitur. *Veſtium ornatu ne delectaris.* Et in doctrina varia ſic: *Superfluus veſtium ornatus mortem conciliat.* Legatur D. Paulinus epiſtola ſeptima ad Seuerum, vbi monachos, molliora veſtimenta quærentes multo cũ ſelle carpit, & arguit. Legatur & D. Benedictus in reg. ſic habẽs. *Ne monachi cauſentur de veſtimentorum colore, aut groſſitudine, ſed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua degunt, aut quod vilius comparari poteſt.* Optimè etiam Hugo Victorinus ſic monachos inſtruit. *Debent amatores religionis, opere demonſtrare, quantum ipſi terrena diſpiciant, nec carnem, quæ moritura eſt, cultu ſuperſtitioſo excolere, ſed pompæ indumentorum; morum ornamenta anteferre. Veſtimenta plus vilia, quam pretioſa, plus* Baſil. reg. 22. exfuſis. S. Ephrem paræn. 4. D. Paulin. D. Bened. c. 55 Hugo de inſt. mon: c. 11

plus groſſa, quam ſubtilia, plus aſpera, quam mollia, plus fuſca, quam nitida, plus neglecta, quam accurate compoſita. Vnde D. Bern hoc vitium in monachis ſui temporis ſic deplorat. *In hoc habitu non iam calor, ſed color requiritur; magiſque cultui veſtium, quam virtutum inſiſtitur. Pudet dicere, vincuntur in ſuo ſtudio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in veſtibus, non neceſſitate, nec ſaltem forma religionis retenta. In habitu ornari, non armari, appetunt milites Chriſti: qui dum ſe præparare ad prælium, & contra æreas poteſtates, prætendere paupertatis inſigne debuerant, quod vtique aduerſarij valde formidant; in mollitie veſtimentorum pacis potius prætendentes indicium, vltro ſe hoſtibus, ſine ſanguine tradunt inermes.* Ioannes quoque Rusbroch.us iam adductus, religioſos iure carpit. *Quod curioſum, & comptum ferre habitum licet, nec vlla apud eos veſtimenta plus nimio prætioſa habentur, quæ obtinere poſſint.* Alibi etiam deplorat. *Quod ipſe etiam externus habitus, quantum maxime fieri poteſt, ad hominum mundanorum conſuetudinem formatur, nec quicquam ferme ab eorum habitu diſtat colore, & effigie.* Deplorat, & illud B. Thomas de Villanoua, verbis relatis a nobis cap. 1. huius libri.

D. Bern. hoc. a ſuper. miſſus eſt.

Rusbr. vt ſupra.

Idem de contẽpl. c. 61

Th. de Villanoua

De quo & Sorethius *in Regul. text.* 10. *cap.* 5. ſic conquæritur. *In ipſo quoque fratrum habitu, iam non calor, ſed color quæritur, magiſque cultui veſtium, quam virtutum inſiſtitur. Pudet dicere, vincuntur in ſuo ſtudio mulierculæ, cum à fratribus pretium affectatur in veſtibus, cum ſine neceſſitate, nec ſaltem forma Religionis retenta, in habitu ornari, non amari appetunt milites Chriſti, qui dum ſe præparare ad prælium contra æreas poteſtates, prætendere paupertatis inſigne debuerant, quod vtique aduerſarij valde formidant, in mollitie veſtimentorum potius præferentes indicium vanitatis, vltro ſe hoſtibus, ſine ſanguine tradunt inermes. Hodie quæritur ad induendum non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inueniri poteſt, non quod frigus expellat, ſed quod ſuperbire compellat: non denique iuxta Baſilij regulam, quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, imo vanius, oſtentari.* Deinde ſic lachrymatur. *Heu me miſerum! cur adhuc viuo, videre Ordinem noſtrum, ſcilicet qui primus fuit in eccleſia, quo nullus in terra ſimilior Angelicis Ordinibus, nullus vtcinior ei, quæ in cælis eſt Ieruſalem, mater noſtra, ſiue ob decorem caſtitatis, ſiue propter charitatis ardorem, cuius Prophetæ inſtitutores, cuius hinquos Paulus toties ſanctos appellat, inchoatores extiterunt.*

Sorethius

Fuſi

Fuſi ſumus nunc exterius, & de Regno Dei, quod intra nos eſt, relictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem, & vanitatibus, & inſaniis falſis, ac iam religionis antiquæ non ſolum virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus. Ecce enim habitus noſter (quod & dolens dico) qui humilitatis eſſe ſolebat, indigne à fratribus noſtri temporis in ſignum geſtatur ſuperbiæ. Vix iam in noſtris Prouinciis inuenitur, quo veſtiri dignemur. Miles cum fratre ex eodem panno partitur ſibi cappam, & chlamidem, omnis de ſæculo quantumcumque honoratus, etiã ſi Rex, etiam ſi Imperator fuerit, ille tamen noſtra non horrebit indumenta, ſi ſuo ſibi modo præparata fuerint, & aptata. Vanũ eor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto ſtudio curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus. Operiuntur huiuſmodi impietate, & iniquitate ſua. Hæc ille, etſi dura ſatis, eatenus vero æſtimanda, quatenus non omnes, ſed aliquos infimioris notæ fratres tangere credendum ſit.

29 Quale tamen ſuæ detrimentum ſalutis æternæ patiantur religioſi, ſi veſtium culturæ ſint nimium dediti, habetur ex reuelatione Sanctæ Brigittæ facta. Ex qua liquet animam cuiuſdam religioſi, inter alia damnari. *Quia gloriabatur in ſuperfluis, & habitu peregrino.* Extat quoque viſio, & reuelatio cæleſtis, quam B. Odo Abbas Benedictinus retulit, ex qua liquet, quantum Deo diſpliceat monachorum inhoneſtus, & nimium comptus ornatus. *Cum apud Turones in Eccleſia B. Martini, monachi degerent, cæperunt deficere à moribus, & inſtitutis monaſticis, propriamq; ſectando voluptatem, vitam, profeſſionemq; ſuam corrumpere. Abiecto enim monachorum ſolito habitu, fucatos, atque fluxos, & pallio ornatos, induerunt cucullos, & tunicas; calceis vtebantur adeo rotundis, & nitidis, vt vitrei videri poſſent. Quibus, cum vellet Deus finem imponere, nocte quadam, omnibus ſomno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitorium ingredi; vnum manu tenentem gladium, alterum imperantem ei, vt quos ipſe digito demonſtraret, gladio percuteret. Cumque ille etiam eum, qui videbat, cædere vellet, adiuro te, inquit, per Deũ viuentem, ne me interficias. Illico retraxit ille gladium, & hic ſolus ex omnibus euaſit.* Hæc Sanctus Odo: ex quibus elici valet, quantum Dei iræ ſibi aſciſcant regulares, nimium ornatum in veſtibus affectantes. Alia quoque viſio cuidam monacho contigit,

s. Brig. l. 6 reuel. c 35

Apud Sur. in Nouẽb.

git, in qua vidit B. Benedictum pro monacho moribundo compellatum, qui spreta simplicitate vestis religiosæ, habitum inhonestum assumpserat, respondisse. *Hominem quidem se videre, sed habitum non agnoscere; itaque alterius instituti hominem, eiusq; causam discutere se non debere, nec in eius uitam itquirere.* Hæc, & alia Surius: ex quibus, & adductis, constare liquido potest, magnum malum regularibus esse vestibus inordinatis ornari, ac perinde fugiendum auaritiæ, cupiditatisque vitium, ex quo, & pecuniarum possessione, tantum detrimentum nascetur.

Idem Sur

30 Præcludere tandem oportet ementitam quandam, simulatamque excusationem, qua sibi regulares quidam, pecunias, bonaque temporalia, plus æquo procurare dicent. Est autem excusatio hæc sub prætextu indigentiæ, necessitatisque futuræ obtecta. Dicent enim fortè, cœnobia, aut conuentus, non sibi in necessariis prouidere, vel si aliquatonus prouident, talem tamen morbum, oblongum iter, senectutem, similemue indigentiam, accidere posse, vt nisi propriis diligentiis adiuuentur, miserè sint perituri, ob quod vitandum damnum sibi putabunt licere, pecuniæ copiam, librorum, aliorumque temporalium bonorum supellectilem reseruare. Sed, gaudeo, gaudeo sanè, quia nec noua est, sed antiqua, prætensa hęc, & palliata cupiditatis monasticæ excusatio. Eam enim similibus verbis Ioannes Cassianus antiquus Eremita, loquens de monachis cupiditatis vitio infectis, exaratam reliquit. Sic verò loquitur. *Philargyria, seu cupiditas pecuniarum, cum remissam, tepidamq; possederit monachi mentem, iustos quosdam, & uelut rationabiles ei colores, ob quos reseruare sibi aliquid pecuniæ debeat, uel parare, describit. Nam, & ea, quæ præbentur in monasterio, quæritur non esse sufficientia, & sano, robustoque corpore, uix posse tolerari. Quid faciendum, si ualetudo mala corporis emerserit, & conditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? Præstitionem monasterij esse pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori ualeat adhiberi, miserè moriendum. Ipsum etiam uestimentum, quod præbetur, non sufficere, nisi procurauerit, vnde sibi aliud ualeat exhiberi. Postremo, nec diu posse in eodem loco, uel monasterio commorari, & nisi parauerit sibi uiatici sumptus, cuectionisq. transmarinæ mercedē non posse cum uoluerit transmigrare, &c.* Et infra. *Tunc deinde uita longæua promittitur, senectus incurua, infirmitates diuersæ, atque prolixæ,*

Cass l. 7. de philar. c. 7

quæ

quæ tolerari in senecta non possint. Hæc Cassianus. Ecce eandem excusationem, quam nescio si aliqui religiosi nostri temporis, auaritiæ forsan, & cupiditatis morbo infecti, sibi vsurpant, abhinc 1200. annis ab improbis fuisse monachis traditam.

Idem intentum piissimus Ioannes Soreth in expositione Regulæ Carmelitar. *cap. 9.* circa illa verba *abdicatione proprietatis*, his verbis prosequitur. *Auaritiæ morbus posterius superueniens, & extrinsecus animæ accedens, quanto facilius caueri potest, ac respui, tanto neglectus, & intromissus semel cordi fit pernicior, & cunctis vitys difficilius propellitur, malorumque omnium radix est. Igitur si remissam, tepidam que possideat viri Religiosi mentem, per quosdam velut rationales illi colores, licet obliquos, vel reseruare aliquid pecuniæ, vel comparari describet: nãea quæ præbentur in monasterio quæretur non esse sufficientia, etiam sano, robustoque corpore vix posse tollerare negligentiam erga ægrotantes maximam. Itaque cum eiusmodi cogitationibus laqueauerit mentem, qualiter saltem vnum denarium acquirere possit excogitat. Cumque ei ad votum cesserit, fames exercebit, & sic pecuniæ incremento rabies cupiditatis augetur: deinde vita longæua promittitur, senectutis incuruatio, infirmitates diuersæ, ac prolixæ, quæ nisi maior summa fuerit in iuuentute præparata, tolerari in senectute non possunt.* Io. Soreth

31 Sed quis non videat frigidam hanc excusationem, ipsamet testante comprobari. Etsi enim aliquid naturæ fragilitati concedi queat, vitiosæ tamen cupiditati, sub velo naturalis necessitatis obtectæ, nihil concedi debet. Hoc ex ipsismet Cassiani verbis clarescit, dum monachum tali excusatione munitum, *remissum, tepidamque mentem* possidere asserit. Indicat id quoque Diuus Gregorius dicens. *Sæpe quod auaritia, ex appetitu suggerit, necessitatem putat, & cum minora sufficiant, docet maiora deesse.* Præsertim id verum habet, quia si naturæ necessitati consulitur, vt isti simulant, certe *natura paucis contenta redditur.* Indicat hanc rationem, solo ipso rationis ductu; Seneca epist. 7. ad Lucilum dicens. *Frugalitas autem paupertas voluntaria est. At necessaria deerunt? Deesse non poterunt, quia natura minimũ petit.* Ecce monachi excusationem vestram ab ethnico quoque reiectam. Sed esto, nobis aliqua in corporeis necessitatibus desint, nunquid ideo infamiæ auaritiæ serui erimus? Cupiditatis mancipia vocabimur? Non ideo, Patres, paupertatem professi Cass. vtsu. D. Greg. 2 in Ezech. hom. 20. Seneca.

D. Bonau. ep. quadā 1. t. opusc. D. Bern. ser. 1. de ascensu

sumus, vt nihil omnino nobis desit. *Fœdum enim est.* (inquit Bonauentura) *profanumque mendacium satanæ, paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle.* De his quoque sic loquitur Bernardus. *Vidimus pauperes aliquos, qui se veram paupertatem haberent, non adeo pusillanimes inuenirentur, & tristes. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* Indicat sanè his verbis Bernardus, istos tales non veros, & perfectos pauperes esse. Deinde: ignoro prorsus, quantum valeat apud istos illud Christi. *Primum*

Matth. 6

quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Et illud. *Noliti solliciti esse in crastinum.* Prorsus etiam ignoro, qualiter apud istos firma, roborataque spes permaneat, cum (verbis D.

D. Basil. cōst. c. 35

Basilij vtar) *Deum ijs alimenta suppeditaturum diffidant, qui in nomine ipsius congregati sunt.* Nec video, quomodo religiosi isti, totos se Deo animo; corde, & corpore tradiderint; cum sic rebus caducis inhiantes, suam professionem relinquant. *Similis*

S Ephrem de timore Domini

esse debet monachus (loquitur Ephrem) *Viro ex alto demisso, qui funem excelso interuallo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad dominum clamat, sciens se, si defecerit, vsumque vtriusque manus perdiderit, præcipitem illico ruiturum, & moriturum.* Si ergo religiosus omnis indesinenter, à Dei auxilio, potestateque, pendens esse debet, quorsum pro temporalibus angitur, pro caducis torquetur, & pro terrenis, cælestem paupertatem commutat? Hoc docet Euangelica Veritas, patres astruunt, veri, perfectique monachi statvs hoc requirit.

32 Addiderim præterea, sæpius, diuina prouidentia disponente, istos, qui sub futuræ necessitatis, vel indigentiæ prætextu, propriæ professionis, & paupertatis religiosæ limites transgrediuntur, his etiam pecuniis, quas sibi condiderant, misere priuari. Forsan expertus loquar, Sed extat de hoc memorabile exemplum, quod refert Guillelmus de Peraldo in tractatu de professione monachorum, de hortulano quodam, qui simili spiritu cupiditatis ductus, pecuniam sibi indebitè reseruauit, quam tamen sibi nihil profuisse, ex angelica reuelatione innoluit, simulque cupiditatis eius vitium reprehensione dignum fuisse, probatur. Hæc sunt Peraldi verba. *Suggestum est ei inspiratione spiritus maligni, vt colligeret aliquam pecuniam, quam, cum senesceret, vel ægrotaret, posset expendere. Et fecit sic. Contigit*

Perald de prof. mō. p. 3 c. 11

autem

autem eum infirmari in pede, & expendit quidquid habebat in medicis; curarique non potuit. Tandem vnus ex peritis medicis dixit, eum non posse curari, nisi per pedis abscissionem. Et cum quadam die, medicus esset allaturus instrumenta sua ad pedes abscindendum, nocte præcedenti hortulanus pœnituit de nummis collectis, & quod non dederat eos pauperibus. Et statim Angelus Domini astitit ei dicens. Vbi sunt nomini, quos collegisti, & vbi est pes, quem tractasti? Qui cum pœniteret, & misericordiam peteret, Angelus Domini tetigit pedem eius, & sanatus est. In mane vero medicus veniens, inuenit hortulanum in agro sanatum, & operantem. Et glorificauit Deum. Ecce casum; ex quo liquido innotescit, Deo maxime displicere monachum, qui sub vmbra necessitatis venturæ, contra regularem paupertatem peculium congregat. Ipsoque facto ostendisse, in Deo plus sanctum religiosum, Deique providentiæ, quam pecuniis fidere oportere. Ac perinde euanescere, vt futilem, & inanem, eorum excusationem, qui præ timore necessitatis futuræ, præsentem professionem prætermittent.

Sed, quod horribilius est, cupidos Religiosos æternam proinde sibi præpare gehennam, non temerè formidari potest. De quo noster Gratianus *in sua disciplina Regulari cap. 9. §. 1.* notabilem hunc casum sic refert. *Stauasi morendo vn frate di più di settant'anni di età, e vedendo, che più non v'era speranza di vita, chiamò il compagno, che lo seruiua, e dissegli, che discussisse certa parte del suo giubbone, e ne cauasse diciassette doppioni d'oro, e prendesse vn coltello, e gl'aprisse la carne sua propria in vn fianco, & iui glie li ponesse, e ritornasse à cusire. Il frate suo compagno si rise della sciocchezza del vecchio, vennelo à dire à i Superiori, i quali viddero i doppioni, ma il vecchio si morì co'l suo desiderio, e Dio sà doue andò quell'anima.* Hieron. Gratian.

33 Restat tandem duas alias euasiones retundere, quibus frigidi aliqui regulares forte putabunt, magnam bonorum temporalium copiam sibi illicitam non esse. Nec propriam sententiam proferam, sed quid sentiant grauiores alii dicam. Prima est, quia dicent tales, etsi habeant plurium bonorum temporalium copiam, affectionem tamen internam ad res ipsas temporales nō habere. Sed hanc reiicit Hieronymus Sauaronola ad Comitem Mirandolanum sic dicens. *Nec permittas te seduci ab aliquibus, qui dicunt, quod paupertas non consistit in hoc, quod non habeamus res exteriores, sed in hoc, quod non habeamus affectionem, &* Sauaron. ad Comi Mirand. c. 2

amorem ad illas: quia quanquam hoc verum ſit, tamen, & difficillimum, & fere impoſſibile eſt, poſſidere res exteriores, & non habere amorem, & affectum ad illas: propter quod Sancti, etſi habebant totum amorem ſuum in Chriſto, nihilominus ſpoliabant ſe huiuſmodi rebus, ſcientes, quod poſſeſſio illarum eſt multorum peccatorum occaſio: & hoc apertiſſimè apparet, in religioſis, qui in monaſterio, & in cella habent abundanter ea, quibus opus habent; quia ſunt tepidi in diuino amore, vagi, rari in oratione, ſenſuales, loquaces, murmuratores, iracundi, impatientes, inſatiabiles, inquieti, inuidi, otioſi, ſuperbi, & inobedientes. Et hoc euenit illis, quia dereliquerunt primum religionis fundamẽtum, quod eſt ipſa paupertas, non conſiderantes neceſſarium eſſe omni volenti ſeruire Chriſto in religione, vt ſit pauper non ſolum corde, ſed opere, in omnibus, huius mundi rebus. Secunda euaſio eſt quorundam, qui dicent ſe poſſe plura bona temporalia, & pecunias poſsidere, quia non habent dominium, ſed vſum illorum. Hoc tamen ſic reiicit D. Dionyſius Carthuſ. ex graui quodam Doctore. *Magis nocet religioſo habere vſum peculij ſine proprietate ciuili, quam habere proprietatem ſine vſu. Proprietas neque in ſe non eſt peccatum, neque ad peccandum inducit, niſi per vſum rei. Eius exemplum eſt, quod puero, vel furioſo non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem vtendi illo. Habere tamen libertatem vtendi ad placitum communi cultello eſſet furioſo, ſeu puero valdè periculoſum. Quemadmodũ ergo ſtultũ, & deriſibile eſſet, ſi quis paterfamiliat prohiberet filio ſuo habere propriũ cultellum, ne cũ illo ſe læderet; nihilominus daret illi licentiã vtendi ad placitũ cõmuni cultello domus; ſic ſtultũ videtur, & deriſibile, ſi pater ſpiritualis filio ſuo ſpirituali prohibeat poſſidere aliquid proprium, & nihilominus aſſignat ei aliquã portionem de communibus bonis cõuentus, conceditq. vſum illius. Quia libertas vtendi illa portione, eſt ſibi magis periculoſa, quam eſſet ei proprietas eiuſdem ſine vtendi licentia.* Et infra. *Quantũ ad progreſſum de malo in bonum parum, aut nihil refert an habeatur vſus, ſine proprietate, vel cum proprietate.* Hæc iſte author. Quæ, obſecro, attendant regulares omnes, nulloq; palliato colore, cupidam ſibi, auaramq; bonorum temporalium poſſeſſionem prætendant, *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Sed propriæ profeſſioni atte ndentes, ſciant cum S. Hipolito martyre. *Conſumationis mundi, & extrema ætatis illius ſignum eſſe ſi monachi expetunt, quæ ſunt mundi.* Sed de hoc etiam capite ſequenti.

Dio. Cart in opu de refo. clau. c. 16

S. Hypol. in orat. de conſumm mundi t. 7 bibliot.

Superfluitas

Superfluitas bonorum temporalium etiam in ipsis communitatibus, religiosorum reformationi est contraria,

CAP. XVII.

1 ABundè satis caput præcedens cupiditatem, & auaritiam à regularibus personis, Patribus testantibus, relegauit; præsens vero etiam à communitatibus ipsorum regularium, monasteriis scilicet, conuentibus, aut collegiis, abigendam fore specialius comprobabit. Ansam hinc tollemus aliquibus, si superfluam bonorum temporalium possessionem priuatis personis, & regularibus nolint permittere; Ipsorum tamen cœnobiis, magnam copiam istorum bonorum tolerandam esse, verbis, aut factis conentur defendere. Hoc ergo contra perfectam reformationem religiosorum militare accuratius ostendamus. Ad quod ~~in primis~~ omnia, quæ capite præcedenti adduximus deseruire poterunt: si enim superflua bonorum temporalium possessio religiosos non decet, nec decebit etiam communitatem ipsam religiosam: quæ ex pluribus particularibus componitur. Nihilominus specialiter de communitatibus regularium loquemur.

2 Ergo primus, vt solet, loquatur D. Basilius, magnus, & egregius reformationis monasticæ defensor. In sermone ergo de institutione monachorum sic loquitur. *Conuenit igitur, vt quemadmodum; qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant, ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediantur.* Loqui autem Basilium, non modo de specialibus religiosis, sed etiam de ipsis cœnobiis, conuentibusue, in quibus degunt, ex sequentibus elicio. *Si quidem earum rerum, quæ sunt cum materia coniunctæ solicitudo, procuratioque magnopere mentem, atque animum distrahunt.* Quæ ratio non minus in communitatibus religiosis, quam in ipsis regularibus personis vim habet. D. Basil. in ser. de inst. mon.

3 Adstipulatur S. Ephrem Syrus, qui in opusculo quodam aduersus quosdam religiosos edito, eorum statum eo maximè luget, quod cum in mundo possessiones, diuitiasque reliquerint, in religione

religione tamen, pro ipſarum poſſeſſione multum anhe lent. Eius verba, paucis diſpunctis, ſic habent. *Hei mihi, quis non ſuſpiret? quis non lugeat? quo pacto Angelicum hoc inſtitutum, ac Ordinem confundimus? Reliquimus mundum, & quæ mundi ſunt ſapimus. Reliquimus domos, & earum cura, atque ſolicitudine quotidie abſumimur. Videmur quidem paupertatis amatores; & habendi cupiditate detinemur, atque abſorbemur. Ore quidem, ac verbo paupertatem colimus, mente autem auaritiæ morbo laboramus. Quis igitur noſtram conditionem, atque inſtitutum non doleat?* In ſer. quoq; aſcetico de vita religioſi ſic habet. *Attendamus nobis ipſis, ne duplici pœna in iudicij mulctemur, maximè ſi poſt ſæculi abdicatione adhuc ea, quæ mundi ſunt ſapiamus, ſi poſt pecuniarum, opumq; contemptum, de ijs adhuc ſolliciti ſumus, &c.* Attendant hoc religioſi, & videant qualiter illis etiam pro communi conuentu, ſollicita pecuniarū inquiſitio interdicatur, oppoſitumque conantibus, duplex pœna comminata ſic ad Ephremo.

S Ephr. in opuſc. ad meſſus viuere viue.

Idem

4 Accedit S. Gregorius Nazianzi Epiſcopus, qui, & ipſe monachus, monachorum quoque, & cœnobitarum vitam deſcribens, qualis nam ſuo tempore fuerit, qualiſue noſtro futura ſit, ſic docet. *Vita eorum ſunt opes in egeſtate: poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cælibatu: Qui delitias aſpernari pro delitijs habent: qui regni cæleſtis cauſa, humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent, & mundo ſuperiores ſunt, qui cum in carne ſunt, extra carnem tamen viuunt: qui pro portione Deum habent; qui propter regni ſpem inopia laborant, & propter inopiam regnant.* Hæc ſanctus hic Pater, quæ ſi attendant aliqui ex religioſis, nō magno conatu bona temporalia, pecuniarumque abundantiam, ſibi, ſuiſue cœnobiis coaceruabunt, cum opes noſtras in egeſtate, poſſeſſione ſque in peregrinatione ſitas eſſe, Nazianzenus moneat.

Greg. Naz 1. orat. de pace

5 Euſebius quoque author epiſtolæ ad Damaſum de morte D. Hieronymi, & habetur 4. tom. Operum ipſius, cupidam auaritiam quorumdam monachorum grauiſsimis verbis carpit, reprehendit. Primo ergo nihil peius in mundo eſſe, quam malus monachus, affirmauit, inquiens. *Nulla certe in mundo tam crudelis beſtia, quam malus monachus.* Cauſam ſubiungit. *Nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire poteſt. Et vt breuiter dicam, omnes præeminet malitia.* Vt autem præcipuam cauſam tradat, cur tam malignus, incorrigibilis, & crudelis beſtia, monachus prauus ſit, totum hoc in auaritiam reſundit, hiſce

Euſ. in ep 4 t op. D. Hieron.

verbis.

verbis. *Heu quantum in quibusdam Spiritualibus, habitu, & nomine, creuit cupiditas: qui certe sunt lupi rapaces in vestimentis ouium.* Concludit tandem. *Vbi sacerdos, & monachus cupidus est, ab eodem plusquam à serpente fuge.* Ne autem putaretur, solum loqui de monachis, qui priuatim sibi nummos, & bona temporalia congregant; sed etiam de illis, si superfluè, & auarè nimis monasteria ipsa supra modum ditare contendant, hæc addit. *Sunt nonnulli, qui totum suum fructum existimant, Ecclesias, & monasteria miro modo, & opere, ex pauperum mercede ædificare, in quibus tanta viget cupiditas, vt terram sibi, & omnia deficere putent. Ibi cor, ibi mens, ibi semper sua est cogitatio, vt aliena possint expoliare marsupia.* Neutiquam author hic improbare valet religiosam eorum monachorum, regulariumque curam, Deo, sanctisque templa, Ecclesias, monasteriaque extruentibus: hoc enim pium, & laudabile est. Improbat tamen eorum solicitudinem, & cupiditatem, qui sub horum prætextu, pauperum bona, nobiliumue hæreditates sibi asciscunt, vel superfluas, impertinentes, vanasque diuitias sub prætextu sustentationis acquirent: hi enim reprehensibiles valde essent, & vitio auaritiæ notabiliter infecti. Idem

6 Ad hæc D. Gregorius Magnus in suo 3. lib. Dialogorum sanctissimi cuiusdam Isaac serui Dei virtutes, & miracula referens, inter alia in hoc maxime ipsum commendat. *Quod cum eum crebro discipuli humiliter admonerent, vt pro vsu monasterij, possessiones, quæ offerebantur, accipere; Ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat dicens. Monachus, qui in terras possessiones quærit monachus non est.* Hæc Sanctus Gregorius de hoc eximio viro, satis superque laudans eius factum, & dictum: *Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est.* Quod, si plures, vt æquum est, ruminent, non nimis solicite, auide, & cupide exquisitas diuitias, possessiones, hæreditatesque sibi quærent, cum sanctus hic vir à Diuo Gregorio commendatus, neque pro vsu monasterii, possessiones, quæ offerebantur acciperet. Fauet quoque ista epistola quadam. *Si peculiaritas* (inquit) *à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione poterit permanere.* Alibi quoque sic habet idem Gregorius. *Quid est habitus monachi, nisi despectus mundi, quomodo ergo mundum despiciunt, qui in monachali habitu positi, aurum quærunt?* Hæc, & alia Magnus Gregorius, satis exosum habere indicans, cupidam auaritiam monachorum, D. Greg. dial. c. 14. Id lib. 10. ep. ind. 5 ep. 22. Idem

etiam

etiam ſub prætextu communitatis augendæ.

D. Bern. apolog. 7 Nec minus fauet D. Bernardus, qui in ſua illa celebri apologia ad Guillelmum Abbatem, ſæpius, meo videri, à monachis perlegenda, vanas, ſuperfluaſque monaſteriorum diuitias damnans, ſuperfluam quoque monachorum in illis acquirendis ſolicitudinem condemnat: ſic vero loquitur. *Abſit vt credam, tantas, ſanctos Patres, quantas video in pleriſque monaſterijs vanitates, ac ſuperfluitates, præcepiſſe, vel conceſſiſſe. Miror etenim, vnde inter monachos tanta intemperantia in commeſſationibus, & potationibus, in veſtimentis, & lectiſternijs, & aquitaturis, & conſtituendis ædificijs inoleſcere potuit: quatenus, vbi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius, fiunt, ibi Ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, ſobrietas, auſteritas creditur; ſilentium triſtitia reputatur. E contra remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas, affabilitas: chachinnatio iucunditas: mollities veſtimentorum, & equorum faſtus honeſtas: lectorum ſuperfluus cultus munditia.* Et infra. *Quis in principio, cum Ordo cæpit monaſticus, ad tantam crederet inertiam monachorum deuenire? O quantum diſtamus ab his, qui in diebus Antonij extitere monachi?* Et inferius. *Quæritur ad induendum, non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inuenitur, non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat; non denique iuxta regulam, quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, imo vanius oſtentari.* Multa alia S. hic Pater in dicta apologia, contra ſuperfluam ſolicitudinem monachorum in diuitiis, deliciis, temporalibuſque bonis habendis, ſcripſit; quę tranſcripſimus ſufficiant, vt quantum ex mente Bernardi a vero religionis tramite iſti aberrent, notum ſit.

Idem

Quia tamen ſuperfluam, vanamque hanc bonorum poſſeſſionem, ſolis priuatis religioſis, non autem monaſteriis eorum interdici, aliquis forſan putabit, ex ſermone ad fratres de monte Dei, etiam de ipſis domibus religioſis loqui manifeſté liqueſcet, ſic vero loquitur. *Iam enim ſubintrauit de are alieno ſumptuoſa, & quantum pudor finit, ambitioſa ædificatio, & abiecta ſanctæ ſimplicitate, & ruſticitate, ſicut Salomon dicit ab Altiſſimo creata, quaſi religioſas quaſdam nobis creamus habitationum honeſtates; in quibus tantum compaſſum eſt à talibus, vt pene omnes in hoc effecti ſimus animales. Dimiſſam enim nobis à patribus noſtris iure hæreditario formam paupertatis, & ſanctæ ſimplicitatis ſpeciem. Verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis noſtris,*

Author ſermon's ad fratres de monte Dei, apud Bernard.

nostris, per manus artificum exquisitorum cellas, non tam eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum. Et infra. *Ergo obsecro, in peregrinatione sæculi huius, in militia hac super terram ædificamus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum.* Optimè etiam sermone quarto super missus est, hæc habet. *Video, & alios, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotijs, rursus cupiditatibus terrenis immergi: Cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere diuitibus, & matronis salutationes, &c.* Alia sanctus hic Pater, ex quibus liquido innotescit, quam male sentiat de auara cupiditate aliquorum monachorum, si sibi nimis amplas magnificas, prætiosasque cellas, aut domos ædificent ad habitandum in hac peregrinatione, etiam *sub prætextu communis vtilitatis*, vt dicit. Idē Bern.

8 Grauissimus quoque author Cardinalis Petrus Damianus in epistola ad quosdam monachos eremitas, contra illos, quod superflua monasterio bona adquirēda inhiarent, sæpius inuehitur. *Hoc etiam* (inquit) *me non leuius mouet, quia prætergresso nihilominus inobedientiæ limite, eleemosynas à sæcularibus indifferenter accipitis, possessionis iræ funiculos inhianter extenditis; & vt cuncta breuis sermo concludat, in occulto simul, & publico, fieri diuites festinatis.* Et infra. *Porro autem ad quid diuitiarum lucra congerimus? an quia hæc in nostros vsus expendere, natura modico contenta prohibente, non possumus: in quos prodigi valeant, anxia semper sollicitudine perquirimus.* Vnde inferius concludit. *Spernite diuitias, ne perpetuo mendicetis eflote voluntariè pauperes, vt sine fine regnetis.* Ex quibus non incongruè elici valet illustrissimum monachum Damianum, toto animo, corde que, reprobare nimiam bonorum temporalium cupiditatem, etiam sub prætextu communitatis monasterii ampliandæ. Pet. Dam. l. 6. ep 32

9 Nec omittam, quæ Iustus Abbas Cistercienſis in sermone quodam ad Cistercienses monachos, circa copiosam bonorum temporalium supellectilem scripta reliquit. *Nosler* (inquit) *ordo bonum habuit fundamentum humilitatis, & spontaneæ paupertatis. Super hoc fundamentum nostri priores ædificauerunt consimilem structuram, scilicet humiles domos priuata laboris habitacula, tenuissima temporalis vitæ subsidia. Nos vero, sicut iudicibus nostris videtur, transtuimus terminos, quos posuerunt patres nostri. Nos iam non humiles domos, sed spatiosas, & specio-* Iustus in 2. t. auctu bib. Patrū

sas aulas instruimus. Ipsa nostra habitacula vrbibus similia sunt, & iam, vt vulgo dicitur, in chimino posita, commeantibus quadriuiatim patent. Et inferius. *Primi Ciſtercienſes diuitias fugerunt, nos quærimus, paupertatem quæſierunt, nos fugimus.* Inferius quoque. *Prouideamus famæ noſtræ, propter nimiam libertatem noſtram iam valde periclitanti. Caueamus, ne nomen Dei per nos blaſphemetur inter gentes. Diuitias congregare, dignitates ambire, negociationes exercere, vrbana fora frequentare, ſine prædicatione noſtri Ordinis non poſſumus.* Hæc Iuſtus Abbas, re, & nomine iuſtus, vt temporalium bonorum cupiditatem à Ciſtercienſi familiæ (alioquin grauiſsima, & religioſiſsima) procul abigeret, ſcripta mandauit. Vtinam religioſi omnes ſibi hæc dicta intelligant, opereque exequantur.

10 Iungam quoque libenter, quę Abbas Ioachim ſuper Apocalypſ. capitulo tertio ad noſtrum protulit intentum. Dum enim grauiſsimæ cuiuſdam religionis interitum lamentatur, in eam cauſam refundit. *Quia dum diuites eſſe voluerunt, ſub regula paupertatis facti ſunt delicati, & teneri; facti ſunt inualidi, & infirmi; facti ſunt, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Nec mirum: Quis enim vnquam inter diuitias, & delitias potuit tenere inopem vitam, & caſtitatis propoſitum vbi multi ſunt cibi? Taceo, quod intra vrbes, & vicos plura monaſteria ſita ſunt, & præſto ſunt, quæ monachorum mentes alliciant, & nonnullis, proh dolor, captiuitatis, oculos eruant, & in Gazam ducant.* Taceo, & ego etiam alia, quæ ibi grauis iſte author, & à pluribus propheta reputatus, non tacet. Eaque ex magna copia diuitiarum religioſis naſci, aſſeuerat.

Abb. Ioac in Apoc.

11 Omnium tamen Patrum clariſsimè huic noſtro inſtituto fauet Seraphicus Doctor S. Bonauentura. Primò enim in quæſtionibus circa regulam cum quęſiſſet. *Cum ſecundum Patres laudentur monachi in caſellis, & in vilibus habitaculis habitaſſe, quid eſt quod altas, & magnas domos erigitis, oratoria ſumptuoſa, & areas latas magno pretio comparatas, cum ſitis pauperes, & mendici, & contemptores mundanorum eſſe debeatis?* Cauſaſque aſsignaſſet, cur religioſis ædificare domos, templa, oratoriaque liceat; ſubiungit tamen. *Non tamen intendo in his excuſare, niſi, quæ valde neceſſaria ſunt: Vbi autem ſuperfluitas, curioſitas, & irreligioſitas, & regulæ, & paupertati noſtræ derogantes eſſent ſtructuræ reprehendo tecum. Quintuplicis enim peccati rei ſunt; qui ſuperflua in ædificijs, & alijs quibus vtimur, procurant,*

S. Bonau. in q. circa reg. q. 6

&

& acquirunt. Primo propter transgressionem professionis, quia pompis renunciantes sæculi, in paupertate, & humilitate vera promiserunt Deo famulari. Secundo propter malum exemplum, quo alij discunt ab eis similia facere; vel scandalizantur, quando vident eos, qui huiusmodi pro Christo spernere deberent, quærere, vel sectari. Tertio propter inquietudinem fratrum, propter huiusmodi ædificia, & procurationes: quia, & deuotio extinguitur, & disciplina religionis plurimum dissipatur. Quarto, propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpe eleemosynæ præcipiuntur, & huiusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, & pasci; dum quod istis datur, eis negatur; quia ad dandum vtrique sæpè deficit dantis largitas, & facultas. Quinto, quia quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem ad nos prius habitam, quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec alijs, quæ facimus, ædificantur; Vnde cũ vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue sit eis dare, & erubescunt negare, &c.

Hæc, & alia tam piè, quam verè, aduersus auaram cupiditatem monachorum, bona temporalia, etiam communia, supra modum augere conantium scripsit. Inferius etiam inter causas difformationis religionum recenset. *Nimias opes, ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi.* In epistola quoque quadam Idē q. 19
ad sui ordinis Prouincialem quendam, sic loquitur. *Quoniam paupertas est nostris religiosis prærogatiua, &c. Sumptuositatem ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare, quod à professionis excellentia vitæ obseruantia non discordet.* Idē in ep.
In alia quoque epistola ad ministros prouinciales, sui Ordinis transmissa, inter causas relaxationis religiosæ, superfluam bonorum temporalium abundantiam, etiam in communitatibus recenset, sic loquitur. *Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos gratuat, & hominum peruersis iudicijs multipliciter nos exponit.* Idē in ep.
Solus hic sanctus Doctor religiosus, religiosorumque superior, causam, quam intendimus, abundè confirmaret; ex coque elicere omnes possumus, quam contrarium sit reformatis religiosis pluribus bonis temporalibus, etiam in communitatibus abundare.

12 Porrò bonorum temporalium abundantiam etiam in cõmunitatibus, & sub prætextu bonorum operum, reformationi religiosæ contraire, ex quadam diuina reuelatione B. Brigitę sæmi-

næ sanctissimæ facta, liquido innotescet, Reuelationis en verba:

S. Brig. l. 6 reuel. c. 99 *Videbatur æthiops teterrimus in quodam monasterio, inter velatas moniales existere, cum nigro velo, & habitu monachali, de quo, admirante sponsa* (scilicet B. Brigitta) *Christus loquebatur dicens. Scriptum est in euangelio meo, quod cauendum est de illis, qui ambulant in vestimento ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Sic nunc dico tibi, quod ille æthiops, qui apparebat inter moniales cum habitu monialium, ipse est Dæmon cupiditatis, qui suadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures diuitias, vt ex illis lautius viuant, & distribuant largas eleemosynas, vti sub tali religiosa specie recedentes a paupertate mihi grata, dissoluantur paulatim, donec præuaricantes regulam, & priorem obseruantiã, perdant animas. Ideo scito, quod nisi vigilanter caueant ab isto lupo cupiditatis, contentando se de his, quæ habent, & nihil plus volendo accrescere in possessionibus, & terrenis diuitijs, inficientur ab eo, etiam sanæ oues istius gregis, damnabiliter, & postea à lupis dilaniabuntur immisericorditer. Magis enim mihi placet, quod in paupertate quieta, & sancta, quam profitebantur viuant, & contententur, quam quod terrena cura regiminis temporalis implicantes se, de distributione eleemosynarum bonorum aliorum, inaniter glorientur.* Hæc Christus; cuius verba si religiosi cætus arrenderent, nequaquam multo conatu in congregandis diuitiis insisterent; cum etiam sub prætextu eleemosynæ elargiendę hoc a Christo prohibitum sit.

Similiter, quod nec sub prætextu Diuini cultus (intellige vani,

S. Brigitta & ambitiosi) superflua bonorũ possessio religiosis expediat, Christus Dominus ad S. Brigittam in sancta Ciuitate Ierusalem orantem *lib. 7. reuelat. cap. 20.* sic affatus, facie manifestauit. *Certissimè sciant dicti fratres, quod tam ipsi, quam cæteri religiosi, quibus Regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra Regulam suam, volentes per hoc me placare, quod inde aliquam partem mihi conferunt, eorum munera abominabilia sunt mihi, & exosa, nec aliqua remuneratione bona sunt digna. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quod paupertatem beatam, quam professi sunt, secundum Regulas suas diligenter obseruent, quam quod totum aurum, & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo sunt, mihi præsentarent.*

13 His iungitur pius auctor Ioannes Rusbrochius: hic enim, vt capite præcedenti vidimus, auaritiam monachorum seuerè satis reprehendit; vt vero non solum de particularibus religiosis, sed

sed de etiam communitatibus ipsis loqui innoteſceret, multa subdit. Inter alia hæc. *Aedes quidem ſacras, & cænobia magnificè extruunt, hominesque rebus locupletes ſibi potius alliciunt, & adiungunt, quam vel ad Deum, vel ad virtutum ſtudia cohortentur.* Et infra. *Licet ſeptem milliaria non niſi vnum complectatur cænobium, quidquid inter ea vndecunque colligitur, id facilè in illius vſus ceſſerit.* His autem verbis manifeſtum eſt damnare hunc ſanctum auctorem, vanam, & auaram cupiditatem monachorum, ſi ſuis cænobiis ſuperflua, & ſuperabundantis bona tẽporalia, non contenti neceſſariis, exquirant. Neque enim cenſendus eſt damnare eos, qui ſibi modeſta clauſtra, ædes, & Eccleſias, etiam eleemoſynis congregatis, extruunt, quia iſti potius laudandi ſunt. Rusbroc. in tabern. fæd. c. 123

14 Omnium tamen clariſſimè grauis author Ioannes Trithemius, vanam, & ſuperfluam bonorum temporalium poſſeſſionem reformationi monaſteriorum contrariam eſſe teſtatur. Homil. 7. ad monachos ſic loquitur. *Poſteaquam cenſus monachi habere cæperunt, & redditus, priſtinam mox ſimplicitatis ſtudia defecerunt, creuitque paulatim [illegible], rerum temporaliũ ſuperbia. Quamdiu fuerunt panperes monachi, Deum in veritate coluerunt; poſtea verò, quam diuitijs abundaſſe cæperunt, ſimplicitatem fugauit duplicitas. Integritas namque obſeruantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium, ſed paulatim diuitiæ monachorum puritatem Ordinis funditus extinxerunt.* Trit. hõ. 7

Ecce clarè inſignis Benedictinus caſum religionis, in magnam copiam bonorum temporalium reſundit; vt vel ſic falſi teſtes inueniantur, qui oppoſitum, verbis, vel factis docuerint. Adhuc clarius ſermone ſecundo ad monachos. Cum enim grauiſſimum ſuum Benedictinum Ordinem adeo illuſtraſſe orbem dixerit, vt quindecim mille, & ſexcentos Diuos cælo dederit, à ſuoque ſplendore tam ſanctum Ordinem paulatim decidiſſe, cauſam aſſignans ſic habet. *Contulit monachis religio ſancta diuitias, donec matrem filia ſuffocauit. Nam vt ſcriptura dicit: omnes, qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes Diaboli, incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, impinguatus, & dilatatus terrenis poſſeſſionibus, dereliquit inſtitutionis primæ ſancta ſtudia; abijt poſt vanitates falſas, quem copia rerum temporalium, diuitijs ſpiritualibus inopem, & miſerum fecit.* Nihil clarius, aut verius expectari poteſt, vt inde eliciatur, ex abundanti copia diuitiarum, Idem

religiones,

religiones, religiosasq; communitates à vero tramite obseruantię deficere.

15 Demum Ioannes Niderus in tractatu de radicibus cur religio perit, & deformatur, vnam ex illis cupiditatem monachorum recensęt, visioneque ex cælo facta in quodam monasterio suum, & nostrum intentum corroborat. Sic verò loquitur.

Io. Nider 2a. 2. c. 19 *Quartadecima radix est diuitiarum importionata augumentatio, per quam videmus hodie grauissimè collapsa in religione monasteria, nec mirum, quia abijcitur paupertatis votum per diuitiarum inordinatum appetitum. Ex radice hac monasterium S. Martini Turonis, in moribus adeo collapsum fuit, tempore magni Caroli, ita vt ibi monachi viuerent nimis deliciosè, induerentur fericis vestibus, & calceamenta aurei coloris. Vnde duo Angeli ingressi sunt dormitorium, & vno digitum extendente, alios monachos indicatos percutiebat. Vigilans hoc videns, fugit, & Angelum ne se occideret, per nomen Dei adiuratum emolliuit, vt*

S. Odo Vincent. *refert. Sanctus Odo Abbas, & Vincentius in speculo historiali, lib. 24.* Hæc iste author, quibus non incongruè fulcitur intentum.

16 Iam ergo, quæ nam sint causæ inspiciamus, quare tam accuratè Patres isti, sanctique Doctores, superfluam, & copiosam bonorum temporalium possessionem, religiosis cætibus interdixerint. In quo ea in primis ratio occurrit; ex eo communitates regularium à superabundanti bonorum possessione abstinere debere; quod ob eam causam, sæculares ægrè id ferentes, inuidia, detractione, odio, murmurationibusque aduersus religiosos insurgant. Cum enim videant ipsos, sub prætextu paupertatis Christianæ, rerumque temporalium contemptus, omnia sibi coaceruatim cumulare, aduersus illos indignantur, & freemunt. Hoc videre licet in deuota illa, piaque disputatione inter mundum, & religionem habita, & S. Bernardini Senensis concionibus tom. 1. inserta. In qua sic loquitur mundus. *Antiquis temporibus regularis vita mirandis virtutibus erat insignita, contenta radicibus, & pilis vestita, sed vt patet omnibus modo non est ita. Degebant in abditis suis primitiui, erant pleni meritis, cordis excessiui: plane nunc aduertis, quod deriuatiui ab eorum semitis stet valde decliui. Monachi antiquitus se legi diuinæ subiecere penitus, sed hos paulatiuè cæcauerunt redditus, & bursæ vicina, & sic æres primitus fracti sunt in fine.* Inferius quoque sic. *Iamiam vellus ouium vertunt in lupinum, cellam in palatium, solem in*

S. Bernardini Sen.

caminum

caminum, olus in conuiuium, melotes in linum: lac in esum carnium, & aquam in vinum mutant, nec officium recitant diuinum. Si prodire videris abbates istorum vadunt cum tot faleris, & turmis æquorum, & cum tot armigeris, & turba cursorũ, Principes hos dixeris, & duces Castrorum, non patres putaueris monasteriorum. Hæc, & alia obiicit mundus contra religionem in dicta disputatione. Huius etiam spiritus fuit quidam hæreticus miles apud Ioannem Lanspergium in dialogo habito cum monacho. Sic enim de similibus religiosis loquebatur iste. *Quod ad paupertatem voluntariam attinet, quam eos colere oporteret, vndequaque corradunt, atque coacernant sibi bona temporaria, vt nedum nullam patiantur inopiam, vel defectum, sed interim etiam multa habeant superflua.* Hæc impius Lutheranus ex ore, menteque sæcularium loquens. Porrò scandalum non solum ab impio Lutherano, sed etiam ab Ecclesiasticis Patribus cognitum esse, Seraphicus D. Bonauentura testatur in epistola ad quendam Prouincialem sui Ordinis, sic loquens. *Cum Euangelici culminis obseruata perfectio, hactenus spectabiles, & amabiles nos mundo reddiderit, omniq; fauore, ac reuerentia dignos: Ecce iam nunc multitudine in procliua tendente, & remissius agentibus his, qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc, Venerandumque collegium deformitate, & onerosum reddunt populis; conuertunt in scandalum, quod cunctis debuerat esse in exemplum:* Et post hæc recensens causas, sic loquitur. *Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos, & graues efficiunt; pro eo videlicet, quod dum paruis nolumus esse contenti, & ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quæritantes, nobilia per incuriam perdimus.* Hæc Bonauentura adeò clarè, vt solus sufficiat, pro re quam intendimus. Lãsperg. in dial. Idem

17 Nec vnum omittam, quod nec Patres omiserunt silentio; scilicet odium hoc, & inuidiam sæcularium, aduersus prædiuites, copiososque cætus religionum, eo magis augeri, si forte in ipsis eernantur, qui in sæculo, aut tanta copia non potirentur bonorum, aut magna potius inopia laborarent. Etenim si aduersus omnes monachos, etiam qui in sæculo diuites, magnates, potentesque fuerunt, inuidia, odioque, sæculares, cum eos in religiosis cætibus plus æquo abundare cernunt, exardescunt; *Quid censendum* (loquitur Cassianus) *de his, qui nunquam possessas pecunias cupiunt congregare;* Certè incomparabile ex hoc gigni- Cass. l. 7. c. 25

tur

caminum, olus in conuiuium, melotes in linum: lac in esum carnium, & aquam in vinum mutant, nec officium recitant diuinum. Si prodire videris abbates istorum vadunt cum tot faleris, & turmis æquorum, & cum tot armigeris, & turba cursorũ, Principes hos dixeris, & duces Castrorum, non patres putaueris monasterioriorum. Hæc, & alia obiicit mundus contra religionem in dicta disputatione. Huius etiam spiritus fuit quidam hæreticus miles apud Ioannem Lanspergium in dialogo habito cum monacho. Sic enim de similibus religiosis loquebatur iste. *Quod ad paupertatem voluntariam attinet, quam eos colere oporteret, vndequaque corradunt, atque coaceruant sibi bona temporaria, vt nedum nullam patiantur inopiam, vel defectum, sed interim etiam multa habeant superflua.* Hæc impius Lutheranus ex ore, menteque sæcularium loquens. Porrò scandalum non solum ab impio Lutherano, sed etiam ab Ecclesiasticis Patribus cognitum esse, Seraphicus D. Bonauentura testatur in epistola ad quendam Prouincialem sui Ordinis, sic loquens. *Cum Euangelici culminis obseruata perfectio, hactenus spectabiles, & amabiles nos mundo reddiderit, omnique fauore, ac reuerentia dignos: Ecce iam nunc multitudine in procliua tendente, & remissius agentibus his, qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc, Venerandumque collegium deformicabile, & onerosum reddunt populis; conuertunt in scandalum, quod cunctis debuerat esse in exemplum:* Et post hæc recensens causas, sic loquitur, *Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos, & graues efficiunt; pro eo videlicet, quod dum paruis nolumus esse contenti, & ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quæritantes, nobilia per incuriam perdimus.* Hæc Bonauentura adeò clarè, vt solus sufficiat, pro re quam intendimus.

Lãsperg. in dial.

Idem

17 Nec vnum omittam, quod nec Patres omiserunt silentio; scilicet odium hoc, & inuidiam sæcularium, aduersus prædiuites, copiososque cætus religionum, eo magis augeri, si forte in ipsis eernantur, qui in sæculo, aut tanta copia non potirentur bonorum, aut magna potius inopia laborarent. Etenim si aduersus omnes monachos, etiam qui in sæculo diuites, magnates, potentesque fuerunt, inuidia, odioque, sæculares, cum eos in religiosis cætibus plus æquo abundare cernunt, exardescunt; *Quid censendum* (loquitur Cassianus) *de his, qui nunquam possessas pecunias cupiunt congregare;* Certè incomparabile ex hoc gigni-

Cass. l. 7. c. 25

tur

petere quisquam, aut non obesse diuitias religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adiumenta, onera non subsidia. Possessione enim, & usu opum non suffulcitur religio, sed euertitur, secundum illud, quod Dominus ipse dicit: Sollicitudo istius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei. Hinc etiam præclarissima Virgo S. Clara Seraphici Ordinis, & totius Ecclesiæ lumen solita dicere erat monialibus suis. *Tunc Collegium firmum, ac stabile futurum, si propugnaculis, ac mœnibus paupertatis muniretur.* Haud dubiè damnans vulgarium opinionem, qui non, nisi opulentum cœnobium stabile, ac firmum credit. Rationem vero tradit Dionysius Carthusiensis sermone sexto de Dominica decimaquinta post Trinitatem, dicens: *Iusto Dei moderante, ac permittente iudicio, magna multoties damna religiosis contingunt, à quibus, si ab omni auaritia se arcerent: Deus bonus, Iustus, & sapiens eos vtique præseruaret. Et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exemplares, bonorabiles, & præclari, nec dubium quin, & plura in eleemosynas eis darentur, nunc autem contemnuntur, & blasphemantur à multis.* Ad idem Sanctus Pater Ignatius in suis constitutionibus: *Paupertas* (inquit) *vt murus religionis firmus diligenda, & in sua puritate conseruanda est.* Indicans sane, quòd è contra, diuitiarum opulentia, auaraque monachorum cupiditas, etiam pro communitatibus ampliandis, religionem euertat.

Timot. l. 2. in 5 to. bibliot.

S. Antonius.

Diõ. Cart.

S. Ignatius. p. const. 2.

19 Hoc etiam, quod dicimus de euersione temporali cœnobiorum ex inordinata cupiditate regularium orta, exemplo quodam, quòd ex Cyrillo refert Marcus Marulus in suo opusculo de exemplis, placuit confirmare per eius verba. *Fuit monasterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum fere fœminarum, sanctarum vtique, si non auaritiæ fœditate, sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non offerret. Cuidam ex ijs, cuius Deo deuotus animus, à tam prophana negociatione abhorrebat, apparuit in somnis D. Hieronymus iubens, vt cæteris pergeret nunciare, nisi ab ea exactione desliterint, vltionem à Deo paratam, iam ipsarum capitibus imminere. Cumque hæc in conuentu omnium narrata essent, ridiculè exceptæ sunt, exilimantibus deliramentum esse mulierculæ. Altera deinceps, item tertia nocte, eadem visa rursum replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecere, Deo pro illa prouidente, nescilicet sicut Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impijs.*

Marul. in exemplis. l. 1. c. 7.

cur odium erga religionem, inuidia contra tam ſanctum ſtatum, grauiſque murmuratio ſæcularium aduerſus religioſos. Hinc de illis quæritur D. Hieronymus. *Quod in illis res familiaris magis aucta, quam diminuta.* Hinc optimè Caſianus. *Si Paupertate præuentus, nihil quod dimitteres habuiſti, multo magis adquirere non debes, quod antea non poſſediſti.* Ac ſi clarius diceret, vereris, ò monache, tot diuitiis in conuentu abundare, cum in ſæculo vix pane ſuſtentari poſsis. Alibi quoque, pudendum dicit, aliquos ſic abrenunciaſſe ſæculo, vt tamen. *Acquirere pecunias geſtiant, quas nec antea poſſederunt.* Huc iam congruet illud Bernardi. *Ita ne mundum ſibi, & ſe mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in ſuo vico, vel oppido cogniti fuerunt, modo Regum notitias, Principumque familiaritates aſſecuti ſunt?* Rurſuſque. *Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua, non niſi contemptibiles eſſe potuerunt.* Alibi quoque, tertium genus auaritiæ monachorum, quam peſtem ibi vocat, in eo poſitam eſſe dicit. *Quod ea volumus in monaſterio poſſidere, quæ ſi eſſemus in ſæculo, minime habere valeremus.* De his etiam Hugo Victorinus. *Qui ante conuerſionem lectulum proprium nuſquam habebant, nunc ſi forte voluntas eis fuerit eundi aliquo, ornamenta lecſuli ſecum portant.* Ecce religioſi, qualiter ne in hanc ſæcularium contumeliam cadatis, neceſſe vobis ſit ſuperflua, a veſtris communitatibus etiam, abdicare.

D. Hier. ep. 4. Caſſ. vt ſu. c. 27.

Id collat. 4 c. 20. D Bern. hom. 4 ſu. permiſſus eſt.

Idem de ord. vitæ. Hugo. 2. de clauſt. c. 18.

18 Præterea ſecundo, ex hac ſuperflua temporalium bonorum copia in communitatibus regularium ortum ducet, vt illæ, ~~quo magis illis coaceruandus~~ ſtudent, eo magis in ruinam temporalem tendant, & in miſerum caſum procliuiores ſint. Hoc quidem experientia teſtis in ~~Eccleſia religionibus~~ docuit, de quo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Antiquitus etiam monachi peruerſi quidam, quos Aegyptiorum lingua Sarabaytas, ſiue Venuytas appellatos fuiſſe, teſtatur D. Iſidorus, iam omnino exinaniti deſecerunt; eos autem cupidos, aggregatoreſque pecuniarum fuiſſe, tradit idem Iſidorus affirmans; *Ab Anania, & Saphira in exordio eccleſiæ pullulaſſe, & certatim in operibus laboraſſe, non vt indigentibus diſtribuerent, ſed vt adquirerent pecunias, quas reconderent.* Vnde fas eſt ſuſpicari, propter hoc vitium extinctos, & exinanitos fuiſſe, vt innoteſcat inde bonorum temporalium copiam ſuperfluam religiones euertere. Vnde merito Thimotheus inter bibliothecarios numeratus lib. 2. ad Eccleſiam catholicam, ſic monet de præſenti cauſa. *Non eſt itaque, quod com-*

Iſid. 2. de offic.

petere

petere quisquam, aut non obesse diuitias religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adiumenta, onera non subsidia. Possessione enim, & usu opum non suffulcitur religio, sed euertitur, secundum illud, quod Dominus ipse dicit: Sollicitudo istius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei. Hinc etiam præclarissima Virgo S. Clara Seraphici Ordinis, & totius Ecclesiæ lumen solita dicere erat monialibus suis. *Tunc Collegium firmum, ac stabile futurum, si propugnaculis, ac mœnibus paupertatis muniretur.* Haud dubiè damnans vulgarium opinionem, qui non, nisi opulentum cœnobium stabile, ac firmum credit. Rationem vero tradit Dionysius Carthusiensis sermone sexto de Dominica decimaquinta post Trinitatem, dicens: *Iusto Dei moderante, ac permittente iudicio, magna multoties damna religiosis contingunt, à quibus, si ab omni auaritia se arcerent: Deus bonus, Iustus, & sapiens eos vtique præseruaret. Et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exemplares, honorabiles, & præclari, nec dubium quin, & plura in eleemosynas eis darentur, nunc autem contemnuntur, & blasphemantur à multis.* Ad idem Sanctus Pater Ignatius in suis constitutionibus: *Paupertas* (inquit) *vt murus religionis firmus diligenda, & in sua puritate conseruanda est.* Indicans sane, quòd è contra, diuitiarum opulentia, anaraque monachorum cupiditas, etiam pro communitatibus ampliandis, religionem euertat.

Timot. l. 2. in 5. to. bibliot.

S. Antoninus.

Diõ. Cart.

S. Ignatius p. const. c. 1

19 Hoc etiam, quod dicimus de euersione temporali cœnobiorum ex inordinata cupiditate regularium orta, exemplo quodam, quòd ex Cyrillo refert Marcus Marulus in suo opusculo de exemplis, placuit confirmare per eius verba. *Fuit monasterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum fere fœminarum, sanctarum vtique, si non auaritiæ fraditare, sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non offerret. Cuidam ex ijs, cuius Deo deuotus animus, à tam prophana negociatione abhorrebat, apparuit in somnis D. Hieronymus iubens, vt cæteris pergeret nunciare, nisi ab ea exactione desliterint, vltionem à Deo paratam, iam ipsarum capitibus imminere. Cumque hæc in conuentu omnium narrata essent, ridiculè exceptæ sunt, existimantibus deliramentum esse mulierculæ. Altera deinceps, item tertia nocte, eadem visa rursum replicantem, tam odio habitam probris agitantes eiecere, Deo pro illa prouidente, nescilicet sicut Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impijs.*

Marul. in exemplis. l. 1. c. 7.

cur odium erga religionem, inuidia contra tam sanctum statum, grauisque murmuratio sæcularium aduersus religiosos. Hinc de illis quæritur D. Hieronymus. *Quod in illis res familiaris magis aucta, quam diminuta.* Hinc optimè Cassianus. *Si Paupertate præuentus, nihil quod dimitteres habuisti, multo magis adquirere non debes, quod antea non possedisti.* Ac si clarius diceret, verearis, ò monache, tot diuitiis in conuentu abundare, cum in sæculo vix pane sustentari possis. Alibi quoque, pudendum dicit, aliquos sic abrenunciasse sæculo, vt tamen. *Acquirere pecunias gestiant, quas nec antea possederunt.* Huc iam congruet illud Bernardi. *Ita ne mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerunt, modo Regum notitias, Principumque familiaritates assecuti sunt?* Rursusque. *Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua, non nisi contemptibiles esse potuerunt.* Alibi quoque, tertium genus auaritiæ monachorum, quam pestem ibi vocat, in eo positam esse dicit. *Quod ea volumus in monasterio possidere, quæ si essemus in sæculo, minime habere valeremus.* De his etiam Hugo Victorinus. *Qui ante conuersionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi aliquo, ornamenta lecticuli secum portant.* Ecce religiosi, qualiter ne in hanc sæcularium contumeliam cadatis, necesse vobis sit superflua, a vestris communitatibus etiam, abdicare.

D. Hier. ep. 4. Cass. vt sup. c. 27.

Id constat. 4. c. 20. D. Bern. hom. 4 su. permissus est.

Idem de ord. vitæ. Hugo. 2. de claust. c. 18.

18 Præterea secundo, ex hac superflua temporalium bonorum copia in communitatibus regularium ortum ducet, vt illæ, ~~quo magis illis coaceruandus~~ studeant, eo magis in ruinam temporalem tendant, & in miserum casum procliuiores sint. Hoc quidem experientia testis in ~~Ecclesiæ religionibus~~ docuit, de quo Historiæ Ecclesiasticæ. Antiquitus etiam monachi peruersi quidam, quos Aegyptiorum lingua Sarabaytas, siue Venuytas appellatos fuisse, testatur D. Isidorus, iam omnino exinaniti defecerunt; eos autem cupidos, aggregatoresque pecuniarum fuisse, tradit idem Isidorus affirmans; *Ab Anania, & Saphira in exordio ecclesiæ pullulasse, & certatim in operibus laborasse, non vt indigentibus distribuerent, sed vt adquirerent pecunias, quas reconderent.* Vnde fas est suspicari, propter hoc vitium extinctos, & exinanitos fuisse, vt innotescat inde bonorum temporalium copiam superfluam religiones euertere. Vnde merito Thimotheus inter bibliothecarios numeratus lib. 2. ad Ecclesiam catholicam, sic monet de præsenti causa. *Non est itaque, quod com-*

Isid. 2. de offic.

petere

petere quisquam, aut non obesse diuitias religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adiumenta, onera non subsidia. Possessione enim, & vsu opum non suffulcitur religio, sed euertitur, secundum illud, quod Dominus ipse dicit: Sollicitudo istius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei. Hinc etiam præclarissima Virgo S. Clara Seraphici Ordinis, & totius Ecclesiæ lumen solita dicere erat monialibus suis. *Tunc Collegium firmum, ac stabile futurum, si propugnaculis, ac mœnibus paupertatis muniretur.* Haud dubiè damnans vulgarium opinionem, qui non, nisi opulentum cœnobium stabile, ac firmum credit. Rationem vero tradit Dionysius Carthusiensis sermone sexto de Dominica decimaquinta post Trinitatem, dicens: *Iusto Dei moderante, ac permittente iudicio, magna multoties damna religiosis contingunt, à quibus, si ab omni auaritia se arcerent: Deus bonus, Iustus, & sapiens eos vtique præseruaret. Et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exemplares, honorabiles, & præclari, nec dubium quin, & plura in elemosynas eis darentur, nunc autem contemnuntur, & blasphemantur à multis.* Ad idem Sanctus Pater Ignatius in suis constitutionibus: *Paupertas* (inquit) *vt murus religionis firmus diligenda, & in sua puritate conseruanda est.* Indicans sane, quòd è contra, diuitiarum opulentia, auaraque monachorum cupiditas, etiam pro communitatibus ampliandis, religionem euertat.

Timot. l. 2. in 5. to. bibliot.

S. Antonius.

Diõ. Cart.

s. Ignatius. p. const. c. 1.

19 Hoc etiam, quod dicimus de euersione temporali cœnobiorum ex inordinata cupiditate regularium orta, exemplo quodam, quòd ex Cyrillo refert Marcus Marulus in suo opusculo de exemplis, placuit confirmare per eius verba. *Fuit monasterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum fere fœminarum, sanctarum vtique, si non auaritiæ fœditate, sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non offerret. Cuidam ex ijs, cuius Deo deuotus animus, à tam prophana negociatione abhorrebat, apparuit in somnis D. Hieronymus iubens, vt cæteris pergeret nunciare, nisi ab ea exactione desliterint, vltionem à Deo paratam, iam ipsarum capitibus imminere. Cumque hæc in conuentu omnium narrata essent, ridiculè exceptasunt, exilimantibus deliramentum esse mulierculæ. Altera deinceps, item tertia nocte, eadem visa rursum replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecere, Deo pro illa prouidente, nescilicet sicut Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impijs.*

Marul. in exemplis. l. 1. c. 7.

Vix etenim mulier septa monasterij egressa fuerat, cum monasterium ipsum terribili fragore funditus concussum, reliquas oppressit ruina, vt ex tanto numero, nec vna quidem saltem, post casum illum, sit inuenta; Itaque concussis mirabiliter artubus, vna omnes tamparuo temporis momento extinctæ tunc demum auaritiæ, cum vitæ finem fecere. Hæc Marulus. Casus iste suadet satis intentum, nimisque exemplariter monet, qualiter auara cupiditas regularium, ipsorum cænobia sepius euertat.

20 Nec omitti debet inconueniens aliud, quod ex magna temporalium bonorum copia communitatis religiosorum sæpius contingere queat. Quod scilicet, dum diuitiarum, pecuniarumque opulentia abundant, sollicitè nimis, magna, sumptuosaque ædificia, amplissimas domos, magnifica claustra (ne dicam Palatia) amplissimasque cellas, sibi ad habitandum, viuendumque construant. Et si enim religiosis cunctis jure, meritoque concedatur, vt sibi honestas domos, honesta claustra, honestasque cellas ædificent, istorum tamen superfluam ambitionem, sumptuositatem, & opulentiam Patres merito, *Iureque condemnant.* Ex quibus Sanctus Ephrem Syrus sic istorum sortem luget.

S. Ephrem adueʃus vitioſe viuentes. Euſeb. vt ſupra.

Reliquimus domos, & earum curæ, atque sollicitudine abſumimur. Eusebius etiam, vt *vidimus*, iam dixit. *Sunt nonnulli, qui totum ſuum fructum exiſtimant, Eccleſias, & monaſteria, miro modo, & opere expauperum mercede ædificare: in quibus tanta viget cupiditas, vt terram ſibi, & omnia deficere putent.* Quibus verbis clare satis ambitiosam sumptuositatem, ex pauperū mercede damnat. D. Gregorius etiam iam adductus, merito huc

D. Greg. vt ſup. D. Bern. vt ſupra

inſeritur, dum dixit. *Monachus, qui in terra poſſeſſiones quærit, monachus non eſt.* Ex Diuo Bernardo iam etiam constat in hoc capite ex epistola ad Guillermum, & ex sermone ad fratres de monte Dei, quam praue de ambitiosa cellarum ædificatione sentiat. Alibi quoque de talibus regularibus plorat, quod, *cum magna cura contendant erigere muros, & negligere mores.* Hugo quoque celebris author sic loquitur ad intentum. *Aedificia fratrum non ſuperflua ſint, ſed humilia, non voluptuoſa, ſed honeſta, vtilis eſt lapis in ſtructura, ſed quid prodeſt in lapide cælatura?*

Idē ho. 4 ſupermiſ.

Hugo de clauſt. l. 2. c. 4

Et de monachis ad oppositum conantibus, sic loquitur. *Monachi ſibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri poſſit, vtinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur.* Præterea, quæ pius Rusbrochius, Iustusque Abbas Cistercienſis de hoc dicant, ex Superioribus innotescunt. Optimè tamen

Ibi, hr 1 c. 2

Seraphicus

Seraphicus sanctus Bonauentura Epistola sæpius adducta ad quẽdam sui ordinis Prouinciale, fauet ad intentum. Inter alia etenim, quæ illi ad obseruantiam Ordinis in suo nitore conseruandam præcipit, illud est, vt sumptuositatem ædificiorum, à suis religiosis studeat amputare. *Quoniam* (inquit) *paupertas est nostræ religionis prærogatiua sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda poreis viliter exponatur, discursuum causam, & quæsiuum, sumptuositatem ædificiorum, &c. Sic studeas amputare, quod à professionis excellentia vitæ obseruantia non discordet.* Vnde tãdem pulchrè satis Venerabilis Thomas de Campis, qualiter religiosus circa huiusmodi sumptuosa ædificia monasteriorum, se gerere debeat, sic monet. *Non optes, vt monasterium tuum abundet diuitijs, & altis ædificijs, sed vt floreant omnes fratres bonis moribus, & virtutibus Sanctis. Et si alicubi pulchra, & sumptuosa videas, excusare potes, & tollerare pro honore Dei, & reuerentia loci, sed non debes similia affectare.* Optimum sanè consilium, & paupertati religiosę, euangelicęque perfectioni, consentaneum satis.

D. Bonau. in epist.

Thom. de Cãpis ep. quadam:

21 Placuit ad idem intentum, quę Venerabilis Pater Ioannes Soreth nostræ religionis quondam Generalis, vitæque religiosissimæ exemplar, regulam nostram Carmeliticam exponens dixit, huc afferre. Igitur in expositione parenethica Regulæ expendit caput illud ipsius. *Iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas*, dicens, *non dixit palatia, quæ sunt ampla domus, in quibus vagari possint, sed cellulas diminutiuum à cella, quasi diceret habeant singuli paruas cellulas.* Rursus quoque dum illud, *oratorium prout commodius fieri poterit, &c.* Sic dicit. *Non dixit templum, quod est amplum tectum, sed oratorium, quia religiosa loca decet esse moderata.* Infra. *Cur pauperes, & mendici quærimus oratorium immensas altitudines, immoderatas longitudines, superuacuas latitudines, sumptuosas depositiones, curiosas depictiones habens, quæ dum in se orantium retorquent aspectum, impediunt mentis affectum. Alia ratione hoc faciunt sæculares, qui sapientibus, & insipientibus sunt debitores, & carnalis populi rectores. Hi enim hebetis plebis, cuius non valent spiritualibus documentis excitare deuotionem, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero, qui de paupere exiuimus, qui mundi quæque speciosa, ac prætiosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchra, lucentia, canore mulcentia, suaue olentia, dulce sapientia, tactu placentia,*

Io. Soreth in expositione regulæ Carmelit.

cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus, vt fera cora, vt Christum lucrifaciamus, quorum quæso, in his deuotionem intendimus? quem quæso ex his fructum inquirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblationem? & vt aptius loquar, an totum facit hoc auaritia: & non quærimus fructum, sed donum. Sed quæris quomodo? miro inquam modo, tali quadam arte dispergitur res, vt multiplicetur, expenditur, vt augeatur, & sic effusio copiam parit: ipso quippe sumptuosarum rerum visu, sed & mirandarum vanitatum accenduntur magis ad offerendum, quam adorandum. Opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia vbi amplius copia cernitur, ibi offertur libentius. Et inferius. *Quid putas in his omnibus quæritur. An pœnitentium compunctio? an intuentium admiratio? Quæritur nitor in parietibus, & non decor veritatis in Spiritibus.* Hæc, & alia magnus hic Pater nostræ religionis antistes, quæ omitti non potuerunt, quia vtiliter satis proposito nostro deseruiunt.

Idem.

Maximè ad intentum deseruit cœlestis quadam reuelatio, in qua de sacrorum Templorum ædificiis Beatissima Dei genitrix ad Sanctam Brigittam *lib. 3. reuelat. cap. 18.* sic habet. *Quando Ecclesia in tantum lata est, quod capit ingredientes, quando muri tantum in altum excreuerint, quod non coarctant introeuntes, quando murorum spissitudo tam fortis est, quod non à quolibet vento dissoluatur, quando tectura tam firmiter compacta est, quod non stillat, sufficit eis ædificasse. Nam placet Deo magis cor humile in humili Eccl. quàm alti muri in quibus corpora sunt intra sed corda adextra. Propterea nō habēt necesse arcas auro, & argēto implere propter ædificia, quia nō profuit Salomoni ædificasse tā sumptuosa ædificia, ex quo neglexit eum diligere, propter quem ædificabantur.* His autem, & si magnificas, & illustres Deo ædes cōsecrari non prohibeatur, Religiosis tamen ambitiosa ædificia, & à sancta simplicitate aliena non conuenire, proculdubio monemur.

S Brigitta

22 Tertio quoque magnum aliud incommodum ex nimia honorum, superfluaque possessione, monasteriis ipsis quandoque proueniet, vt scilicet tam communitates ipsæ, quam priuati religiosi, negociationibus, sollicitudinibus, litigiis, aliisque sæcularibus curis plus æquo distendantur. Quequidem maximopere pacem religiosam, vitamque regularem perturbare Patres docent. Ex quibus Basilius sic. *Earum rerum, quæ sunt cum materia coniunctæ sollicitudo, procuratioque, magnopere mentē, atq; animum distrahunt.* Alibi quoque sic. *Hoc vno pauperes à diuitibus differimus, quod securi sumus, atque eos vigilantes, nos dormientes*

D. Basil. ser. deinst. mon. Id. in pl. 14

dormientes videmus. Præterea in magna quiete agentes eos in magna rerũ perturbatione constitutos, aspicimus. Hæc Basil. ex quibus elicitur, cœtus, cõuentusq; regulariũ, si diuitiarũ copiã affectẽt necessario *in magna rerũ perturbatione constitutos* esse quod testatur Basil. D. etiã Bernardus pari modo sentit, & loquitur ad intentum dicens. *Video alios, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotijs, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores. Sed, & contra Imperatoris sui edictum, & concupiscere aliena, & sua cum lite repetere, non audientes Apostolum ex Imperio Regis tubicinantem, hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis.* Ecce quam prauè de religiosorum cupidis negociationibus sentiat Bernardus. Forsan ex ipso mutuauit Eugenius Papa dicens. *Nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio nefandissimo ausu præsumat exire, nec quibuscumque negocijs se implicare.* Nec mirum hoc apparebit, qui religiosi status institutum perspexerit, quod non ad litigia, sollicitudines, inutilesque negociationes, ordinatur, sed (loquitur Laurentius Iustinianus) *Vt dimissi commodius valeant vacare obsequijs, interesse laudibus, orationibus insistare, curis sæcularibus omnino semoti.* Pulchrè tandem Cardinalis Petrus Damianus; postquam, vt vidimus, cupiditatem religiosorum damnauit, pro damnationis causa sollicitudines istas, curasque sæculares proposuit dicens. *Hæc facientes, amarissimis nos terræ concupiscentiæ motibus laceratis, non solum vobis, sed & posteris, dulcitudinem quietis adimitis, curarum sæcularium vos laqueis innodatis, & quod detrimentum est, pugnandi semper cũ sæcularibus, vel potius materiam seruiendi constituitis, non considerantes illud egregij prædicatoris, quod veris abrenunciatoribus ait. Habentes alimenta, & ex quibus tegamur, ijs contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, & tentationes, ac desideria multa inutilia, quæ mergunt hominem, in interitum, & perditionem.* Hæc Damianus, ex quibus, & adductis liquescit sane, ex eo magna diuitiarum copiam etiam religiosis ipsis communitatibus nociuam esse, quod inde pluribus litigijs, negociationibus, sollicitudinibus, aliisque sæcularibus curis, plus æquo intermisceri fere necessarium sit.

Idem in ps. 14.

1. Cor. 6.

Eugenius

Laur. Iust. l. de obe. c. 19

Pet. Dam. l. 6. ep. 32.

23 Caueant igitur Communitates omnes Regularium à tanta labe, tantoque vitio, quod, & in sæcularibus odium, & in ipsis religionibus perditionis causas gignit. Studeant paupertati religiosæ, quæ anima est totius perfectionis. Parcè, & limitatè bona temporaria

temporaria pro religiosorum necessitatibus prouideant; superfluâ tamen, & superfluentem ipsorum bonorum copiam penitus fugiant. Sciant præterea, cupiditatis vitium semel admissum, difficillimè amputari. Est enim vitium hoc ex illis (teste Cassiano) *Quæ vix ad sanitatis consortium remedia peruenire, siue quod a Domino non merentur curari celeri medicina, qui ab his sauciati sunt, vel certè, quod male fundati virtutum structuram, & perfectionis culmē suscipere indigni sunt.* Communitatem quoque religiosam, non ex eo fælicem putent monachi, quod temporalibus diuitiis abundet, sed ex eo potius, quod in paupertate fundata, ad frugalem sufficientiam necessaria possideat. Sic refert Plutarchus in conuiuio septem sapientum eos disputasse. *Quis populus, quanamue respublica foret optima, & felicissima?*

Cass. l. 7. de philar. c. 5

Plutarch. Ad quod bene Thales. *Vbi neque diuites nimis, neque pauperes, sunt ciues.* Optimè quoq; Pittacus ad simile quæsitum respondit. *In qua, neque requiruntur superuacanea, neque desiderantur necessaria.* Paucis contenti vitam suam cætus religiosi agant, si enim paucioribus contenti viuant, vitam angelicam ducent.

Chrisost. hom. 79. in Ioañē. *Nam* (inquit Chrysostomus) *in hoc ab Angelis differimus, quod ipsi non egent, vt nos? Igitur quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus, quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus.* E contra vero, rebus temporalibus plus iusto inhiantes monachi, male sentire de cælesti vita comprobantur. Hinc Ephrem Syrus ad eosdem. *Bene sentite de Regno, ac Paradiso, & mox res terrenas contemnetis.* Congruit bene Laurentius Iustinianus, sic loquens. *Quid oro, locupletius, quam nihil habere, & omnia possidere, carere rebus superfluis, & vti necessarijs; proprium abnegare patrimonium, & Christi esse hæredem.* Quod quidem assequentur Communitates omnes, si ad naturam, limitatamque indigentiam vixerint, nihil superfluum admittentes. Audiant quoque ipsummet Iustinianū sic monentem monachos de paupertate promissa seruanda.

S. Ephrē parænes 50 Lau. Iust. de obed. c 18

Abijcite quæso, tenebrarum opera quamdiu dies est, deponite onus grauissimum proprietatis. Spopondistis paupertatem, exoluite: sufficiat vobis habere ad necessitatem indumenta, & victus. Fiduciam vestram erigite in eo, qui pollicitus est dicens: nolite sollicitiæ esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Scit enim Pater vester, quia ijs omnibus indigetis. Primum igitur quærite regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis. Nam quemadmodum est liberalis promissor, aque

Idem ibid c. 19

Math. 6.

aque est fidelis redditor. Fiet iuxta ipsius sponsionem, si tamen verbis illius adhibeatis fidem. Tandem, quæ Ethnicus, & gentilis Seneca, Christianè certe quondam dixit, communitatibus religiosis, regularibusque cunctis libens dicam. *Indixistis pecuniæ odium, hoc professi estis, hanc personam induistis, agenda est. Iniquissimum enim est, vos pecuniam sub gloria egestatis adquirere.* Hæc Seneca. Seneca l. 2. de be. c. 15

Sed pro paupertatis Religiosæ commendatione, infamisque proprietatis abominatione exclamantem piissimam Virginem Magdalenam de Pazzi in extasi quadam, quam anno 1585. in quinta die Octauæ Pentecostes habuit, prout ex ipsius vita, c. 122. elicitur, sic audiamus. *Felicissimi quelli, che puramente vanno seguitando te senza possedere cosa alcuna transitoria, sendo che haueranno per premio te, che sei ricchezza d'ogni ricchezza, tesoro d'ogni tesoro, e la ricchezza infinita del Paradiso. Ma chi comprerà il Paradiso? Oue si troverà danaro, che questo agguagli? Che si può dare in prezzo di bene sigrãde? O chi lo crederebbe? il nulla, il nulla. Per l'amor di Dio non possedere nulla, non bramar nulla di questo mondo, non volere altro, che Dio.* Dominus pars hæreditatis meæ. *Dico di più: Anzi non voler Dio, se non per Dio: ò altissima, e ricchissima pouertà. Di questa sorte hanno prezzo in mano da comprar' il Cielo quelli, che son poueri: perche questi tesori si comprano con vna somma pouertà; e quanto più l'anima è pouera, tanto più Iddio infonde in lei i suoi tesori, con quali può comprare il Paradiso. Chi non amerà la pouertà, poiche è cagione, che Dio ci dia tanti gran doni?* Beati pauperes spiritu, &c. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiscit, & deficit anima mea. *Dico del desiderio della possessione del Cielo, ò del desiderio della possessione della pouertà tua, che mi vale quanto il Cielo, poiche con quella vuoi, che mi compri il Cielo, & è il prezzo hastieuole per così gran Regno.* Et vltra. *O felici Religiosi, che sono tanto honorati da Dio, che la lor parte vuol essere egli stesso, poiche per amor suo con voto solenne hanno lasciato tutte le altre cose: ò ricca pouertà, che ne fai possessore del sommo bene. Ma per il contrario, guai à quei Religiosi, che con atto proprietario si ritengono alcuna cosa, trafficando con quella, come chi nõ hà tale obligo: obimè, che in tal modo vengono à rifiutare la lor parte, che è Dio, volendo, e tenendo altre cose fuori di lui, contro alle promesse fattegli. Ma Dio voglia, che poi alla morte, quando si verrà alla discussione non siano rifiutati dallo stesso Iddio, e separati* B Magd. de Pazzi.

ratida lui sommo bene. O poueri Religiosi tanto ciechi dello stato loro. O semplicità, ò pouertà tanta scaduta nelle Religioni, e tanto poco conosciuta, & osseruata da chi ti professa. Dio sà se meriterà scusa tal cecità in quella discussione diuina, doue non solo i difetti, ma ancora molte cose, che noi stimiamo virtù, appariranno difetti, e vitij. Spiritum efflantia hæc prætermittenda non erant in præsenti.

Iuniorum, & tyronum recta educatio religiones reformat, educatio autem praua destruit.

CAP. XVIII.

1 QVæ quondam Aristoteles in suis Politicis scripta reliquit, videlicet. *Iuuentutis disciplina neglecta facit magnum Reipublicæ detrimentum:* Mihi in mentem attulere, præcipuam causam, quare si Religionum aliquæ ab antiquo forsan feruore defecerint, eam fore, quod in eis iuniores, tyrones, seu nouitii, non rectè disciplina regulari in primoribus annis imbuantur. *Puer enim* (inquit Bonauentura) *qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam religionem.* Rursusque. *Peruersus, & insolens, in onus religionis, & dissolutionem admittitur.* E contra vero sanctæ religiones, quæ in suo antiquo nitore, splendoreq; persistunt: Ideo esse, quia adolescentum animos regulari disciplina educandos, & informandos curant. Teste enim Diotogene il libro de sanctitate. *Adolescentium educatio, fundamentum est totius Reipublicæ.* Hanc ob causam caput hoc, opusculi nostri vltimum, eo tendet, vt reformationem religionum in eo maxime fiam esse probemus, quod nouitij, & alij iuuenes recte instituantur, sicut, & difformationem, ex eo fonte manare, quod parua, aut nulla cura circa iuuenes iustruendos adhibeatur.

Aristot. 8 polit. c. 1

Bonau. in infor. no. p. 2 c. 1

Diotogen

2 Id quidem Patres non obscure indicarunt, cum tam solerti cura, & sollecitudine libros speciales, singularesue tractatus, de nouitiorum instructione scripserunt. S. Ephrem Syrus multus in hac parte extitit, adhortationes enim, & paræneses plures ad nouitios monachos, de eorum instructione scripsit. S. Basilius

S. Ephrem

S. Basilius

Ephremo

Ephremo coëtaneus, non ſolum de inſtitutionibus monachorum ſermones, conſtitutiones, monaſticas regulas, fuſius, & breuius diſputatus, ſed, & admonitiones ad iuniores monachos tradidit. Ioannes etiam Caſſianus antiquiſſimus author, & monachus, de inſtitutis renunciantium librũ ad monachos edidit, qui eſt quartus inter ipſius opera. Iunge S. Linum Abbatem, qui prout in 5. tom. Bibliothec. habetur, inſtitutionem vnam ad monachos, alteram ad Iuniores monachos compoſuit. Eſayas Abbas author inter Bibliothecę Patres relatus, ad fratres Iuniores inſtitutionẽ fecit. Ad hæc etiam Hugo Victorinus celebris author, de inſtitutione nouitiorum tractatum edidit. Sanctus quoque, & pius author Dionyſius Carthuſianus dialogum, ſeu exhortatorium nouitiorum innata ſibi pietate compoſuit. Venerabilis quoq; Thomæ de Campis dialogus nouitiorum, manuale Iuuenum, & plures ſermones ad nouitios de eorum inſtitutione extant. Ex quibus, & aliis Patribus floſculos quoſdam, inſtructioni tyronum, ſeu Iuniorum proficuos, eorumque rectæ educationi deſeruientes, more noſtro carpemus.

Caſſianus.

S. Linus.

Eſai. Abb.

Hug. Vict.

Dio. Cart. Tho. Cãp.

3 Primus S. Ephrem Syrus in ſuis adhortationibus ad monachos rem hanc non obſcurè ſubindicat. Paræneſi 16. ſic habet. *Si puero onus ſupra vires impoſueris nocebis ipſi, & ſi inſtruere eum omiſeris, nequam, & inutilis euadet. Sic quoque nouitium monachum cum iudicio, & diſcretione gubernare oportet.* Quibus verbis clarè ſatis indicat, nouum monachum non inſtructum religioſa diſciplina, nequam ſibi, & religioni inutilem, prorſus euadere. Alibi quoque ſic. *Si acciderit fratrem aliquem ad monaſticam, ac ſolitariam vitam quacunque occaſione venire, & non ſe ſobrium, vigilantemque præbuerit, protinus deuorabit eum diabolus.* Ecce diabolo traditum ab Ephremo nouum religioſũ, qui in primoribus annis, bona diſciplinæ regularis inſtructione non regitur.

S. Ephrem paren. 16.

Id. par. 2.

4 Secundus adſtat Dorotheus Abbas inter Patres Bibliothecæ iure venerandus, qui ſicut totus cernitur in erudiendis monachis, ſic etiam quantum interſit, illorum; iuniorum præſertim, inſtructio, quamque nociua ſit, & culpabilis negligentia, quoad hoc, exprimit hiſce verbis. *Inter prouerbia dicitur, quibus non eſt gubernatio decident, vt folia: ſalus autem eſt in multo conſilio. Contemplamini ſententiæ vim fratres. Opus enim nobis eſt auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nihilque quod citius expugnari queat, his, qui nullos duces, nullos*

Doro. in doct. 5. 2. t. bibliot.

authores habent ad viam Dei. Ait enim: quibus non est gubernatio, decident, vt folia. Folium à principio semper virens, semper germinans, semper delectabile est, non multo post aresçit, & languet, cadens contemnitur, & conculcatur. Talis homo est, qui à nemine regitur. A principio feruentissimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, & ad quæcumque cætera bona, paulo post, extincto eo feruore, si nullum habuerit sui gubernatorem, aut fotorem, qui extinctum ignem suscitet, & accendat, desiccatur, & cadit, ac demum destitutus, ab hostibus suis captiuus trahitur, qui vt voluerint, in ipsum grassantur.

Hæc, & alia Dorotheus, vt ostendat, quantum sibi nanciscantur mali monachi, Iuniores præcipuè, si sine recta institutione, disciplina regulari imbuantur, absdubie contrarium dicturus, si eos sancta, religiosaque institutione confirmatos agnosceret.

D. Bonau. 5 Hos Patres sequitur seraphicus D. Bonauentura. Ex quo in primis celebrem illam sententiam in speculo disciplinæ habemus. *Formam, quam primum quis recipit, vix deponit, & qui disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit, ad eam postmodum difficilè applicatur.* In tractatu quoque de informatione nouitiorum, totam causam ruinæ quarundam religionum, in prauam puerorum, nouitiorum, & iuuenum educationem resundit, his verbis. *Ideo tot ordines confunduntur, quia pueriles mentes sibimet dimittuntur, sine freno retrahente à noxijs, & sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum, aut ex nociua condescensione. Sicut imprudens medicus, qui ne contristet ægrum, quem curare deberet, patitur eum nociua comedere; ex quibus grauius, & diutius infirmatur.* In tractatu quoque de processu religionis, processum, & progressum illius, *in feruore nouitiatus* constituit. Absdubie indicans, quod sicut difformatæ religionis est causa, & origo parua iuuenum educatio; sic quoque perfectæ religionis progressus, in recta illorum institutione constitui debet.

Idem in nform. p. 2. c. 1

Idem

6 Accedit sanctus Laurentius Iustinianus, ex quo graues sententias pro præsenti causa elicere valemus. Ex libro de obedientia hæc excepi. *Sunt* (inquit) *nouitij in via Dei, tanquam arbusculorum virgæ tenerrimæ, quæ ad possidentis libitum huc, illucque absque contradictione flectuntur; at verò si induruerint, nequeunt ad se emollire.* Et infra. *Vinea quippe Spiritualis Domini Sabaoth est inchoantium noua plantatio, quæ vt fructum afferat, solerti est excolenda peritia. Nam si inculta remanserit,*

Laur. Iust. in lib. de obed. c. 20

dilatat

dilatat quidem palmites ſuos, ſed nulla vtique bonorum vbertate fœcundos. Proinde omni ſedulitate exercendi ſunt in religione rudes, ne pereſſluant, ne torpeant, ne obdureſcant. Ad idem intentum in libro de diſciplina monaſtica religionis hæc habet inter alia. *Paſtores ſolerter vigilent, cum primum ſuſceperint nouum militem recenter poſitum in monaſterio, ipſum ſpirituali reficere exhortationis pabulo, & ſalutari recreare poculo, antequã mentis patiatur ariditatem, & immundorum ſpirituum experiatur inſultus. Qui autem hoc agere neglexerit, ſibi ipſi iudicium, & ſubdito graue inducit diſpendium. O quot ex incuria Paſtorũ, ignorantes, quæ Dei ſunt, & quo ſancto congruunt ſtatui à ſancto retrocedunt propoſito? Heu quanti, ariditate ſpiritus confecti, & deuotionis guſtu alieni, quia ſicut oportuit, in primordio conuerſionis ſpiritualis, non fuerunt imbuti, vocationis gratiam, quam habere meruerunt, perdiderunt.* Hæc, & alia ſanctus Laurentius Iuſtinianus, ſatis innuens, rectam educationem nouitiorum maximos progreſſus efficere, inſtructionis verò defectum, omni illorum perditioni viam aperire. Quod tandem innuit capite ſequenti, ſimulque ſuperioris doctrinæ rationem reddit, dicens. *Terra etenim, quæ ſagaci excolitur agricultoris manu, vberem producit ex ſe fructum, ſi autem hæc eadem negligenti tradatur, ac neſcienti operario, repente vrticis repletur, & vepribus.* Ecce rem totam, quam intendimus, vnico verbo ſancti Laurentii Iuſtiniani comprobatam. Idem de diſc. mon. c. 8 Ibid c. 9.

Plurium aliorum Patrum teſtimonia, quæ Iulius Nigronius *in tractatu de neceſſitate, & vtilitate magiſtri ſpiritualis* congerit, hic placuit in medium proferre, vtpotè valde propoſito noſtro vtilia. Ex iis eſt vnus Sanctus Baſilius *in tractatu de abdicatione rerum*, vbi ſic. *Acerrima in omnes partes animi circũſpectione operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ ſtudijs certiſſimum ducem ſequare, eiuſmodique, qui rectum iter ad Deum, volentibus pergere ſciat commoſtrare.* Alius eſt Gregorius Niſſenus *in libro de Virginitate cap. 23.* ſic ſcribens. *Vt qui alicuius nationis ſermonem diſcere inſtituit, minime per ſe ſatis eſt, vt à ſe ipſe erudiatur, ſed ab ijs, qui illius ſermonis periti ſunt, inſtituitur, atque hoc pacto breui ex audiendi conſuetudine progreſſus peregrini ſermonis particeps efficitur, ſic opinor, ſi hæc vita non naturæ via progreditur, ſed nouo quodam inſtituto aberrat, eam perfectè a nemine poſſe percipi, niſi optimo viro duce vtatur, atque alia* Iul. Nigrõ S. Baſilius. S. Greg Niſſ

omnia quæcumque huic vitæ studia proposita sunt rectius ab eo perficerentur, qui illis deditus est, si à Doctoribus, magistrisque scientiam illarum rerum perciperet, quorum studio tenetur, quam si per se ad rem aggrederetur. Non enim in principijs institutio hæc est, vt ex necessitate quis res an vtiles sint ad suum iudicium deferat: quando quidem rerum incognitarum periculum facere audere, non extra discrimen positum est. Item sanctus Isidorus Peluſiota *lib.* 1. *epist.* 2. sic monens. *Si probus monachus fieri studes, ne eam rationem ineas, vt tuo ipsius arbitrio viuas, ac mores tuos tibi vni probatos esse velis: quin potius ijs mentem tuam, & consilium submitte, qui & vita, & tempore diuinam vineam iam ante foderunt, & voluerunt, à quibus munus istud facile perdisces.* Maxime vero sanctus Hieronymus *epist.* 4. *ad Rusticum* hoc pacto eum instituens. *Mihi quidem placet, vt habeas Sanctorum contubernium: nec ipse te doceas; & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es: statimque in alteram partem declinandum sit, & errori pateas, plusque, aut minus ambules, quam necesse est: ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.* Et paulò post, vbi probasset necessarium esse magistrum aliquem vnum in omni arte discenda, ex politia apum, gruum, hominũ, ex gubernatione Ecclesiæ, ac nauis subiicit hæc. *Et ne plures replicando fastidium legenti faciam per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio, sub vnius disciplina patris, consortioque multorum.* Præterea Ioannes Cassianus *collat. 2. cap.* 11. vbi discretionis virtutem in eo constituit. *Si seniorum vestigia subsequentes, neque agere quidquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus, sed quemadmodum nos, vel traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, gradiamur.* Qua institutione formatus, non modo ad perfectam discretionis rationem quisque perueniet, verum etiam munitus à cunctis insidiis inimici tutissimus permanebit. Hoc etiam idem Autor, ex aliis magistris spiritualibus recentioribus, videlicet, Ioanne Gerſone, Ioanne Auila, Didaco Perez, Smaragdo, Ioanne Trithemio, Vmberto, Turrecremata, & aliis in sequentibus probat intentum.

S. Isid. Peluſiota.

S. Hieron.

Ioã. Cass.

7 Placuit vltimo ad idem intentum, quæ Summus Pontifex Clemens Octauus super receptionem, & educationem nouitiorum dixit, simulque noster Sanctissimus Vrbanus Octauus promulgari, & executioni mandari, præcepit; vt vel sic quantum detrimenti religionibus ex inculta iuuentute nouitiorum, prouen-

niat,

niat, quantumque è contrario emolumentum ex religiosa illorum instructione nascatur, innotescat, in propatulo ponere. Sic ergo loquitur Pontifex. *Cum ad regularem disciplinam in singulis religionum Monasteriis propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria; & nihil adgrauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem supra numerum quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex praecipuo desiderio illi inseruiendi: vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum institutione, atque educatione, nec non in magistri, & aliorum ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris Canonibus, ac decretis, praesertim Sacri Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuscunque Ordinis, aut instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasterijs, & conuentibus, haec, quae sequuntur inuiolatè obseruari, & exequi perpetuo curent.* Post haec, varia, & diuersa documenta circa nouitiorum institutionem apponit Pontifex, quibus, & sanctum zelum reformationis religiosae praeseferat, simulq; intentum nostri capitis grauissimè confirmat.

Clemēt. 8. Vrb. 8. in decr de regularib. apostatis, & electis.

8 Ex quibus omnibus luce iam clarius innotescit, quanta cura, sollicitudineque Pastores, & Prælati Religionum intendere debeant, vt nouitij, aliique Tyrones, & adolescentuli, regulari disciplina imbuantur. Neque enim alia ratione, optima religionis æconomia consistere valet, neque ipsi Tyrones aliter, perfectionis apicem pertingere possunt. Vtrumque in simili forma concluſit Episcopus Pacensis. *Cum ea sit optima Reipublicæ gubernatio, quem ciues meliores facit, hoc primum curæ esse debet omnibus magistratibus, vt pueri, & adolescentuli rectè educentur, & instruantur optimè. Nec enim alia ratione meliores homines euadere possunt, quam rectæ educatione. Nam, vt Seneca inquit, educatio mores facit.* Et verè sanè; sunt namque Nouitiorum ingenia, dum ad religionis doctrinam accedunt, tanquam agri, aut fundi ipsarum religionum, ex quibus suos prouentus in posterum percepturæ sunt; si prudenti cultura à Dominis colantur, optime certè fructum referent, sin autem spinas, & tribulos

Siman. de repub. l. 9. c. 25

Biessiusl.i de republ. bulos germinabunt. *Puerorum ingenia* (inquit Biessius) *tanquã agri, ex quibus Respublica suos omnes fructus perceptura est, diligentissimè colantur, & rebus optimis serantur. Prohibeantur inseri quæcumque Reipublicæ noxia sunt, & insita confestim a Magistratibus euellantur: nam semina Virtutis admodum rara sunt.* Hoc ipsum (Plutarcho teste) Lycurgus ille legum lator exemplo confirmauit. Duos namque educauit catulos, ex eisdem parentibus natos, quorum alterum gulæ assuefecit, domesticis delitiis nutriens: alterum autem ad venationem exercuit. Vt verò ostenderet quantum educatio paruulorum proficeret, adductis ciuibus in concionem, gulæ irritamenta apposuit, leporemque dimisit. Ergo catulus ad venationem edoctus, leporem sequutus est, catulus verò domi enutritus, cibaria quæsiuit. Tunc-que dixit. *Videte, ò Ciues, cum ex eodem sint genere, quam dissimiles ob educationem inter se euaserint.* Pari ergo passu adolescẽtes, seu iuuenculi religionum, quamuis ætate, moribus, genereque sint similes; si tamen illorum alter à maioribus rectè instruatur, egregius euadet, alter verò non rectè educatus, tepidus, otiosus, vitiisque omnibus deditus procedet. Vnde non immerito totius religionis lapsum, ex praua iuuenum, seu tyronum educatione, originem trahere, diximus. Quod & in simili forma odoratus est Cicero dicens. *Si legere, & audire voletis externa, maximas Respublicas per adolescentulos labefactatas, reperietis.*

Plutarch in Apoph. Iacon.

Cicero in Caton.

9 Prouideant ergo Superiores, & Prælati Religionum, iuuenum, seu Tyronum, tales magistros, seu pedagogos, quales tantæ necessitati subueniendæ, iuuentutique erudiendæ congruos esse prudentia dictauerit. De quo optimè Sanctus Laurentius Iustinianus, præscribens simul quibus virtutibus ornatus esse debeat, qui tale munus subire dignus sit. *Quemadmodum* (inquit) *in itinere quis pergens ignoto, ne erret à recto calle, eget ductore; ægroto, ne diuturno languore fatigatus, à vita deficiat, opus est medico; adolescenti idiotæ, me in sua perseueret ignorantia, accommodandus est pedagogus; ita in via Dei nouiter imbuendo, ne fallacijs Satanæ seducatur, & pereat, Spiritualis ei adhibendus est pater, qui discretione sit prouidus, experientia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honestate, sanctarum scripturarum gnarus, auctorum in se, proximo compatiẽs, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, & in omni, si possibile est, spirituali disciplina proiectus.* Et infra. *Ab vno quilibet incipiens est erudiendus magistro, quem oportet illius, qui in-*

Laur. Iust. de ob. c. 20

Idem.

struendus

ſtruendus eſt habere notitiam, priſtinæ conuerſationis, corporalis valetudinis. naturalis complexionis, & quotidiani exercitij. Ipſum præterea latere non debet, quales ipſius ſint cogitationes, quibus tentationum ſtimulis agitetur, quibuſue deuotionibus reficiatur, & ita de vniuerſis interioris, & exterioris hominis actibus, geſtibus, ſermonibus, & affectibus illius imbutus exiſtat, ac ſi eſſent propria. Horum etenim, ſi Spiritualis pater neglexerit habere notitiam! prorſus ſuperuacuè laborabit. Qualiter tamen se gerere debeant magiſtri nouitiorum in religionibus, ipſe Iuſtinianus alibi ſcriptum reliquit. *Circa profectum* (inquit) *animarum, reformationem morum, vitæque emendationem, eorum quibus ſpiritualiter præſunt, inuigilent: nunc minis terrendo, nunc de mulcendo ſermonibus blandis, interdum ratione perſuadendo, interdum authoritate mandando, aliquando puniendo, nonnunquam parcendo, miniſterium ſuum perficiant.* Et infra. *Primo quidem moneant, deinde terreant, poſtremo verò puniant.* Id. de inſt. præl. c. 9.

Optimè quoque D. Bonauentura ex D. Gregorio hæc habet. *Quiſquis diuina inſpiratione compunctus, relictis ſæculi huius actionibus, ad Deum conuerti feſtinat, ita cum charitate ſuſcipiendus eſt, & blandis per omnia conſolationibus refouendus, vt in ea, quam elegit, Deo adiuuante, conuerſatione, delectetur perſiſtere.* D. Bon. l. 1 phar. c. 29

Grauiter etiam Aluarez de Paz modum, quo magiſtri nouitios religioſos inſtruere debeant, ſic delineat. Inter alia hoc vnum commendans, vt magno cum diſcrimine, tyrones, & veterani, in religione tractentur. *Nouitius* (inquit) *eſt velut infans recens natus, cuius teneritas maiorem curam nutricis, ideſt Spiritualis magiſtri, cuius infirmitas delicatiorem cibum, hoc eſt mitiora onera petit, cuius puſillanimitas acrem reprehenſionem non ſuſtinet, ſed ſi in aliquo delinquat, mel, & lac blandioris ſermonis, & manſuetiſſimæ correptionis expoſcit. Antiquus verò eſt veluti adoleſcens, aut vir, qui ſine tanta magiſtri ſpiritualis cura, religioſè viuit; qui duriora laborum onera portat, & pro leui etiam culpa, acerrimas increpationes præfert. Nouitius, vt arbuſcula nunc ſata, aſſidua irrigatione indiget, & aut nimium ſolis ardorem, aut nimium noctis gelicidium non ſuſtinet, & ſi fere quotidiana præfecti admonitio deficiat, aut inſurgat magna tentatio, ſtatim areſcit. Profeſſus quaſi arbor procera, & optimè radicata, ſine aqua continuæ exhortationis perſeuerat.* Hæc ille. Paz de vit ſpirit. t. 1. l. 5. c. 18.

10 Sed operæ pretium duxi, breuem inſtitutionem, quam S. Sanctus

Sanctus Nilus ad iuniores monachos scripsit, eorum quoque magistris, & pedagogis intimare, vt ex mente huius Patris agnoscant, qualiter iuuenes in religionibus enutriri debeant. *Iuuenis* (inquit Nilus) *colat quietem in corpore, modestiam in vultu, moderationem, atque ordinem in voce. Ad cibum, & potū accedat sine tumultu, cum vrget necessitas. Sileat inter seniores, æquales diligat, minoribus amanter consulat, ab improbis, carnique deditis, & curiosis recedat, pauca loquatur, plus cogitet: in sermone caueat arrogantiam, in mutua consuetudine se nemini anteponat. Ne sit promptus ad risum, pudore se ornet, colloquia mulierum vitet, vultu terram aspiciat, cælum animo, fugiat contentiones docendi, ne ambiat dignitatem hominum, honores ne admiretur, eorum præsertim, qui verum honorem ignorant. Virorum prudentium vtatur familiaritate, quæ bonorum est causa pulcherrima. Dum rectè agit, & in virtute proficit, laudem à Deo tantum requirat. Quod si alios docet, & iuuet, repositam apud Deum mercedem expectet, & tanquam debitum Deo opus persoluens, remunerationem à Deo speret in muneribus sempiternis.* Hęc Nilus. In quibus si religio sorum nouæ plantulę instituantur, & religiones ipsæ maximoperè succrescent, & magistri, aut pedagogi suo muneri satisfacient.

Nilus in 5 t. bibliot.

11 Oportet etiam specialiora aliquot documenta magistris morum in religionibus, ex Patrum sententia intimare, vt eorum labor fructu desiderato non orbetur. Illud primum sit, vt nouitii religiosi, in orationis exercitio instruantur, informentur, actuentur. Adstruit id Seraphicus Doctor Bonauentura de tyronibus, & nouitiis loquens, sic inquiens. *Instent orationi feruenter, quæ nouam in horto Domini plantulam fouet, promouet, & confirmat.* Innuens clarè sine orationis exercitio consumi, deficere, & siccari. Vnde addit. *Frustra profectus virtutum sine oratione speratur.* Speciale tamen tempus ad id munus, illi designat dicens. *Discant ergo, vna saltem diei, vel noctis hora, tempus, & otium vendicare, quando ad se reuersi, mentisq; cubiculum introgressi, orent in abscondito Patrem suum.* Si vero talis hora ad somnii requiem exposcatur à natura, *surripienda erit* (inquit) *carni.* Ne tamen hac vna sola hora contenti videantur, subiungit. *Hæc, & alia quietis, & temporis opportunitates, quæ occurrunt, minimè negligendæ sunt.* Absdubiè indicans, tota die, totaque nocte, si per naturam liceret, orationis exercitio, assuefiendos esse tyrones. Optimè quoque de hac instructione, sic loquitur

Bonau. in spec. disc. p. 2. c. 1

Idem,

cur ſanctus Laurentius Iuſtinianus. *A pedagogo erudiantur nouitÿ, qualiter, quando, & vbi orare debeant, quid meditari, quid legere.* Alibi clarius. *Quoniam rudis nouitius, quaſi cæcus de tenebris mundialis conuerſationis procedens, ad lumen fulgentis veritatis reuerberatur; manu ducẽdus eſt prudenter, donec aſſuetus mentali exercitioni, valeat perſistere per ſe ipſum, quod abſque præceptore non poterat. Diligentiſſimè igitur redire ad ſe doceatur, & per iugem meditationem commorari ſecum.* Et infra. Quaſi materiam oſtendens, de qua nouitiis, iugis. & continua futura eſt orationis meditatio, ſic loquitur. *Proponatur itaque illi ad ſedulo meditandum Domini Ieſu humana conuerſatio. Nihil autem, ita fructuosè ad meditandum inexperto offertur nouitio, ſicut Chriſti vita, & potiſſimum ipſius paſſio glorioſa.* Inferius quoque in idem ſic habet. *Sedeant quippe ſecus pedes Ieſu, non tamen ante Ieſum. Sedeant humiliter, & deuote, ac pure, &c. Nullus enim alius locus debetur nouitio, quã vbi ſunt pedes Ieſu.* Et poſt alia, vtilitates, quas ex hac iugi oratione, meditationeq; in vita Ieſu Chriſti hauriat nouitius, ſic exponit. *His cogitationibus refectus, ac lacte ſpirituali nutritus mirum in modum inundatur gaudio, obliniſcitur, quæ reliquit in ſæculo, & omnibus ſe priuat exterioribus delectationibus.* Vt vero hoc orationis exercitium primum fundamentum nouitiatus reputetur, hæc ſubdit ſanctus hic Pater. *Hæc fundamenta in principio conuerſationis cuiuſcunque nouitÿ iacienda ſunt. Hæc nempè ſunt rudimenta, quibus imbuendus eſt nouus miles Chriſti, &c.* Tandem totum ferme caput in inſtruendis nouitiis in huiuſmodi interiori orationis exercitio conſumit.

s. Laur. Iuſt de obed. c. 20

Id. de diſc mõ cœnu. c. 8.

Idem.

Idem.

12 Ad idem intentum Aluarez de Paz in ſuo opere de vita ſpirituali, ſic loquitur. *Nouitius orationis, & ſanctæ meditationis tenax, frequentiſſimè Chriſtum crucifixum habeat. Ipſi ſuas miſerias, & tribulationes aperiat, neceſſaria ad vitæ reformationem petat, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum acquiſitionem poſtu et: recogitet ſerio peccati fœditatem, ſæculi vanitatem, &c.* Et infra; rationem huius documenti ſic aſſignat. *Nam ſancta oratio, ac meditatio eſt magiſtra ſcientiæ, quam nouitius neſcit, dux viæ, quam ignorat, medicamentum vitiorum, quibus agrotat, frænum tentationum, munditia peccatorum.* Vt vero moneat, hoc eſſe primitus iniungendum nouitio, addit. *Ab oratione ergo, nouus Chriſti miles nouam militiam incipiat.* Tandemque. *Si enim inuitæ ſpiritualis initio, orationi, meditationique,*

Paz de vit ſpir. t. 1. l. 2. c. 25.

Idem.

ditationique non vacat, nunquam meditationis consuetudinem capiet, qua sublata, nescio sanè quo pacto proficiet. Hæc, & alia Religiosus hic author ad intentum nostrum de necessitate orationis Tyronibus, & nouitiis religionum scripsit.

13 Maximè quoque secundo nouellæ plantationes in religionibus a suis magistris admonendi sunt, vt otiositatem fugientes, sacrarum litterarum studiis, vel aliis exercitiis semper, semperque vacent. Ad hoc deseruiunt, quæ in capite de otiositate vitanda adduximus; specialiora tamen in medium proferamus.

Basil. in reg. breu inter. 95. Magnus ergo Basilius in suis regulis interrogans. *Nunquid expediat hic, qui nouitij accedunt, ea quæ de sacris scripturis sunt, confestim edisce re?* Respondet. *Quæ ad vsum namque pertinentia sunt, ea vt vnusquisque ex diuinis litteris edisc at, & rectum est, & necessarium: cum ad maiorem animi expletionem in pietate, tum etiam vt ne humanis constitutionibus assuefiat.* Clarius D. Bonauentura in suo speculo disciplinæ nouos religiosos, sic instruit. *Nunquam otio torpeant, sed semper, aut lectioni, aut orationi, vel officio addiscendo, aut alijs, non quæ ipsi elegerint, sed quæ iniuncta fuerint, facienda intendant.* Optimè quoque Dionysius Carthusianus in suo nouitiorum Dialogo, sic instruit nouitium. *Nunquam in te desotio locum, indesinenter fructuosè te occupa, orando, psallendo, seu meditando, quocunque perrexeris, &c.* Alia ex Patribus facilè ad intentum elici possunt.

Bonau in spec. P. 2. p. 1. c. 2.

Diõ. Cart. in dial. c. 2.

14 Tertio quoque solerti cura, sollicitudineque animaduerti debet Tyronibus, seu nouitijs religionum, vt omni singularitate postposita, semper communia sectentur. Ad hoc multa, quæ adduximus cap. 12. deseruiunt; sed D. Bonauentura bene loquitur ad intentum nostrum in suo speculo disciplinæ inquiens. *Optima religiosi perfectio est, perfectè communia quæque conuentualia seruare.* Et rursus. *Turpis omnis pars vniuerso suo non congruens. Cauet vir constans, & honestus ne consuetudinum Ordinis temerarius violator existat; alias in victu, & moribus nouitatis nota, & singularitatis erit diuersitas fugienda.* Optimè etiam ante Bonauenturã D. Bernardus, singularitatem istam in monachis sic reprehendit in expositione super Cantica. *Non vultis esse contenti vita communi, non sufficit vobis regulare ieiunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis patimur in vestimentis, & alimentis; priuata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis,*

D. Bonau. vt supra.

D. Bern. ser. 19. in Cantica.

diſtis, quid rurſum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum, conſcientijs veſtris teſtibus, offendiſtis, propriam ſcilicet voluntatem veſtram, ecce nũc iterum magiſtram habetis. Nonne illa vos natura docet non parcere, rationi non acquieſcere; non obtemperare ſeniorum conſilio, vel exemplo, non obedire nobis? An ignoratis, quia melior eſt obedientia, quam victima? Inſerius quoque, quantum malum hoc ſit, ſic exponit: *Non habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſet, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.* De hoc etiam puncto ſufficiant hæc ex his Patribus adducta. Idem.

Sed ne in re tanti ponderis ſolum priſcos Patres audire videamur, non tamen recentiores magiſtros, pro multis audiendus Iulius Nigronius Genuenſis vir pius, & doctus in tractatu aſcetico *de peculiaribus paucorum amicitijs è quolibet cœnobio, præcipue Religioſorum, exterminandis cap. 3.* Vbi è pluribus vitæ ſpiritualis, & inſtructionis nouitiorum magiſtris hæc ſcripſit pro eorundem inſtitutione valde neceſſaria. *Ad textium caput deuenimus, quo demõſtrabitur, quam multis nominibus vniuerſæ Communitati cœnobij perniciosæ, ac deteſtandæ ſint, cum omnes enumerata amicitiarum ſpecies, tum potiſſimum quinta iuniorum ob frequentiam, & pericula, non ab omnibus expenſa. Grauiter admodum Iacobus Aluarus noſter locutus eſt, cum eas euertere diſputatione aggrederetur, dicens:* Quæ amicitia, & familiaritas, ſi ad nimietatem declinet, non minus ipſiſmet Religioſis, ac ſanctæ Religionis domibus pernicioſa eſt, quam eſſent inimicitiæ, ac manifeſta diſſidia: niſi quod iſta palam & ſine vllo ſucco bonum Religionis deſtruunt. *Sed quid Aluarum produco? Communis eſt Magiſtrorum ſpiritualium vox, & ſententia. Veteres, ac mediæ ætatis magiſtros obſeruet lector in decurſu diſputationis: recentiores nonnullos recenſebo, atque locos indicabo, vnde plura, ſi velit, poſſit exhortator, & inſtructor excerpere. Ioannes a Capiſtrano Ordinis Minorum de obſeruantia, vir magnæ probitatis, & experientiæ, præcipiens vitari à ſuis ſuſpecta conſortia, & familiaritatem cũ mulieribus, addit hæc verba notata dignissima:* Intelliguntur autem ſuſpecta conſortia non ſolum de mulieribus, ſed etiam de ſuſpectis familiaritatibus quibuſcumque, ſiue cum ſæcularibus perſonis, ſiue etiam cum fratribus ipſis noſtri Ordinis nouitijs, ſiue profeſſis. Et ideò tam Vicarij, quam Guardiani ſint ſolliciti diligenter, & attenti. *Bernardinus Scho-* Iul. Nigr. in aſcetic.

tus Clericus regularis (qui mortuus est Cardinalis) functus officio Præpositi salutaribus documentis epistolam plenissimam scripsit ad Ordinem suum: quam dedit in lucem Antonius Caracciolus ex eedem Religione. In ea monens suos, ne laxari morum disciplinã patiantur, inter cætera hæc habet. Itaque, qui relaxationem, quærunt, primum sibi ipsis, deinde aliis quam plurimis nocent. Hinc enim peculiares amicitiæ, & societates quædam prohibitæ in Congregationibus fiunt, quibus nihil esse potest perniciosius. Hinc dissentiones, & contentiones oriuntur, hinc odia, & susurrationes, & conatus quidam occulti ad suadendum aptissimi eam vitam, quam sibi delegerunt, videlicet laxiorem, dum aliis quoque pro regula tradere, & approbare nituntur, &c. *Clerici regulares Sancti Pauli de nouitijs constituentes, in quibus propter ætatem maius est periculum, sic magistro eorum præcipiunt.* Solutam quandam inter eos consuetudinem, & libera colloquia ne permittat: præcipuas inter aliquos amicitias prudenter disiungat: in familiaritatem professorum venire prohibeat. *Ioannes à Iesu Maria Carmelita discalceatus, in institutione Magistri nouitiorum, inter maximè cauenda illis, & ipsi obseruanda in eorum educatione, locat singularem familiaritatem eorum:* Qui vel ob ingenii similitudinem, vel aliam quamuis ob causam, non sine aliorum nota, occasionibus oblatis, vel quæsitis simul versari assuescunt. *Ioannes Trullus ex Ordine Canon. corum Regularium Sancti Augustini, reducit ad carnalem dilectionem, ab eo sancto Doctore merito damnatam, affectum priuatum erga pauos. Canonici Sancti Saluatoris sub eodem vexillo militantes, constituunt.* Ne sub specie fraternæ charitatis habeatur aliqua frequens conuersatio singularis. *Seruatius Ordinis Præmonstratensis sub eiusdem Augustini Regula, monet Prælatos, vt magno studio, & industria dissocient eos, qui conspirant in malum, & concordant inter se. Beatus Ignatius nostræ familiæ architectus instituit quandam vtilissimam animæ aperitionem, in qua quisque Superior tamquam patri, ac magistro cor patefacit, & rationem conscientiæ secreto reddit. In ea illud est in rem præsentem, vt subditus significet: An alicui plus sit familiaris, quam alijs. Tam tunc vir sanctus, ac prudens obstruere capit aditum huiusmodi peculiaribus amicitijs, ne in suum Ordinem irreperent. Præstiterunt id alij postea. Iulius Patius in libello Italice edito de mortificatione, suadens indifferentiam in conuersando, dissuasit priuatas amicitias. Secutus est Lucas Pinellus in libro,*

in libro, quem Italice item ſcripſit de Religioſa perfectione ad imitationem aurei libelli Thomæ Kempis de imitatione Chriſti, caput habet, quo Chriſtum inducit Religioſos à nimia familiaritate paucorum ſodalium reuocantem. Sub idem tempus Claudius Aquauiua, regens quinto loco ſocietatem vniuerſam, monuit primum ſuos, ne huic generi familiaritatum feneſtram vllam aperirent; deinde in libro induſtriarum ad curandum animi morbos, caput ſcripſit pro curanda inclinatione ad amicitias: tum adgubernandos alios non eligebat eos, qui peculiares affectiones ad particulares perſonas in gubernatione cum aliorum offenſione retenturi viderentur. Bernardinus Roſignolius opere latino de diſciplina Chriſtianæ perfectionis, monuit potiſſimum adoleſcentes Sancti Baſilij teſtimonijs, vt priuatas ſodalitates, amoremque ſingularem defugerent. Prodyt in Hiſpania Alphonſus Rodericus, qui prima parte ſuorum exercitiorum de perfectione, virtutibuſque Chriſtianis Hiſpanicè primum ſcripta, deinde in alias linguas etiam latinam, translata, collegit in tractatu quarto varias ſpecies huius perniciosæ amicitiæ, quas optimis nationibus ſuadet, ab ordine quocumque Religioſo, quam longiſſimè arceri oportere, atque ego proximo capite recenſui, & explicaui. Caput integrū, & amplius Iacobus Aluarus de Paz in tomo primo de vita ſpirituali eiuſque perfectione impendit in deteſtationem nimiæ familiaritatis, quæ primarius partus eſt huius deteſtabilis amicitiæ. Ludouicus Pontanus in vita Balthaſaris Aluarez, viri valde ſpiritualis, atq; experti refert illius ſenſum de his amicitijs, qui dicebat ingens detrimentum inde prouenire, etiam ſi alias bonæ videantur: Præterea in rebus valde fugiendis ob perniciem collocabat primo loco, ſtrictam, & particularem cum aliquo amicitiam, præcipuè, quam tota Communitas notet. Idem Pontanus ex ſuo ſenſu diſputans de perfectione charitatis docet eos, qui hac ratione amant, ex motiuis mundanis carnalibus, cuiuſmodi eſt vtilitas, & voluptas, excedere limites communis amoris, cum non exiguis damnis, & inordinatione propriæ perfectionis, ac impingere in vitium, quod dicitur acceptio perſonarum. Ioannes Buſæus in Germania dedit in lucem Pananon, hoc eſt Arcem medicā: in qua ſub nomine eiuſdem nimiæ familiaritatis, huic morbo facit medicinam, remedia multa præſcribens è ſanctorum Patrum de prompta narthecijs. E Belgio prodyt Medicus Religioſus Caroli Scribani, qui capite integro exagitat nimias cum vno, altero ue familiaritates, & eidem morbo applicat medicamenta ſalu-

taria.

taria. Verum ne methodo aliqua gradiamur; damna, quæ Communitati afferuntur ab his amicitijs ad quatuor capita reuoco, diminutionem charitatis, violationem iustitiæ, disciplinæ Regularis euersionem, offensionem, & scandalum domesticorum extraneorum. Hæc, & alia pius iste author ex suo, & aliorum sensu.

15 Adijcio etiam quartum documentum pro magistris nouitiorum apprimè necessarium. Illud vero est, vt clientulos suos ad amorem Regulæ, Constitutionum, cæremoniarumque Ordinis maximè inclinent. De hoc multa cap. 5. & 6. dicta manent. Sed ex Cassiano, quanta cura, & sollicitudine antiqui monachi nouitios, & iuniores instituerint, vt inde nos idem exemplum accipiamus, hæc excepi. *Tanta* (inquit) *obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia, vel permissu, non solum non audeant vellam progredi, sed ne ipsi quidem communi, ac naturali necessitati satisfacere, sua authoritate præsumant. Sicque vniuersa complere, quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquã si à Deo sint cælitus edita sine vlla discussione festinant. Vt nonnunquam, etiam impossibilia sibimet imperata, fide, ac deuotione suscipiant, &c.* Ecce mores, quibus antiquiores monachi iuniores Tyrones circa regulæ, & institutionum regularium amorem instituebant. Nec mirum sanè, vt enim optimè S. Cyprianus. *Sicut in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur; ita in adolescentibus, & iuuenibus obsequiũ, & subiectio, & obedientia ritè debetur.* Quare Seraphicus Bonauentura sic instruit nouitios de re proposita. *Religionem sanctam, ad quam eos Dominus sua miseratione vocauit, feruentissimo, ac fidelissimo studeant amore diligere, eique tanquam sanctissimæ, ac Deo dilectissimæ Sponsæ, fide inuiolabili adhærere.* Rursus quoque. *Communem Ordinis obseruantiam sequantur, perfectioni insilentio, & in alijs institutis, plenius obtinendis, insistant.* Clarius Aluarez de Paz, sic loquitur ad propositum. *Regulam, & institutasuæ religionis assiduè legant, quæ legerint, intelligant, quæ intellexerint, ament, & cupiant, quæ concupierint, opere præstare contendant.* Alia ex variis authoribus huic themati deseruientia facile legentibus obuia erunt.

Cassl.4 de instit c.10

Cypr. de 12. abusionibus.

D. Bonau. in spec. p. 2. c. 1.

Ibidé c. 2.

Paz de vita spi. t. 1. l. 2. c. 25.

16 Nec omittam quinto, in eo quoque præcipue magistros morum discipulos suos, nouellasque plantas religionum instruere debere, vt scilicet non propter ignauiam, defectusue aliorum, quos imperfectè in religione incedere viderint, ipsi à recto tramite, &

mite, & itinere incæpto, deſiſtant. Hoc ipſum accuratè nimis aduertiſſe nouiſanctum Ephrem Syrum in ſuis adhortationibus ad Nouitios. Paraneſi namque quarta ſic habet. *Chariſſime, ſi ſæculo renuncians adfratres ingreſſus ſis, inciderisque in cœnobium complurium fratrum, cum his viuere, & Domino noſtro Ieſu Chriſto ſeruire cupiens: conſpexeriſque ibi fratres quoſdam immodeſtè, atq; incompoſitè incedentes, aut quæ non placent Deo loquentes; tu caue, ne ſis, aut eorum ſermonibus attendas.* Et infra. *Tu autem Deum præ oculis habe. Scriptum quippe eſt in pſalmo: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Et, ne te Diabolus callidus docere doceat, quod ſi ſenes iſti improbæ ſint conuerſationis, ego qui ſum minor quid agam? Sed Dominum audi dicentem, multi ſunt vocati, pauci vero electi. Saluari igitur exopta, vt ſis vnus inter electos.* Rurſus quoque ſic habet idem Ephrem, ſimul breuem admotionem ad mores nouitii ſpectantem adducens. *Toto corde tuo attende pſalmodijs, & lectioni diuinarum ſcripturarum, & vtilitatem ex his manantem in anima tua combibe, ſicut infans matris ſugit vbera. Ex his quippe virtutum diſces præmia. Manſuetum te præbe, & morigerum, atque prudentem. Manſuetum quidem, vt ſi te, vel puer compulerit, ſequaris ipſum, & opere tuo confecto tacens reuertere in cellam tuam, ac labris ſilens, corde ora. Obedientem vero, vt caſtitatem tui corporis, tãquam pretioſam margaritam conſerues in Domino. Veſtium ornatu nou delecteris, & parentum diuitijs non efferaris. Oculos in terram defixos habe, animam vero in cœlos.* Hæc inter alia S. Ephrem noſtro propoſito ſubſeruientia. D. quoque Bonauentura, ſic inſtruit nouitios, de eo, quod intendimus. *Ab obſeruantia Ordinis, nen exemplari leuium vel negligentium aliquorum diſſolutione, diuertantur.* Præterea Venerabilis Thomas de Campis in ſuo dialogo nouitiorum, circa præſentem cauſam nouitium, quendam ſic inſtruit. *Si videris quoſdam à via veritatis aberrare, & retrorſum Satanam abire, noli pereuntes imitari: ſed bonos, & feruentes ſtudeas ſemper æmulari. Quare cum pauci ſint ſaluari, qui per angustam portam inerant ad vitam. Nam Chriſto teſte, lata, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.* Hæc Thomas, quibus perbellè ſatis munitur noſtrum intentum.

S. Ephrem paræn. 4.

Idem.

Idem.

D. Bonau. in ſpec. 2. p. p. 1. c. 2.

Th. Cãp. in dialog. nouit. c. 2.

17 Ad hæc vltimo iungendum eſt in hoc præcipuè magiſtros morum, ſeu nouitiatuum in Religionibus intentos eſſe oportere, vt non

vt non omnes, qui habitum religionis suscipiunt, indiscriminatim ad professionem admittant; sed eos duntaxat, quos bona indole, ingenii docilitate præditos, religiosæ œconomiæ aptos, & bene morigeratos aspexerint: cæteros autem, charitatis ordine seruato, ab Ordine expellant, & repudient. Docet hoc magnus Basilius in suis regulis monens eos, quos in sæculi vitiosa vita deguisse visi fuerint, maximopere probandos esse. *Qui ipsorum mores sint, num consilio instabili, & ad constituendum quiduis præcipiti, ad religionem veniant? Et si quid* (inquit) *ineſſe in ipsis stabilitatis cognouerimus, eos tuto admittamus; sin minus repudiemus.* Rationem subdidit dicens. *Siquidem in ÿs, qui istiusmodi sunt, magnopere suspecta haberi inconstantia debet, qui præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inuenisunt, cæteris etiam sunt detrimento, quod institutum nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament.* Idem Basilii intentum grauissimis verbis prosequitur D. Bernardinus Senensis Minoritarum decus; sermone enim de sacra Religione hortatur religiosus, ne ad societatem omnes indiscriminatim habitum postulantes admittant. *Non sicut quidam* (inquit) *qui inconsideratè recipiunt omnes, quorum fructus est infamia, & scandalum suæ religionis.* Rursusque. *Plerosque temporibus nostris sub pallio Charitatis, vel potius vanitatis deceptos vidi, passim, & inconsideratè omnes ad religionem recipientes. Quorum finis, & fructus fuit fumus, & fætor, & impeditiuum obstaculum eorum, qui cum Dei honore, & sui, ac proximorum salute ingressi fuissent religionem.* Ideo autem magnam in hoc cautelam seruari vult Bernardinus, quia, vt ipse loquitur. *Experientia teste, quidam ad religionem venientes in principio videntur agni, & modico elapso tempore reperiuntur lupi.* Quantum vero damnum religiosis communitatibus patiat, qui indiscriminatim discolos, & male morigeratos ad habitum religionis admittit, exprimit idem Bernardinus. *Pudet enim, & iuste prudentem virum, assumere religionem, & statum, in quo ante se præcedere videt multos homines infames, & scelerates, & tamen in breui tempore apostatantes, & deteriores efficios.* Merito ergo S. Bonauentura rebellem, contumacem, & contentiosum iuuenem, tanquam ouem morbidam à grege Religionis segregandum docet. *Si quis* (inquit) *sufficienter expectatus, & monitus mores corrigere, ac religionis formam induere negligit, præsertim si rebellis, aut contentiosus extiterit, non est proficientium numero aggregandus. Infidelis si discedit,*

D.R.fil.in reg.fusc. disp. inte. 10.

S. Bernardinus Senensis ser. 24.

Idem.

D. Bonau: in spec. p. 2. p. 1. c. 5

discedat,

discedat, ne vna ouis morbida contagione mortifera totum gregem contaminet. Et rursus. *Peruersus, & insolens, in onus Religionis, & dissolutionem admittitur.* Prudentissima etiã Virgo Teresia de Iesu sollicite nimis in libro de itinere perfectionis, religiosas nouitias stricto examine discutiendas esse, & ineptas ab Ordine eiiciendas monet, dicens. *Es menester gran informacion para receuirlas, y larga probacion para hazerlas professas.* Et postea. *Entienda vna vez el mundo, que teneis libertad para becharlas.* Quod ipsum grauissimis verbis per totum caput prosequitur, clare monens, non omnes, sed selectiores fœminas, probatique spiritus ad religionem admittendas fore. Superioresque religionum, qui sæculari pietate moti, id non faciunt, post mortem pœnis puniendos prædicit. S. Teresia de itinere perf. c. 14.

18 Dixi tamen, charitatis Ordine seruato, malemorigeratos nouitios ab Ordine expellendos esse, quia quandoque Magistri, seu præceptoris patientia, pietas, & charitas solet peruersũ iuuenem ad Deum conuertere; vt ex exemplo cuiusdam è vita S. Pachomii, probat S. Dionysius Carthusiensis, ser. 6. de Dom. 13. post Trinitatem his verbis. *In vita S. Pachomij legitur, quod fuit in cœnobio illo Pachomij, quidam iuuenis monachus, nomine Syluanus, multum inordinatè se habens, & leuis, alios quoque quosdam iuniores sibi alliciens, atque inficiens. Propter quod seniores voluerunt fratrem illum expellere, & de hoc sæpe loquebãtur Pachomio: qui beatissimus pater, & vir apostolicæ Sanctitatis rogauit fratres illos, patientiam ad tempus habere cum iuuene illo, & orare pro ipso, & ipse Pachomius pro eodem instanter orauit. Paulò post Deus omnipotens, & benignus, tanta compunctione, & gratia, tanto deuotionis feruore, tam profundissima humilitate impleuit mentem Syluani, quod iugiter in omni bono plorauit nec tempore refectionis à lachrymis potuit se refrenare; ita ut S. P. Pachomius tesiaretur de illo, quod nullus in toto suo monasterio, sic suam esset humilitatem secutus, vt frater Syluanus. Quo post paucos annos moriente, dixit Pachomius animam eius cum gaudio ab Angelis sanctis esse susceptam.* Hoc ergo sibi exẽplum Magistri Nouitiorum præ oculis ponant, vt priusquam aliquem à religiosa societate repellant, pietatis, charitatisque cum illo modum obseruent. Dio Cart.

19 Placuit ad idem intentum, quæ Guillermus de Peraldo in tract. de conuersione monachorum dixit, dum de variis causis temeræ, & infructuosæ professionis quorumdam religiosorum

Guillelm. Perald. 2. p. c. 3

ageret, hinc transferre. Sic ergo loquitur. *Aliquando accidit ex superbia recipientium, qui verecundantur, quod aliquis, qui ad eos ingrediatur, ad faculum reuertatur. Qui videntur tali fatuitate laborare, quasi laboraret ille, qui verecundaretur de hoc, quod in messe sua palea non inueniretur. In his, qui in religione ad probationem recipiuntur, ventus tentationis indicat, quis palea, quis granum existat: ad impetum enim huiusmodi venti palea discedit, granum vero locum minime dimittit. Superuacaneum esset tempus probationis, si omnes, qui probantur, in cellario approbarentur, cum de multis à Deo vocatis pauci sint electi. Non est mirum, si non omnes, qui probantur, ad professionem admittantur. Qui vult vineam habere bonam, cum diligentia palmites, ex quibus plantanda est, eligit; sic, qui veritatem religionis diligit, probatos cum diligenti electione ad professionem recipit.* Et infra. *Oportet, vt religio deſpumetur, ad hoc, vt in puritate ſua ſeruetur. Vbi deeſt deſpumatio, ibi impuritas multa.* Et infra. *Aliquando hoc accidit ex recipientium carnalitate, qui cum Dei ordinatione filios non habeant, Diaboli procuratione nepotulos ſibi aggregant, quos in religione recipi faciunt, non vt ſaluentur, ſed vt ditentur.* Inſerius quoque. *Aliquando hoc accidit, quod parentes [illegible] filios ſuos in religione ponunt, vt ab eis ſe expediant, [illegible] intendentes corporalem eorum prouidentiam, quam animarum ſalutem. Hi in ingreſſu nihil ſpirituale intendentes, nec ea intelligentes, quæ in regula continentur, poſt ingreſſum, Crucis Chriſti inueniuntur inimici, ventri ſuo, non Domino Ieſu Chriſto in monaſterio ſeruientes.* Hæc, & alia religioſus hic author, manifeſtè comprobans, non omnes nouitios in religione receptos, ad profeſſionem admittendos eſſe, & quanta cura ſollicitudoque in eorum inſtructione adhibenda ſit.

Idem.

20. Vt autem Religionum Superiores in re tam neceſſaria, qualis eſt educatio puerorum, non ſegniter, aut oſcitanter, ſed ſollicite nimis ſe gerant, audiant tandem, quæ aliqui Patres, & Religioſi, de indiſciplinatis, maleque inſtructis adoleſcentibus, & nouitiis Religionum ſentiant; vt vel ſic accuratius in tanti pōderis negotium erigantur, vel ſaltem agnoſcant rectè Diogenem dixiſſe. *Filij male educati ſummi hoſtes Patribus inſenectute ſunt.* Ergo D. Bernardus ſuper Cantica, exponens illud: *Capite nobis vulpeculas, quæ demolliuntur vineas.* Vitia, quæ irrepere ſolent Nouitiorum animis, qui, ceu nouellæ plantationes in domo Domini ſunt plantati, ſi rectè non ſint diſciplina regulari imbuti,

Diogen.

Cant. 2

buti, ſic recenſet. *Mox, vt in corpore ſolet euenire febricitantibus, ſubdit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, langor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas præſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremo imprudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia, & confuſione. Saltus de excelſo in abyſſum, & de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de Cælo in ſcænum, de claustro in ſæculum, de Paradiſo in infernum.* c. Per ſe- 63 n Cāt.

Hæc D. Bernardus, diuino certo numine afflatus, ds iis, qui in nouitiatibus religionum, non recte obſeruantia (prout decet) religioſa, diſciplinaque regulari ſunt imbuti, dixit. D. quoque, & Seraphicus Bonauentura in ſuo ſpeculo diſciplinæ, poſtquam recte inſtructorum tyronũ virtutes recenſuit, quos inter alia vocat. *Altiſſimi filios, ſuã leſ ſanctæ religionis propagines, fratrum lætitiam, conſociorum ſolatium, ſui inſtructoris gloriam:* Male quoque imbutos diſciplina regulari, prauoque moribus religioſis inſtructos, ſic appellat. *Duræ ceruicis, diſciplinæ manſueſcere neſcientes tepidos, curioſos, ſuperbos, qui, quam ſuauis eſt Dominus non guſtantes, ſæculari dumtaxat depoſito habitu, non affectu, adhuc in moribus, in verbis, in geſtibus, & propriarum voluntatum pertinacia ſæculo fidem ſeruant, vt monſtro mirabilius, ſub religioſa veſte, hominem videas ſæcularem. Hi ſunt filij diffidentiæ, adulterina plantatio, fructus inutiles, & acerbi ſociorum onus, & ſcandalum. ſui afflictio, & confuſio inſtructoris.* D. Bonau in ſpec. p 2. p. 1. c. 5

Porrò ſigna, & mores, quibus male inſtructus nouitius, vel digito demonſtrari poſſit, inter alia hæc ſtatuit. *Tepidus in conuerſatione, remiſſius publicos mores, & doctorum monita negligit, ea, quæ Dei ſunt, languidè operatur, ſi quod inchoat bonum, vix perficit, tarde addiuinum officium, & quæcunque conuentualia occurrit, otio gaudet, labore, vel modico leditur, & facile ſe infirmum, vel ad modicum ſe fatigatum prætendit; ſed amore priuato ſe diligens, quæ carnis ſunt ſapit, & proſequitur ex affectu. Aliorum quoque defectibus, non virtutibus, hærens, ſi quid minus, vel negligenter actum inſpexerit, illud in exemplum ad ſuæ velamen tepiditatis, aſſumit. Ficta ei, & indeuota confeſſio, rara, & breuis* Idem:

& breuis compunctio, insipida, & sine intentione oratio, incircunspecta, & sine ædificatione lectio, obedientia morosa, & sine deuotionis affectu vix aliqualis Impletio. Hæc Bonauentura tremenda sanè, & horribilia, de nouitiis praue educatis, & instructis: vt vel sic contremiscant superiores, qui negligentes in eorum institutione inueniuntur. Demum Guillermus de Peraldo de talibus sic loquitur. *Deteriores furibus, & latronibus esse videntur, qui religionem intrant, & se nõ emendant. Qui malus est in religione, est quasi malus latro Christũ in cruce blasphemans, opere, licet non sermone. Qui de cruce claustri transiturus est ad cruciatum inferni, talis valde infelix est; quia in Dei vinario moritur, in eius seruatorio corrumpitur, in loco salutis damnationem suam operatur, quod alij esset aurum, hoc ei est plumbũ, &c.* Hæc velim, religiosi omnes placidè auscultemus, & nostri muneris finem inspicientes, rectè, sanctè, reformatèque nostri instituti modum impleamus. Quipræsentis opusculi finis, & scopus habeatur. Ad laudem Dei, Virginis Matris, Ioseph Sponsi, Sanctorumque omnium.

Perald. de prof. mon. p. 3. c. 2

FINIS.

IESVS, MARIA, IOSEPH.

INDEX

INDEX RERVM
MAGIS NOTABILIVM,
QVAE IN HOC OPERE
CONTINENTVR.

A

Abstinentia regularibus commenda tur. c. 16. §. 25. & seqq.

Actiones sacræ, quo fine fiendæ à religiosis. c. 16 §. 24

Adolescentum educatio. c. 18 per totum. Quid de illa Patres sentiant ibid. præsertim à §. 3. Qui pro illa scripserunt. §. 2

Aedificia monachorum honesta. c. 17. §. 20 & 21

Aequalitas inter religiosos cõmendatur. cap. 12. per totum.

Alimenta religiosis vnde comparanda. c. 8. §. 2. & 3. Non ex nimia euagatione. ibidem.

Ambitio a regularibus omnino debet abesse. c. 13. per totum, & c. 12. §. 18. Quid de illa Patres sentiant. c. 13. a §. 2. Damna, quæ ex illa oriuntur, a §. 10. Ambitiosa vitia, §. 13.

Amor Dei monachatus finis. c. 11. §. 21. Finis situatorum monachi. ibidem.

Anxietati cordis quomodo medendum. c. 8. §. 12.

Auaritia omnino fugienda religiosis, cap. 16 & 17. per tota. Damna illius. cap. 16. a §. 20.

B

Benedictiones concessæ bonis Prælatis. c. 15. §. 10.

Benedictinus Ordo. cap. 17. §. 14.

Bonorum temporalium copia fugienda religiosis. c. 16 per totum. Quid de illa Patres sentiant. ibidem. à §. 2. Inconuenientia, quæ ex illa sequuntur, a §. 20 Etiam a Communitatibus regularium vitanda. c. 17. per totum. Quid de illa etiam Patres

tres sentiant. a §. 2. Incommoda illius. a §. 16.

C

Castitatis violatio ex otiositate. c. 10. §. 20.
Casus de quodam monacho. c. 5 §. 17. De alijs vagis c. 7. §. 22. & 23. De sancto Francisco, c. 11. §. 16. De quibusdam alijs. c. 12. §. 17 De quodam Eremita. c. 13. §. 11. De quodam monacho. c. 14. §. 18. De tribus gulosis. c. 16 §. 27. De quodam hortulano c. 16. §. 32
Caremoniarum obseruantia commendatur. c. 6 §. 20.
Census anliciti Religiosis c. 16 §. 23
Clausura honesta commendatur Religiosis c. 7. & 8. per totum. Eius vtilitates, ibidem.
Confidentia monachi, quæ debeat esse, c. 16 §. 31
Communicatio nimia monachorum cum secularibus nocet reformationi c. 9. per tot. Quid de illa Patres sentiant ibidem.
Communitates religiosæ superfluas fugere debent, c. 17. per totum.
Consanguinei qualiter a regularibus colendi, c. 8. §. 8. & 10. Quomodo vitandi, ibid. & c. 9. §. 9
Contentiones inter Religiosos vitandæ, c. 14. per tot.
Curas rerum secularium fugiant monachi, c. 9. per tot. præsertim §. 16

D

Differentia inter sæculum & Religionem, c. 2. §. 9
Dispensatio prætensa in obseruantijs Ordinis non iuuat. c. 6. §. 25. & 26
Diuisiones inter regulares omnino fugiendæ, c. 14. per tot. Quid de illis loquantur Patres, ibi. Dãna ex illis mania, ibid. præsertim a §. 12
Diuitiæ in Religiosis reprobantur, c. 16. & 17.
Documenta Religiosis litteratis, c. 11. a §. 18. Magistris Nouitiorum, c. 18. a §. 11
Dæmoniaci cuiusdam dictum, c. 11. §. 16. Dæmonum epistola, c. 15. §. 11.

E

Excusationes contra paupertatem religiosam non admittuntur, c. 16. a §. 30. Non futuræ necessitatis, §. 31. & 32. Non carentiæ affectus interioris, §. 33 Non quia dicatur tantum haberi vsum, non dominiũ, ibidem.
Exemplum pro quiete, & clausura religiosa, c. 8 §. 6. & 7. Abbatis Machetis, §. 9. Cuiusdam

iusdam alterius monachi, §. 10. De quodam scholare Parisiensi, c. 11. §. 17. De quibusdam monialibus c.17 §.19. De quodam iuuene Religioso c.18.§.18.

Exemptiones à regularibus obseruantijs multoties noci uæ, c.12. per tot. Quid de illis Patres sentiant, ibid.

F

FAbulæ seculariæ fugiendæ à monachis, c.9.§.14. & 15.

Factum Nicardi fratris Bernardi Clareuallensis, c.16. §.19. Abraæ Aegyptij ibidem.

Familiaritas sæcularium val de nociua Religiosis, c.9. per totum.

G

GAudium boni Religiosi in paupertate, c.17.§. 22.

Gentiles aduersantur otiositati, c.10.§.17.

Gula condemnatur, cap.12 §. 16. Nascitur ex otiositate, c.10.§.19. Quid Patres de illa sentiant, cap.16.§.25. Damna ex illa secuta. §. 27.

H

HAbitus Religiosus humilis & honestus, c.16.§. 28. & 29.

Hæretici inimici sanctarum Religionum, & Religiosorũ c.2.§.5. Opprobria ipsis obijciunt; ibidem § 6.

Hugonis Lincolniensis respõsio, c 9.§.15

Humilitas commendatur monachis, c.17.§.18. Fundamentum studiorum monachi, c.11. §.25.

Hypolitus Martyr quid sentiat de consummatione mundi c.16.§.vltimo.

I

INstructio Nouitiorum, c. 18.per totum. Quam necessaria, §.1. Qui Patres de illa scripserint, §. 2. Quid de illa sentiant, a §.3. Magistri, a §.9. S.Nili §.10. Documenta pro illa a §. 11. Primum de oratione sectanda, ibidem. De otio vitando, §. 13. De singularitate fugienda, §.14. De amore Regulæ, & Constitutionũ Ordinis, §. 15. De non sumenda scandalo ex imperfectionibus aliorum, §. 16. De nõ indiscrimin tim omnibus admittendis ad Ordinem, §.17. Nec temere expellendis, §.18.

Iocosa, & scurrilia maximè fugienda monachis, c 9. §. 13
Isaac monachus a D. Gregorio commendatus, & quare c. 17. §. 6

L

LAudes Paupertatis Religiosæ, c. 16 §. 17
Laudes status Religiosi, c. 2 §. 3. & 4. & c. 17. §. 4
Lectio, & oratio miscenda regularibus, c. 11. §. 18. 19, & 20. Lectio, oratio, & operatio tria necessaria monachis, c. 4. §. 12
Literarum exercitium utile valde religiosis, c. 11. per totum. Quid de illo Patres sentiant, ibidem. Quæ contra illud obijciuntur, §. 14 15. & 16. Quomodo illis satisfiat, §. 17
Litigia debent fugere regulares, c. 17 §. 22
Ludis Histrionicis assistere valde nociuum regularibus c. 9. §. 12.

M

MInima obseruantiæ magni habendæ a Religiosis, c 6. per totum. Commendantur multum à Patribus ibidem. Non excusantur illas omittentes, a §. 22. Non quia sint minimæ, ibidem. Nec ratione pravæ consuetudinis in contrarium, §. 23. Nec quia non sit peccatum mortale, §. 24. Nec propter dispensationem præsumptam, §. 25
Missæ, & cæremoniarum eius deuotio, c. 6. §. 22
Modus honestæ deambulationis regularium extra cœnobia qualis, c 8. §. 14. Communicationis cum secularibus, c. 9. §. 17
Monachi definitio, c. 3. §. 13. Monachi sunt quasi mortui mundo, c. 9. §. 10. Monachus malus qualis, c. 17 §. 5. Monachus bonus qualis, c. 6. §. 27. Monachi non reformati carpuntur à Patribus, c. 1. per totum. Monachorum status, quam excelsus, & sublimis in Ecclesia, c. 2. §. 2. Maximè cõmendatus à Patribus, c. 2. §. 2. 3. & 4. Hæreticis, & inimicis Ecclesiæ exosus, §. 5. & 6
Moniales quales esse debeant, c. 17 §. 12. & §. 19. Quomodo debeant auaritiam fugere, ibidem.

N

NEcessitas lege caret, c. 12 §. 13. Quantum excuset religiosos, qui sibi prouident necessaria, licet non excuset auaritiã, c. 16. §. 30. & 31.
Negligentia in studijs literarum

rum reprobatur religiosis, c.11. per totum.
Negotiationes fugiant religiosi, c.17. §. 22.
Nicardi fratris Bernardi factum, c.16. §.19.
Nouitij, c. 18. Quomodo educandi, ibid. Qui Patres de hoc scripserunt, §.2. Quid de illorum educatione sentiant, §.3. Eorum magistri quales, §. 9. Documenta pro illis, a §.11. Non bene morigerati expellendi, §.17 & 18. Male morigerati quales, §.20. Illorum notæ, & signa ibidem.

Occasiones peccandi ex quo accipere possunt Religiosi, c.9. §.11.
Odium hæreticorum in sanctos Religiosos, c.2. §.5. & 6. Quorundam aliorū, & vnde nascatur, c.17. §.16. Aliorum etiam, c.8. §.3.
Opera charitatis, pietatis, aut misericordiæ quomodo, & qua mensura exhibenda a Religiosis, c.8. §.4. & 5. Exemplis confirmatur, §.6. & 7.
Opprobria, quæ impij hæretici Religiosis obijciunt, & sanctis religionibus, c.2. §.6.
Oratio necessaria religiosis, c. 3. & 4. per totum. Nouitijs c.18. §.11. & 12. Maxime Prælatis Religionū, vt recte gubernent, c.15. §.21. & 22 Orationis, & lectionis interpollatio officiū monachi c.11. §.18.19. & 20. Oratio, lectio, & operatio tria necessaria monachis, c.4. §.12.
Ornatus religiosorum qualis, & quam honestus, c.16. §. 28. & 29.
Otiositas abominanda monachis, c.10. per tot. Quid de illa Patres sentiant, ibid. Incōmoda, quæ ex otiositate sequi possunt, a §.18. Nouitijs maximè fugienda, c.18. §.13. Otiosorum notæ, & signa quæ sint, c.10. §.21.

Partialitates in Religiosis omnino vitandæ, c.14. per totum. Quid de illis Patres sentiant, ibid. Damna, quæ ex illis nasci possunt, a §.12
Patres quid sentiant de religiosis non reformatis, c. 1. per totum. Quid de excellentia status religiosi, c.2. §.2. 3. & 4. Quid de necessitate, aut vtilitate orationis, c.3. & 4. Quid de obseruantia Regulæ, & Constitutionum Ordinis, cap.5. Quid de minimis etiā obseruantijs, c 6 Quid de nimia euagatione extra cœnobia monachorū, c.7. & 8. de nimia communicatione cum secularibus, c.9. De otiositate fugienda, c.10. De literarum exercitio, c.11. De exemptionibus, &

& priuilegijs, c. 12. De ambitione, c. 13. De diuisionibus, & partialitatibus, c. 14 De bonis, & malis prælatis, c. 15. De cupiditate nimia bonorum temporalium, etiam quoad communitates religiosas, c. 16. & 17. De educatione adolescentum, c. 18. Quam studiosi fuerint literarum, c. 11. §. 13. Quomodo paupertatem amauerint, c. 16. §. 17. 18 & 19. Quomodo prælationes fugerint, c. 13. §. 19.

Paupertas religionis maximè commendatur, c. 16. & 17 per totum. Encomia ipsius, c. 6. §. 17. Imitatores paupertatis, §. 18. & 19. Firmitas religionum est paupertas, c. 17. §. 18. Murus religionis, ibidem.

Pecunia nociua religiosis, c. 16 & 17. per tot. Qualiter circa illam se debeat habere religiosus ex Seneca, c. 17. §. vltimo.

Prælati admonentur de suo munere, c. 14. §. 20. & 21. Boni qui sint, & qui mali, c. 15. per totum. Boni prælati vtiles, praui inutiles, ibidem. Quid de vtrisque sentiant Patres, a §. 2. Prælati boni commoda, & vtilitates, §. 9. Prælati mali incommoda, & damna, a §. 11 Prælatis necessaria, §. 17. Oratio illis maximè necessaria, vt rectè gubernent, §. 21. & 22. Tria illis necessaria ex Bernardo, §. 17. & 21.

Prælationes fugiendæ, c. 13. præsertim, a §. 18. Qualiter id fecerint Sancti, §. 19. Qualiter se gerere debeant monachi in illis accipiendis, vel renuendis, §. 20.

Principum, & Magnalium consortium prudenter recusandum a pijs Religiosis, c. 9. §. 15.

Priuilegiati multi quoad regulares obseruantias, noxij reformationi Religionis, c. 12. per totum. Quid de illis sentiant Patres, ibid Vitia quibus manent exposíti, §. 16. Exemplis suadetur, §. 17 Qui nam illorum vtiles religionibus, §. 20.

Prouidentia Dei erga monachos, c. 16 §. 31. & 32. Præsertim veros pauperes, ibid.

Q

Qualitates bonorum prælatorum in Religionibus, c. 15. §. 19. Quæ in illis maximè requirãtur §. 21. 22. 23. & 24. Quas debeant habere Magistri Nouitiorum in religionibus, c. 18. a §. 9. Ipsorum Nouitiorum qualitates, ibid. §. 17.

R

Regulæ obseruatio necessaria Religiosis, c. 5. & 6. per

per totum. Illius obseruatores quomodo præmiũ accipiãt à Deo, c. 5. §. 15. & 16 Illius cõtemptores qualiter puniantur ab ipso, §. 17. & seqq. Regulæ contemptus vnde nascatur aliquoties, c. 14. §. 16. Amor illius, & Constitutionum Ordinis maximè intimandus est Nouitijs, c. 18. §. 15.

Religiosus status, quam eximius, & insignis in Ecclesia c. 2. §. 2. Qualiter commendatus a Patribus, ibid. & §. 3. & 4. Hæreticis exosus, §. 5. & 6 Finis, ad quem ipsius status, § 7. Differentia a sæculo, §. 9. In quo consistat, c. 6. §. 20. Religiosi perfecti quales, c. 6. §. 27.

Reuelatio facta Dionysio Carthusiano, c. 1. §. 14. Alia facta S. Teresiæ de nimia communicatione cum sæcularibus fugienda, c. 9. §. 9. Alia facta Arsenio, ibidem. Alia S. Antonio, c 11. §. 20. Alia de quodam monacho aduersus doctrinæ S. Francisci, c. 16. §. 14. Alia S. Brigittæ, c. 16. §. 29. Alia eiusdem, c. 17. §. 12.

Ruinæ sunt subiecti religiosi prædiuites, c. 17. §. 18. Exẽplo quodã id suadetur, §. 19.

S

Sæcularium consortiũ valde nociuum regularibus, c. 9. per totum. Sæculares non venerantur religiosos difformatos, c. 2. §. 7. Retrahuntur a religione propter ipsos, ibid. §. 8. Male sentiunt de religiosis valde diuitibus, c. 17. §. 16. & 17.

Scandalum fugiendum, c. 18. §. 16.

Signa male morigeratorum in uenum, c. 8. §. 20. Otiosorũ, c. 10. §. 21. Malorum prælatorum, c. 15. §. 20. Bonorum prælatorũ, c. 15. §. 19.

Singularitates vitandæ a religiosis, c. 12. fere per totum. Maximè à Nouitijs, c. 18. §. 14. & quid Patres sentiant de singularitatibus in monasterijs, c. 12. a §. 2. Damna ex illis secuta, a §. 16.

Solicitudines religiosis fugiendæ, c. 9. §. 16.

Spes Monachi solus Deus sit, c. 16. §. 31.

Studia literarum commendãtur religiosis, cap. 11. per totum.

Bonorum religiosorum quæ & qualia, §. 24.

Non reformatorum qualia §. 23.

Studium principale monachi quod c. 4. §. 14.

Superbia fugienda regularibus, c. 11. §. 23.

T

Termini terræ appellantur monachi, c. 16. §. 17.

Te-

Testamentum S. Ephremi, c. 16. §. 19.
Thesaurus monachi est paupertas, c. 16. §. 17.
Tria maximè necessaria monachis sunt oratio, lectio, & operatio, c. 4. §. 12.
Tria necessaria prælatis, c. 15, §. 17. & 21.
Tristitia monachorum quomodo medenda, cap. 8. §. 12.
Tyronum in religione educatio, c. 18. *per totum*.
Qui de illa scripserint. §. 2.
Documenta necessaria pro illis, & magistris, a §. 11.
Quid patres sentiant: a §. 3.

V

VAgatio nimia extra cœnobia monachis interdicta, cap. 7. & 8. *per tot*.
Quid de illa sentiant patres ibidem.
Ipsius damna, ibidem.
Excusationes pro illa excluſæ, c. 8.
Est vilipendibsa religiosis, c. 8. §. 16. & 17.
Honesta, & necessaria concedit illis, c. 8. §. 13.
Visio de quodam Adamo, c. 2. §. 9.
De quodam conuentu reformato, c. 2. §. 11.
De quodam sancto religioso c. 5. §. 17.
De alio, qui sine purgatorio migrauit ad cœlum, ibidem.
De quibusdam alijs, ibidem §. 18. & 19.
De Hugone, eo quod non recipiebat disciplinas Ordinis c. 6. §. 21.
Alia de quibusdam Comitijs Dæmonum, cap. 12. §. 14.
Alia de quodam religioso, ibidem.
Alia de quibusdam defunctis, c. 13. §. 12.
De quodam alio, ibidem.
Alia ex S. Odone, cap. 16. §. 29.
Alia ex Laurentio Surio ibidem.
Alia ex Io. Nidero, cap. 17. §. 15.
Visitationes sæcularium quomodo fieri debeant a Religiosis, c. 8. §. 8. & 11.
Vitæ cœnobiticæ finis, cap. 4. §. 13.
Vnio inter religiosos habenda c. 14. *per totum*.

Laus Deo, Virgini Matri, Ioſepho Sponſo.

BIBLIOTECA NAZIONALE